



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cursus Theologico-Moralis**

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis  
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

**Viva, Domenico**

**Patavii, 1723**

Pars Secvnda De Præceptis Decalogi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40673**

**CURSUS**  
**THEOLOGICO-MORALIS**  
Tomus Prior

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat  
de LEGIBUS, de Præceptis Decalogi,  
de Restitutione, ac de Contractibus,

Ad usum Tyronum elucubratus,

*Et in Quotidianis Praelectionibus*

**A P. DOMINICO VIVA**  
SOCIETATIS JESU

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE

Suis Auditoribus Traditus

*In Palestra Collegii Neapolitani ejusdem Societatis,*  
Cupientibus, atque instantibus Moralis Theologiæ Candidatis,  
IN LUCEM PUBLICAM EDITUS,  
AC DICATUS

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

**D. MARCO ANTONIO**  
**BORGHESIO**

SULMONÆ PRINCIPI, ac ROSSANI,  
PROREGI JAM NEAPOLITANO, &c.

PARS SECUNDA

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.



PATAVII, Ex Typographia Seminarii, MDCCXXIII.

Apud Joannem Manfrè.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.



CURSUS  
THEOLOGICO-MORALIS

Tomus Prior

Quod est, quae Moralis Theologiae disciplina  
de LEGIBUS, de Praeceptis Decalogi,  
de Restitutione, ac de Conjugiis,

Ad usum Tyrannorum circumscribitur.

A P. DOMINICO VIVA

SOCIETATIS IESU

SACRAE THEOLOGIAE PROFESSORE

in suis Auditoriis Traditus

A Palatio Collegii Sacerdotum in Paderborna  
Christiana, apud Illustrissimos Illustrissimae Theologiae Cancellarios  
IN LUCEM PUBLICAM EDITIS.

AC DICATUS

D. MARCO ANTONIO

BORGHESE

SUBMONESTRANTE, ac ROSSANI,

PROFEGI JAM REVISIONATO, ac

REVISORUM

DE PADERBORNENSIS DECALOGI.

PATAVI, in Typographia Seminarii, MDCCXXIII.

Superiorum Permissu, ac P. RINTZELIO,



# I N D E X

QUÆSTIONUM, & ARTICULORUM,  
qui in hoc Secundo Tractatu Theologico-Morali  
DE PRÆCEPTIS DECALOGI  
continentur.

## Q U Æ S T I O I.

De Prolegomenis ad Præcepta Decalogi.

ART. I. De Numero, Ordine, & Dispensabilitate Præceptorum Decalogi.	3
ART. II. Quanam via Præceptorum transgressio possit de mortali in veniale transire, & econtra?	5
ART. III. Quinam ad Præcepta teneantur?	11
ART. IV. De Intentione requisita ad observantiam Præceptorum.	15
ART. V. De Impedimentis non apponendis observantiæ Præceptorum.	20
ART. VI. De Ignorantia, Metu, & Dispensatione excusantibus a Præceptorum transgressione, ac de Impotentia excusante.	22

## Q U Æ S T I O II.

De Primo Decalogi Præcepto.

*Unum cole Deum.*

ART. I. De Virtute Religionis.	29
ART. II. De Virtute Theologica Fidei.	31
ART. III. De Spe, & Charitate.	35
ART. IV. De Oratione, qua Deum colimus.	37



### Q U Æ S T I O III.

#### De Horis Canonicis.

- |   |    |
|---|----|
| ART. I. <i>Quinam ad Horas Canonicas obligentur?</i>                | 39 |
| ART. II. <i>Quodnam Officium recitandum sit?</i>                    | 43 |
| ART. III. <i>Sub qua culpa, &amp; pœna Officium sit recitandum?</i> | 46 |
| ART. IV. <i>Quo pacto recitanda sunt Horæ Canonice?</i>             | 49 |
| ART. V. <i>De Tempore, Loco, &amp; Situ recitationis Horarum.</i>   | 53 |
| ART. VI. <i>De Causis excusantibus ab Horarum recitatione.</i>      | 55 |

### Q U Æ S T I O IV.

#### De Dei Cultu per Adorationem.

- |   |    |
|---|----|
| ART. I. <i>De Adoratione Christi Domini, &amp; Eucharistia.</i> | 59 |
| ART. II. <i>De Adoratione Sanctorum, &amp; Beatorum.</i>        | 62 |
| ART. III. <i>De Adoratione Sacrarum Reliquiarum.</i>            | 64 |
| ART. IV. <i>De Adoratione Sacrarum Imaginum.</i>                | 66 |

### Q U Æ S T I O V.

#### De Superstitione.

- |   |    |
|---|----|
| ART. I. <i>De Superstitione universim, ac in specie Primo de Idololatria.</i> | 69 |
| ART. II. <i>De Divinatione.</i>   | 71 |
| ART. III. <i>De Vana Observatione.</i>  | 74 |
| ART. IV. <i>De Magia.</i>   | 77 |
| ART. V. <i>De Maleficio.</i>  | 79 |

### Q U Æ S T I O VI.

#### De Irreligiositate, & in specie de Sacrilegio, Blasphemia, & Tentatione Dei.

- |                                     |    |
|-------------------------------------|----|
| ART. I. <i>De Sacrilegio.</i>       | 82 |
| ART. II. <i>De Blasphemia.</i>      | 87 |
| ART. III. <i>De Tentatione Dei.</i> | 93 |

Q U Æ



## QUÆSTIO VII.

### De Secundo Decalogi Præcepto.

*Non assumes Nomen Domini Dei tui in Vanum.*

ART. I. <i>Quid, &amp; Quotuplex sit Furamentum?</i>	94
ART. II. <i>De Conditionibus requisitis ad licite jurandum.</i>	97
ART. III. <i>De Materia Furamenti.</i>	100
ART. IV. <i>De Furamenti Obligatione.</i>	102
ART. V. <i>Quomodo quadam celebriora Furamenta interpretanda sint?</i>	108
ART. VI. <i>Quomodo tollatur Furamenti obligatio?</i>	109
ART. VII. <i>De Perjurio, ac de assueto ad jurandum.</i>	116
ART. VIII. <i>De Adjuratione.</i>	117

## QUÆSTIO VIII.

### De Voto.

ART. I. <i>Quid, &amp; Quotuplex sit votum?</i>	120
ART. II. <i>De Materia, &amp; Obligatione Voti.</i>	123
ART. III. <i>Quomodo pacto tolli possit obligatio Voti per dispensationem?</i>	125

## QUÆSTIO IX.

### De Tertio Decalogi Præcepto.

*Diem Sabbati sanctifices.*

129

ART. I. <i>De Abstinentia ab operibus servilibus die festo.</i>	130
ART. II. <i>De Operibus forensibus vetitis die festo.</i>	132
ART. III. <i>De Missa die festo audienda.</i>	137

QUÆ-



## Q U Æ S T I O X.

### De Jejunio.

- |           |   |     |
|-----------|---|-----|
| ART. I.   | <i>A quibus cibis abstinendum die Jejunii; Et an etiam a potu?</i>                  | 143 |
| ART. II.  | <i>De unica Refectione, ac de ejus Hora.</i>  | 148 |
| ART. III. | <i>De Refectiuuncula.</i>   | 150 |
| ART. IV.  | <i>De Obligatione Jejunii, &amp; non cooperandi cum aliis in illius Refectione.</i> | 152 |
| ART. V.   | <i>De Infirmirate, &amp; Paupertate a Jejunio excusantibus.</i>                     | 155 |
| ART. VI.  | <i>De Labore, &amp; Ætate, qua a Jejunio excusant.</i>                              | 157 |

## Q U Æ S T I O XI.

### De Quarto Decalogi Præcepto.

*Honora Patrem tuum, & Matrem tuam.*

- |           |  |     |
|-----------|--|-----|
| ART. I.   | <i>De Obligatione filiorum erga Parentes.</i>  | 161 |
| ART. II.  | <i>De Obligatione Parentum erga filios.</i>  | 164 |
| ART. III. | <i>De Obligatione Conjugum ad invicem.</i>   | 166 |
| ART. IV.  | <i>De Obligatione Dominorum, Superiorum, &amp; Principum relate ad subditos, &amp; ad invicem.</i> | 168 |
| ART. V.   | <i>De Obligatione diligendi proximum.</i>  | 172 |
| ART. VI.  | <i>De Obligatione subveniendi proximo in suis necessitatibus.</i>                                  | 180 |

## Q U Æ S T I O XII.

### De Octavo Decalogi Præcepto.

*Non loqueris falsum testimonium.*

- |          |  |     |
|----------|--|-----|
| ART. I.  | <i>De forma juris a Judice servanda.</i>     | 186 |
| ART. II. | <i>De Jurisdictione in Judice requisita.</i> | 190 |
| ART.     |  |     |



ART. III. De *judice in ferenda sententia.*  
ART. IV. De *Accusatore.*  
ART. V. De *Testibus, & Notariis.*  
ART. VI. De *Reo.*  
ART. VII. De *Advocato, & Procuratore.*

192  
196  
198  
201  
203

F I N I S.

CUR.

143  
148  
150  
fra-  
152  
155  
157

161  
164  
166  
sub-  
168  
172  
180

86  
90



102  
103  
104  
105  
106

QUESTION

ART. III. De p[ro]prietate in fidei iuramento.  
ART. IV. De p[ro]prietate.  
ART. V. De Testam[en]to, & Nuptiis.  
ART. VI. De Re.  
ART. VII. De Adversariis, & P[ro]curatoribus.

QUESTION

QUESTION

QUESTION

QUESTION

QUESTION

QUESTION

QUESTION

QUESTION

CCC



# CURSUS THEOLOGICO-MORALIS

Ad usum Tyronum elucubratus.

PARS SECUNDA.

## DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

### Proœmium.



Ræmisso jam de Legibus universim tractatu, præcipuum Theologiæ Moralis opus aggredimur, explanationem scilicet totius legis, quam naturæ menti humanæ inscripsit, & Deus lapideis tabulis insculpsit; ut proinde unicuique non utilis modo, sed etiam pernecessaria sit institutio, quam molimur; Sed Confessariis præsertim debet esse per familiaris; cum enim omnia omnino præcepta in lege naturali fundentur, omnes omnino conscientiæ casus ex principiis, quæ passim in hoc opere jaciuntur, decidi universim possunt.

In prima itaque quæstione præambula examinabimus, quæ ad notitiam horum præceptorum apte acquirendam præmitti debent. Deinde de primo Decalogi præcepto fufe agemus; atque adeo de Virtute religionis, ejusque præcipuis actibus, Oratione scilicet, & Adoratione, ac de tribus virtutibus Theologicalibus, quibus præsertim Deus colitur; Necnon de Vitiis religioni oppositis, videlicet de Superstitione, Blasphemia, Sacrilegio, &c. Præterea disceptabimus de secundo præcepto, ubi de Voto, & Juramento, necnon de Perfidia, Perjurio, Adjuratione. Tum de tertio præcepto, ubi de Operibus die festo prohibitis, & de Missæ auditione, ac de Jejunio. Postmodum de Charitate proximo de-

*Pars II.*

A bita,







# QUÆSTIO PRIMA.

## De Prolegomenis ad Præcepta Decalogi.

**A**Ntequam ad singula Decalogi præcepta descendamus, præmittere oportet, Primo, quæ ad numerum, ordinem, & dispensabilitatem eorundem pertinent. Secundo, Quoniam eorum transgressio vel est mortalis, vel venialis, agere oportet, quomodo peccatum mortale transeat in veniale ratione indeliberationis, aut imperfecti consensus, vel ex materiæ parvitate: Et quomodo peccatum veniale possit in mortale transire, vel ratione contemptus, vel ratione scandali, aut periculi incidendi in mortale, aut ratione finis ultimi in eo positi. Tertio discutemus, Quinam ad præcepta teneantur? ubi de pueris, amentibus, ebriis, infidelibus, peregrinis. Quarto, de Modo, quo præcepta sunt servanda; videlicet an cum intentione satisfaciendi, & an obligent ad impedimenta removenda? Quinto, Quando ignorantia, metus, impotentia implendi totum præceptum, necessitas, dispensatio excusent transgressorem: Quamvis autem in tractatu de Legibus plurima hæc de rebus fuscè disseruerimus; Nihilominus quia ad hunc etiam tractatum ea apprimè pertinent, idcirco operæ pretium est celebriora, & usitatiora hic summam delibare.

### ARTICULUS I.

*VI. Qua ratione dicatur aliquando Deus in his præceptis dispensasse?*

De Numero, Ordine, & Dispensabilitate Præceptorum Decalogi.

- I. Præcepta Decalogi sunt Legum Summa, & Epitome. Tria prima, quæ respiciunt Dei cultum, dicuntur Prima tabula; reliqua, quæ ad homines referuntur, Secunda tabula appellantur.*
- II. His decem præceptis corde, ore, & opere ad Deum, & ad homines ordinamur.*
- III. Cur non plura enumerentur, aut pauciora?*
- IV. Quare duplici præcepto vetatur Adulterium, ac desiderare Uxores alienas, & non vetatur pariter duplici præcepto Homicidium, ac desiderare mortem alterius?*
- V. Num possit Deus in præceptis Decalogi dispensare?*

**I.** Præmitto, nomen græcum, Decalogos, significare latine, Decem verba; Et quia Deuter. 40. dicitur, *Ostendit vobis Deus pactum suum, & decem verba, quæ scripsit in tabulis lapideis*, Hinc factum est, ut nomine Decalogi veniant ea decem verba, quæ locutus est Deus Moyse in monte Sinai, & in duabus lapideis tabulis inscripsit, ut a populo Hebræo servarentur: Hæc autem quia paucis continent, quæ ad hominem rectè formandum pertinent, idcirco ab August. Legum Summa, & Epitome nuncupantur. Ex his tria prima dicuntur primæ tabulæ, ex D. Th. 1. 2. quæst. 100., utpote quæ ad Dei cultum pertinent; reliqua septem dicuntur secundæ tabulæ, utpote quæ spectant ad socialem cum hominibus vitam peragendam; Utraque natura-

A 2 lia



lia sunt, cum naturā ipsa dictante accipiamus; Sunt etiam Divina, cum Deus ea per Angelum promulgarit.

II. Quæritur nunc primo: Quare Divina hæc præcepta numero denario comprehenduntur? Cur non fuerunt sufficientia duo illa, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & Proximum sicut teipsum*; aut illa, *Declina a malo, & fac bonum*? Cur non adduntur præcepta Fidei, Spei, & Charitatis; aut præcepta a Christo Domino imposita suscipiendi Baptismum, Eucharistiam &c.?

Respondeo cum D. Th. loc. cit., numerum denarium præceptorum fuisse convenientissimum; iis enim apte ad Deum, & homines ore, corde, & opere ordinamur: Ad Deum enim ordinamur Corde per primum præceptum colendi unum Deum; Ore per secundum, non assumendo nomen Dei in vanum; Opere per tertium, sanctificando Sabbata: Præterquamquod fidelitas, reverentia, & obsequium Deo supremo Domino debita iisdem apte præcipiuntur. Deinde ordinamur ad majores per quartum præceptum, honorando parentes; ad reliquos ordinamur opere non occidendo, non mœchando, aut furando; Ore non loquendo falsum testimonium, & Corde non concupiscendo bona, aut uxorem proximi.

III. Verum quidem est, in duobus illis præceptis Charitatis universam legem pendere; At Deus voluit apertius exprimere in Decalogo quæcumque primo intuitu lex naturalis univèrsique distat, nec voluit se extendere ad alia præcepta, quæ ex iis deducuntur, ne multitudo mentem rudium opprimeret. Præcepta vero Fidei, Spei, & Charitatis ex August. includuntur in primo colendi Deum; non enim Deus aliter colitur, quam fide, spe, & charitate. Præcepta deum Christi Domini non continentur

in Decalogo; cum non sint naturalia, sed positiva: Est quidem naturale præceptum penitentiae; illud tamen in primo Decalogi præcepto includitur, tanquam conclusio in suo principio.

IV. Rogabis. Cum præter duo præcepta non furandi, & non mœchandi dentur duo illa alia non concupiscendi bonum, & uxorem proximi, cur non dantur etiam præter duo illa præcepta non occidendi, & non dicendi falsum testimonium, duo alia, videlicet non concupiscendi mortem alterius, & non optandi falsum testimonium?

Respondeo cum D. Th., non omnia præcepta naturalia in Decalogo expresse contineri, sed ea, quæ maxime inculcanda erant hominibus; non enim expresse in Decalogo prohibetur fornicatio, peccatum contra naturam, mollities, mendacium, superstitio, transgressio voti, & alia huiusmodi; quæ sane jure naturæ prohibentur, & ad præcepta Decalogi solum reducuntur. Quare cum delectatio adulterii, & utilitas divitiarum sint propter se appetibilia, in quantum habeant rationem boni delectabilis, vel utilis, & facile in illa homo inclinatur, contra vero homicidium, & falsitas sint de se odibilia, ideo oportuit illorum etiam concupiscentiam expresse prohibere, non vero istorum.

Quæritur secundo; An præcepta Decalogi sint dispensabilia?

Respondeo cum D. Th. contra nonnullos negative; nemo enim dispensare potest in præceptis naturalibus sub iis circumstantiis, sub quibus ex ipsa natura rei aliquando præcipiuntur, aut prohibentur. Et ratio D. Th. est, quia præcepta Decalogi continent debitum ordinem ad Deum, & ad alios homines; atqui fieri non potest, ut Deus velit hominem non de-



debitæ ad Deum, & alios homines ordinari; ergo nec Deus ipse potest in præceptis Decalogi dispensare.

V. Oppones: Deus potest dispensare universim in iis, quæ sunt juris naturæ; ergo etiam in præceptis Decalogi, licet sint juris naturæ: Præfertim quia de facto dispensavit cum Machabæis in tertio præcepto, permit- tendo illis, ut in Sabbato operarentur; Cum Abraham in quinto præcepto dispensavit, ut filium occideret innocentem; In sexto cum Osee, ut assumeret sibi mulierem fornicariam; In septimo cum Hebræis, ut vasa pretiosa acciperent ab Ægyptiis.

Respondeo, Deum non posse in iis, quæ juris naturæ sunt, dispensare sub iis circumstantiis, sub quibus aliquid jure naturæ prohibetur, ut fuse explicabimus in de Matrimonio. Ratio est, quia non potest Deus mutare naturas rerum, & reddere conveniens rectæ rationi, quod natura sua est disconveniens; quod autem jure naturæ prohibetur, disconveniens est rectæ rationi; ergo non potest Deus in eo dispensare, itaut rectæ rationi conveniens evadat. In casibus autem adductis non dispensavit Deus in iis, quæ juris naturæ sunt sub iis circumstantiis, sub quibus rectæ rationi disconveniunt: Nam furtum, verbi gratia, est intrinsece malum, si sit ablatio rei invito Domino, & occisio hominis est intrinsece mala, si fiat auctoritate privata; Fornicatio etiam est intrinsece mala, si sit accessus ad non suam; atque adeo manentibus his circumstantiis, non potest Deus in iis dispensare. Quod si Deus præcipiat Hebræis, ut vasa pretiosa accipiant ab Ægyptiis, tunc mutat circumstantiam in surreptione; & quia surreptio ista non est invito domino, (idest invito Deo rerum omnium domino) ideo talis surreptio non est furtum; unde non dispensavit Deus in præcepto de non

furando. Eodem modo fornicatio est jure naturæ mala, si sit accessus ad non suam; Quod si Deus dicat Osee, ut assumat mulierem fornicariam, mutat circumstantiam, & dando potestatem in corpus mulieris, efficit, ut accessus ad illam sit accessus ad suam, & consequenter non est fornicarius, nec malus; Neque Deus dicitur dispensasse in sexto præcepto. Idem dicas in aliis casibus; Occisio enim innocentis non est contra jus naturæ, si fiat præcipiente Deo, domino vitæ; Nec est contra jus naturæ laborare die festo, si id fiat ad obediendum Deo præcipienti; nunquam enim tempus sanctificatur magis, quam cum Deo obedimus: Quia tamen aliqua sub quibuscumque circumstantiis sunt intrinsece mala, ut est odium, vel contemptus Dei, mendacium, peccatum contra naturam, &c. non vero in aliquibus tantum circumstantiis, ut occisio innocentis, ablatio rei alienæ, idcirco illa in nullo casu possunt a Deo præcipi, nec potest in iis dispensari; potest vero in istis sub iis circumstantiis, sub quibus non sunt contra jus naturæ.

## ARTICULUS II.

Quanam via Præceptorum transgressio possit de mortali in veniale transire, & econtra?

- I. *Transgressio præceptorum Decalogi secundum se, & ex genere suo est mortalis.*
- II. *Quid importet peccatum esse ex genere suo mortale, & esse ex genere suo veniale?*
- III. *Plures regulæ recensentur ad discernendum, num peccatum ex genere suo sit mortale, an veniale?*
- IV. *Quomodo possit peccatum de se mortale per accidens in veniale transire?*

V. Un-



- V. Undenam conijcere poteris, quod cum imperfecta solum deliberatione, aut consensu peccatum commiseris?
- VI. Num peccet mortaliter, qui pleno advertit ad malitiam objecti, praescindat tamen num ea sit gravis, an levis?
- VII. Non quodvis peccatum ex genere suo mortale potest ratione parvitas materia transire per accidens in veniale.
- VIII. Undenam mensuranda sit hac in re materia parvitas, aut magnitudo?
- IX. Materia, quae tam secundum se, quam relate ad finem a Legislatore intantum est levis, non est capax praecipi graviter obligantis.
- X. Quid si dubitetur, an res praecpta levis graviter conducat ad finem?
- XI. Quomodo possit peccatum de se, & ex genere suo veniale per accidens in mortale transire?
- XII. Quandonam contemptus rei levis praecpta est mortalis? Et quando frequentia venialium est mortalis, utpote ad mortale disponens?
- XIII. Potest veniale in mortale transire etiam ratione conscientiae erroneae, aut perplexae; Necnon ratione scandalii; aut per additionem materiae, quae in unam gravem coalescat.

I. **C**ertum est primo, transgressionem horum praecptorum esse peccatum; Nam ab August. Peccatum definitur, quod sit *Dictum, factum, concupitum contra legem aeternam*, atque adeo contra rectam rationem.

II. Certum est secundo, transgressionem hanc esse ex genere suo peccatum mortale. Dicitur autem peccatum ex genere suo mortale, quod considerato objecto, seu materia, circa quam versatur, fere semper est mortale; & aliquando tantum per accidens est veniale; ut est, verbi gra-

tia, peccatum adversus virtutes theologales, necnon adversus Religionem, iustitiam, castitatem, & alias graves virtutes: Contra vero dicitur peccatum ex genere suo veniale, quod fere semper est veniale, & per accidens aliquando mortale, ut est verbum otiosum, mendacium, jocosum, impatientia in laboribus, &c.

III. Regulae, quae a Doctoribus assignantur ad discernendum, num aliquod peccatum sit ex genere suo mortale, an veniale? sunt istae. Prima, si gravem deformitatem contineat a recta ratione, & graviter laedat charitatem Dei, vel proximi, est ex genere suo mortale: Sunt vero ex genere suo venialia, quae sunt contra proprium bonum, ut vanae cogitationes, & desideria, inmoderatus esus, risus, somnus, nisi graviter charitatem debitam laedant, ut ebrietas. Secunda regula est, si alicui operi Deus minetur exclusionem a regno Coelorum; ut quando dicitur ab Apost. ad Galat. Fornicatio, Immunditia, Contentiones, Amulationes, Ira, Dissensiones, Sectae, Invidia, Homicidia, Ebrietates, Comestiones, & his similia: *Qui talia agunt, regnum Dei non assequuntur.* Tertia est, si aliqua peccata sunt contra graves virtutes, vel contra praecpta Decalogi, vel Ecclesiae; aut si graviter prohibeantur, puta, In virtute Sanctae obedientiae, vel sub interminatione gravis censurae. Quarta, si Ecclesia declaravit aliquod peccatum esse de se mortale, ut in quadragesima ex proscriptis thesibus ab Alex. VII. declaratur de osculo habito ob delectationem carnalem, & sensualem. Quinta, si ita communiter viri docti sentiant.

IV. Quiritur nunc primo; Quae ratione quod est ex genere suo mortale, possit per accidens in veniale transire?

Respondeo, pluribus de causis id posse



posse accidere: Primo quidem ex deliberatione, seu advertentia imperfecta, hoc est ex actu imperfecto intellectus non plene advertentis ad objecti malitiam; ut accidit in semidormiente, & in distracto in alias cogitationes, necnon in invincibiliter ignorante malitiam gravem actus. Secundo, ex imperfecto consensu, quando scilicet voluntas veluti per surreptionem, & non ex toto corde objectum illud amplexatur; Etenim in nobis dantur quidam motus voluntatis erga objectum, qui dicuntur primo primi, qui scilicet rationem omnem prævertunt, nec possunt a voluntate cohiberi, & isti nullo pacto sunt liberi, & sic ne venialiter quidem peccaminosi; Dantur etiam alii motus, qui dicuntur secundo primi, quos impedire quidem possumus, sed sub semiplena, & imperfecta libertate; & isti quando sunt circa objectum malum, sunt venialiter tantum peccaminosi ex imperfectione consensus; Dantur denique motus deliberati, & perfecti, qui sunt plene liberi; & isti quando versantur circa objectum graviter malum, sunt mortaliter peccaminosi. Tertio, peccatum ex genere suo mortale transit in veniale ex parvitate materiæ; ut si quis carolenum furetur a divite. Quarto, ex alia causa excusante, puta si quis ex ignorantia invincibili, aut leviter culpabili putet esse veniale, quod est mortale; Vel si quis necessitate ductus cooperetur materialiter cum peccato alterius; verbi gratia, locando domum meretrici, dummodo necessitas leviter distet ab ea gravitate, & proportione, quæ requiritur ut possimus cum tali peccato cooperari.

V. Dubium tamen est primo; Quomodo cognosci possit, an peccatum aliquod sit commissum cum imperfecta solum advertentia, seu deliberatione, aut consensu?

Respondeo, apud Sanch. lib. 1. cap.

1., Pal., & Tambur., has regulas assignari; Primo, si animum firmum habeas, & sæpe repetitum nunquam committendi mortale, itaut nunquam, aut fere nunquam in mortale incidaris, præsumere potes in tali casu te non plene consensisse. Secundo, si statim ac advertisti ad malitiam objecti, actum retractasti. Tertio, si dubites, an perfecte e somno fueris excitatus, vel distractionem mentis aliud cogitantis excusseris. Ex his, & similibus conjecturis regulariter deducere probabiliter possumus, non adfuisse perfectam libertatem, & consequenter nec mortale.

VI. Dubium est secundo; An si quis plene advertat ad malitiam alicujus objecti, præscindat tamen, an sit mortalis, vel venialis, puta in perjurio, mendacio, &c. peccet mortaliterne, an solum venialiter ea committendo?

Respondeo, Navar., Valent., & alios putare, quod solum venialiter; quia non relucet materia gravis: Vasq. vero, Azor., Sanch., Rodriq. apud Bonac., quod mortaliter; quia exponit se periculo amplectendi malitiam gravem. Equidem censeo cum Joan. Sanch. apud Tambur., pueros, & rudes plerumque solum peccare venialiter. Ratio est, quia ex una parte non advertunt ad obligationem examinandi gravitatem culpæ, ne se exponant periculo committendi mortale; ex altera parte apprehendunt malitiam quandam indeterminatam, seu communem veniali, & mortali; malitia autem, quæ est communis utrique, non potest esse gravis; ergo non graviter peccant: Quod etiam aliquando in subitis casibus accidere potest doctioribus; quamvis universim docti graviter peccent, quia plerumque advertunt ad gravem obligationem examinandi, num malitia illa sit gravis.

Probabilis etiam est opinio Th. Sanch., & Pal., qui docent, ut plurimum do-



doctiores peccare mortaliter, vel venialiter juxta gravitatem objecti; idque praesumendum esse, quia saltem virtualiter apprehendunt objectum, & ejus malitiam sub ea gravitate, vel levitate culpae, quam habet illud in se.

VII. Dubium est tertio; An quodlibet peccatum ex genere suo mortale possit ratione parvitas materiae per accidens transire in veniale?

Respondeo negative; quando enim eadem gravitas offensae, & malitiae reperitur tam in materia magna, quam in parva, tunc etiam in modicissima quacumque materia committitur peccatum grave: Exempli gratia, quia eadem gravis deformitas habetur, si vendatur res sacra gravis pretio magno, sive parvo, necnon sive juretur falso in materia gravi, sive in levi; idcirco in Simonia, & in perjurio non datur parvitas materiae: Multi autem alii casus a Doctoribus enumerantur, in quibus non datur parvitas materiae; Primo, in odio, & contemptu directo Dei; Sicut etiam in blasphemia, & in peccatis contra fidem, & spem theologicam. Secundo, in perjurio assertorio, non tamen in promissorio, aut in voto. Tertio, in magia, & superstitione, quae fit cum pacto expresso cum demone. Quarto, in delectatione libidinosa deliberate quaesita. Quinto, in irritatione Sacramentorum, in fractione sigilli Sacramentalis, & in jejunio naturali ad Eucharistiam requisito. Sexto, in aetate requisita ad Ordines suscipiendos, vel ad professionem, & in similibus casibus, ut videre est apud Dian. part. 5. tract. 5.

VIII. Dubium est quarto; Unde sit mensuranda hac in re materiae parvitas, vel magnitudo?

Respondeo cum Tambur. lib. 1. cap. 1. §. 2., attendendam quidem esse ex ipsa re tum absolute spectata, tum etiam comparative ad totum, quod

praecipitur; sed principaliter mensurandam esse ex fine, propter quem praecipitur. Verbi gratia, dum quaeritur an sit materia parva labor unius horae die jejunii, vel comestio unius unciarum die jejunii, vel omisio unius psalmi in recitandis horis; consideranda sunt haec tum secundum se, tum in ordine ad totum, sed principaliter in ordine ad finem intentum; Aliquando enim quod est modicum comparative ad totum, secundum se spectatum est magnum; Sicuti etiam si spectetur relate ad finem, ad quem praecipitur; & ideo materia illa dicitur gravis: Verbi gratia, si voveris dare centum aureos, & des tantum nonaginta, decem, qui supersunt, sunt materia gravis, non quidem relate ad totum, sed secundum se, & relate ad finem voti, qui est sublevatio pauperis: Eodem modo communiter docent, omittere Vesperas Sabbati Sancti esse mortale, quia licet illa pars sit modica tam secundum se, quam relate ad totum officium; non est tamen modica relate ad finem cultus Divini pro illa hora. Est etiam mortale, si quis furetur acum Sutori pauperi, qui illius usu sustentatur, quia licet res illa sit modica, magna tamen est relate ad finem intentum a prohibente furtum; gravis enim damnificatio, & magna tristitia in Sutore sequitur ex illo furtulo: Contra tamen, si quis voveat recitare coronam ex sex decenariis, & omittat recitare duos decenarios, peccabit solum venialiter, quia quamvis haec non sit modica pars relate ad totum, est tamen modica secundum se; & fini intento, scilicet cultui Virginis, modice nocet.

IX. Ex dictis sequitur, quod si res aliqua sit modica tam secundum se, quam relate ad finem, tunc non sit capax praecipiti gravis; Unde si Praelatus praecipiat in virtute Sanctae Obedientiae, vel sub poena excommunicationis,



tionis, aut si quis vevat recitare salutationem angelicam, non proferre verbum otiosum, &c. non peccet graviter, si id non faciat: Quod si res præcepta secundum se levis, sit gravis relate ad finem, erit capax præcepti graviter obligantis; Et talis fuit res præcepta Adamo, & Evæ, ne comederent fructus ex illa arbore: Quare si ob indecentiam Prælati sub excommunicatione præcipiat, ne Clericus, exempli gratia, deferat per vias biretum lineum album, quamvis materia sit levis, ob finem tamen gravem tale præceptum graviter obligabit.

X. Quod si dubitetur, an res levis præcepta graviter conducatur ad finem, Sanch., & Pal. apud Tambur. loc. cit. & communius docent, præsumendum esse, quod finis sit gravis, atque adeo quod detur obligatio gravissima; tum quia possessio stat pro lege, quæ certo adest; tum etiam quia communiter contingit, quod Superiores prudentes, qui maturo consilio aliquid leve præcipiunt sub gravi, non decipiantur. Verum ipse Tambur. cap. 3. §. 7. num. 10. putat, in tali casu posse probabiliter judicari, quod finis sit levis, atque adeo quod non detur obligatio gravis, quia donec constet materiam esse capacem obligationis gravis, non constat de constitutivo legis, & obligationis gravis, atque adeo prævalet libertas, quæ stat in possessione: Sicuti enim si dubitetur an præceptum obliget sub gravi, vel sub levi, præsumendum, quod obliget sub levi; ita si dubitetur an materia levis præcepta ordinetur ad finem gravem, præsumendum, quod non ordinetur ad finem gravem, quia in utroque casu possidet libertas; dummodo bene id perpendatur, consulendo Doctores, & libros, num res præcepta levis graviter ad finem suum conducatur, & adhuc dubium remaneat.

Pars II.

XI. Quæres secundo; Quanam ratione quod est ex genere suo veniale, possit per accidens in mortale transire?

Respondeo cum Bonac. disp. 2. quæst. 3. punct. 5., multipliciter id accidere posse. Primo, ratione finis mortalis; Verbi gratia si quis mentiatur ad fornicandum, tale mendacium erit mortale, quia actus specificatur a fine; Et eodem modo veniale transit in mortale ratione ultimi finis in eo positi; si scilicet quis ultimum finem in eo constituat, seu si quis adeo amet veniale, ut etiamsi esset mortale, illud non odio haberet: Quoniam autem in tali casu plus appetitive amatur talis res, quam Deus, qui est noster ultimus finis, ideo dicitur veniale in tali casu evadere mortale ratione ultimi finis in eo constituti.

XII. Secundo transit veniale in mortale ratione specialis contemptus; quando scilicet contemptus est causa, cur violetur præceptum leve, & Legislator spernatur, nolendo se subicere ejus auctoritati rem illam levem præcipienti. Ubi notandum, aliquando contemptum esse rei levis præceptæ, aliquando vero ipsius Legislatoris; Si quis venialiter peccet, verbi gratia mentiatur, ex contemptu rei levis præceptæ, quatenus putat rem illam non esse tanti faciendam; dico cum Laym. contra Sanch. apud Tambur., quod peccet solum venialiter, nisi talis contemptus redundet etiam in Legislatorem, videlicet putando, aut illum non habere potestatem prohibendi mendacium, aut male uti ea potestate, vel nolendo se subicere ejus potestati: Si quis vero violet præceptum in materia levi, non quidem ex contemptu rei levis, sed ex contemptu Legislatoris, subdistingendum est; Nam si contemnatur Legislator formaliter, quatenus Legislator est, hoc est spernendo ejus potestatem, qua-

B

qua-



quasi esset nullius momenti, semper est mortale; Si vero contemnatur Legislator materialiter, quatenus scilicet est vir imprudens, & indiscretus, est solum veniale: Sicuti etiam si quis transgrediatur præceptum leve Superioris humani, ne illum in ea re levi solatio afficiat.

Ex quibus sequitur, quod qui ex contemptu peccat mortaliter, verbi gratia furando, duo peccata committat aperienda in confessione, alterum furti contra iustitiam, alterum contemptus; qui est vel contra obedientiam, si spernat Legislatorem qua talem, nolendo se ejus potestati subicere; vel est contra religionem, si spernat Legislatorem materialiter, seu ut imprudentem, & inutiliter prohibentem furtum.

Tertio, veniale transit in mortale ratione proximi periculi incidendi in mortale; ut si quis dicat verbum otiosum feminae, advertens ex simili occasione saepe alias lapsum esse in delectationem veneream. Ratio doctrinae est, quia *Qui amat periculum, peribit in illo*: Fieri etiam potest, ut aliquando venialia ratione frequentiae disponant proxime ad mortale; & in tali casu ipsa frequentia venialium est mortalis, quando tale periculum advertitur. Hinc Sanch., & Bonac. contra Pal., Sal., & Tambur. docent, peccare mortaliter, ratione periculi proximi incidendi in mortale illum, qui statuit in corde suo nullum veniale vitare; juxta illud Ecclesiast. *Qui spernit modica, paulatim decidet*.

XIII. Quarto, ratione conscientiae erroneae; ut si quis putans esse mortale mentiri, adhuc mentiatur. Quod si quis haberet conscientiam perplexam, putando scilicet utramque partem contradictionis esse peccatum, verbi gratia, & quod sit peccatum relinquare infirmum ad audiendum sacrum, & quod sit peccatum omitte-

re Sacrum, ne relinquatur infirmus; in tali casu tenetur inquirere, quid potius agendum, & ponere debet quod dictamini rationis representatur esse minus malum. Quod si nequeat id discernere, potest facere quodcumque libet, cum non detur libertas ad utrumque omittendum: Et quamvis putet se peccare, si alterutrum faciat, vere non peccat, quia peccatum non sequitur ad iudicium intellectus, sed actum voluntatis; Quis enim dixerit, quod peccet, qui verbi gratia detentus in carcere existimat se peccare, si non audiat Sacrum, quod audire non potest? Contra vero peccaret verbi gratia ægrotus, si putet se peccare omitendo sacrum, cum liber sit ad illud audiendum, quamvis cum impendio sanitatis, & vitæ.

Quinto, ratione scandali; Verbi gratia, si quis loquatur turpia aut intendendo ruinam proximi; (quod dicitur scandalum directum) aut providendo, quod ex tali suo peccato facile alii in mortale lapsuri sunt; (quod dicitur scandalum indirectum, seu indirecte volitum) Et sane si quis loquatur turpia, exempli gratia, intendendo ruinam proximi, videlicet intendendo, ut proximus in fornicationem adducatur, duplex peccatum committit in confessione aperiendum, alterum contra castitatem, quæ obligat etiam, ne proximum in fornicationem adducamus; alterum vero contra charitatem intendendo ruinam, seu peccatum proximi. Quando vero scandalum est solum indirectum, putat Lug. contra Sanch., Vasq., & Con. apud Tambur. in Methodo Confessionum. lib. 2. cap. 1. §. 17., quod non sit necesse in confessione explicare speciem peccati, ad quam proximum induxeris, sed satis sit dicere, quod pravis verbis, vel pravo exemplo induxeris proximum in peccatum mortale, non explicando, verbi gratia, adul-



adulterium, immo nec explicando conditionem personæ inductæ ad peccatum, num scilicet fuerit Sacerdos, vel conjugatus, qui in adulterium inductus est. Ratio est, quia tale peccatum est solum contra charitatem, non contra alias virtutes, quæ solum videntur obligare, ne positive inducamus alios ad peccandum contra illas, & ne intendamus nostris verbis, aut exemplis alios ad id inducere, non vero obligant, saltem graviter, ad impedienda vitia contra tales virtutes in aliis: Aliter qui verbi gratia prævident ex sua intemperantia alium inducendum esse ad furtum, peccarent contra iustitiam, & tenerentur ad restitutionem, quod nemo dixerit.

Ultimo, veniale transit in mortale per additionem materiæ; ut si quis habeat animum furandi carolenum a divite, & deinde pluries carolenum furetur. Ubi notandum, nunquam plura venialia pertingere ad mortale, nisi materiæ leves possint in unam gravem coalescere: Verbi gratia, qui sæpius comedit die jejunii materias leves, peccabit graviter, quia materiæ illæ leves conflant deinde unam gravem: Contra tamen, qui vovit recitare singulis diebus salutationem angelicam per annum, ita ut vota singulis diebus sint affixa, si id omittat, non peccabit graviter, quia ea non videntur per modum unius, quo pacto vovetur rosarium; & ideo omittens rosarium, quod vovit, peccat mortaliter. Eodem pacto non peccat mortaliter, qui singulis diebus festis per annum laborat uno quadrante, nec qui est causa, ut centum personæ eodem die festo laborent uno quadrante, cum istæ materiæ leves non coalescant in unam gravem: Quæ fufius explicavimus in expositione thefis 29. ab Alex. VII. proscriptæ, quæ habet: *In die jejunii qui sapius modicum quid comedit, nisi notabilem quantitatem in fi-*

*ne comederit, non frangit jejunium.*

## ARTICULUS III.

Quinam ad præcepta teneantur?

- I. *Non est idem lege non obligari, & a lege excusari.*
- II. *Pueri nulla lege obligantur ante rationis usum: Postea vero legibus etiam Ecclesiasticis tenentur, præterquam Jejunii, & Communionis, quamvis ante pubertatem poenas Ecclesiasticas non incurrant.*
- III. *Num possint pueri Divinis assistere in loco interdicto, aut introduci in Monasteria Monialium?*
- IV. *Quid si dubitetur, an usum rationis adepti sint?*
- V. *Quibus legibus teneantur Infideles, Amentes, Ebrii? Num amentes equiparentur infantibus?*
- VI. *Nec amentes, nec ebrii cogendi sunt ad Missam audiendam die festo: Possunt autem probabiliter amentibus & infidelibus die festo injungi opera servilia.*
- VII. *Quibus legibus teneantur Peregrini, & Vagi? Num licitum sit recedere a loco, ubi est dies festus, ad exercenda opera servilia? Num debeat tunc mane audiri Sacrum? Num liceat egredienti a loco, ubi jejunatur, mane sumere jentaculum?*
- VIII. *Probabiliter Peregrini non tenentur, secluso scandalo, legibus loci, ubi brevi morantur; (nisi eadem sint leges in proprio domicilio) tenentur tamen iis Vagi.*
- IX. *Leges autem juris communis servare tenentur peregrini, quamvis in Patria essent abrogata.*

I. **P** Rænotandum, aliud esse lege aliqua non obligari, aliud vero a legis alicujus transgressione excusari; nam, verbi gratia, infideles



non tenentur lege jejunii Ecclesiastica, aegrotus vero tenetur, esto ratione aegritudinis ab ejus transgressione excusetur: Pariter Peregrini juxta probabilem opinionem non tenentur legibus loci, ubi versantur; Incolae vero excusantur, si legem loci ignorent. Examinandum nunc, an praeceptis Decalogi teneantur etiam Pueri, Ebrii, Amentes, Infideles?

II. Quæritur primo, an pueri teneantur legibus, quibus tenentur adulti?

Respondeo, Pueros ante usum rationis nulla lege Divina, vel Naturali, vel Humana teneri: Ratio est, quia cum non sint capaces usus rationis, nec possunt esse capaces vinculi legalis, quod ratione utentibus imponitur. Nihilominus ubi ad usum rationis pervenerint, (quod plerumque fit septennio completo) tenentur legibus etiam Ecclesiasticis, præterquam jejunii, & Communionis, de quibus suo loco, ut communiter docent apud Sanch. lib. 1. cap. 12. contra Sotum, qui putat ante duodecimum annum pueros non teneri ad præcepta Ecclesiastica, & ad annuam confessionem. Verum quamvis ante duodecimum annum non soleat Ecclesia punire pueros censuris; immo Sà, Fagund., & alii apud Tambur. in Methodo Commun. cap. 4 §. 2. putant, decisum esse in cap. 1., & 2. *De delictis puerorum*, quod nullam pœnam Ecclesiasticam latam a jure, vel ab homine incurrant pueri ante pubertatem; at si peccent mortaliter, obligatos esse ad confessionem annuam, constat ex cap. *Omnis utriusque sexus*: Ubi tamen ex contextu habetur, annos discretionis diversimode requiri ad confessionem, & ad Communionem.

III. Hinc docent Cordub., & Sanch. loc. cit., quod pueri doli capaces non possint Divinis assistere in loco interdicto, quia subjacent præceptis

Ecclesiæ: Contra tamen pueri nondum doli capaces possunt iis admitti, sicuti etiam amentes rationis usu omnino destituti; quia sola assistentia moralis, & humana videtur interdicta: Non possunt tamen in loco interdicto sepeliri, quia locus interdictus nullum cadaver admittere potest, ut notat Suar. de Censuris disp. 35. Et ratio a priori est, quia prohibitio sepulture Ecclesiasticæ tempore interdicti immediate cadit in sepelientes, non in cadavera sepelienda. Præterea putat Sanch. lib. 6. cap. 16. cum aliis, posse licite in Monasteria Monialium introduci pueros nondum doli capaces; quia Trident. sess. 24. cap. 5. dum prohibet, ne ullus admittatur cujuscumque conditionis, sexus, vel ætatis, habet pro fine, ne pax Monialium perturbetur, ac ne ad peccandum incitentur; unde infantes videntur posse admitti; non tamen amentes, qui ad peccandum incitare possunt. In Synodo tamen Neapolitana prohibetur sub pœna excommunicationis, ne per Rotas, aut alia via introducantur in Monasteria Monialium infantes, sive masculi, sive feminae, etiam minores septennio, quamvis non extrahantur a Rota, sed in ipsa remaneant ex parte clausuræ.

IV. Rogabis, si dubitatur an aliquis puer adeptus sit usum rationis, licebitne huic, quæ licent pueris ante usum rationis?

Respondeo, licere, si nondum septennium compleverit, secus vero non licere; cum enim per illud tempus advenire soleat usus rationis, in dubio præsumitur ante illud tempus non advenisse.

V. Quæritur secundo; An ebrii, amentes, & infideles teneantur legibus communibus?

Respondeo certum esse, quod infideles teneantur solum legibus naturalibus, & Divinis, non vero Ecclesia-



ficis; unde ante baptismum possunt die veneris carnes comedere; & sine culpa possunt a fidelibus carnes illis ministrari. Peccant tamen omittendo baptismum, quippe quod a Deo præcipitur; sed probabiliter non peccant omittendo sumptionem Eucharistiæ a Christo Domino præceptam; quia probabiliter hæc non præcipitur, nisi baptizatis, seu ex suppositione Baptismi suscepti.

Certum etiam est, quod amentes, qui aliquando habuerunt usum rationis, obligentur legibus communibus; quamvis ratione amentia excusentur in ea materia, in qua non sunt sui compotes, non secus ac ignorantes legem, vel dormientes; Et idem dicendum de ebriis: Qui vero ita sunt amentes, ut nunquam habuerint usum rationis, probabiliter ex Sanch. lib. 1. cap. 12. obligantur, quamvis excusentur; nec æquiparantur infantibus, qui simpliciter non obligantur. Ratio est, quia infantes per se carent usu rationis; amentes vero per accidens, sicut ebrii: Quare sicut catulus, verbi gratia, ante nonum diem non dicitur cæcus, sed dicitur non videns, quia per se illo tempore est incapax visus; at si post nonum diem non videat, dicitur cæcus; Ita qui post septennium caret usu rationis propter demerentiam, vel ebrietatem, dicitur excusatus a legum observantia, non vero non obligatus.

VI. Dubium est; An curam gerentes amentium, & infidelium teneantur eticere, ut sacro intersint die festo, & ab opere servili abstineant, necnon ut jejurent, &c.?

Respondeo, omnibus amentibus tum ex consuetudine introducta, teste Azor., tum ne in deteriore statum amentia decidant, posse ministrari cibos vetitos, ut docet Sanch.: Ebriis tamen ministrari non possunt, cum iis non indigeant. Præterea nec amentes,

nec ebrii cogendi sunt ad assistendum Sacro; quia non possunt assistere moraliter, & humano modo, prout præcipitur; Qui tamen sunt semifatui, nec in iis, quæ ad Missam pertineant, desipiunt, proculdubio debent Sacro interesse.

An autem amentibus, sicut & infidelibus injungi possint opera servilia die festo? Sanch. promisit materiam hanc se discussurum in tertio Decalogi præcepto, quod morte præventus non typis excudit.

Tambur. tamen lib. 4. cap. 3. recum Theologis discussa putat cum Dian. part. 5. tract. 14. resol. 7., & Laym. contra Fernand. licere. Ratio est, quia infideles non tenentur legibus Ecclesiasticis; Amentes vero, vel quia nullo præcepto tenentur, ut multi probabiliter putant contra Sanch., vel quia, ut notat Laym., opera servilia prohibentur dumtaxat iis, qui humano modo, & utiliter tale præceptum implere possunt, non secus ac præcipitur assistentia missæ; ideo amentes, & ebrii sicut non sunt cogendi ad missam audiendam, ita possunt opera servilia exercere, & possumus ea illis injungere, non secus ac animantibus. Non possunt tamen ebrii, & amentes induci ad blasphemandum, verbi gratia, vel fornicandum, quia vere iis legibus tenentur, quamvis per accidens excusentur a peccato, si sponte blasphement; nec enim potest inducere positive alium ad transgrediendum præceptum, quo obligatur, quamvis per accidens hic, & nunc excusetur: Exempli gratia, si quis ignoret esse hodie festum diem, non possum positive inducere illum ad laborandum, quamvis non teneat sub mortali monere illum de die festo, ne laboret, sed solum sub veniali ex virtute misericordiae, quæ dicitur docere ignorantes.

VII. Quæritur tertio; An Peregrini,



ni, & Vagi teneantur legibus sui domicili, vel loci, ubi degunt?

Respondeo, certum esse primo, quod si leges domicili, & loci, ubi degunt, sint eadem, peregrinus iis legibus teneatur; hoc enim communiter Doctores docent ex usu communi rationabiliter introducto.

Secundo, etiam communiter cum Sanchez lib. 1. cap. 12. contra Leonardum docent, quod vagi teneantur legibus, & consuetudinibus illius loci, in quo etiam obiter degunt. Ratio est, quia cum nullum peculiare domicilium habeant, sortiuntur illud in loco, ubi habitant; aliter essent liberi ab omnibus legibus Episcopalibus, & Municipalibus, quod videtur absurdum.

Tertio, certum est, peregrinos, & vagos, ad vitandum scandalum, si quando oriretur, teneri ad observantiam legum tam domicili, quam loci: Ex naturali enim lege quilibet tenetur vitare scandalum. Notandum demum, peregrinum non esse, qui alicubi habitat animo ibi permanendi per majorem anni partem; hic enim dicitur esse habitator, etiam si postea mutet animum permanendi; atque adeo a primo die tenetur legibus loci, tanquam civis, utpote habens ibi quasi domicilium; non enim requiritur, quod habeat domicilium, (seu quod habitet ibi animo permanendi perpetuo) ut legibus loci teneatur.

Dubium itaque solum est primo; an Peregrini teneantur legibus sui domicili, si sint diversa a legibus loci, ubi degunt? Verbi gratia, an teneantur ad jejunium, vel ad servandum festum proprii domicili?

Respondeo cum Sanch. loc. cit., Suar., Sa, Rebel. probabilius esse, quod non teneantur; quia leges, & consuetudines locales respiciunt directe, & per se territorium, illique sunt affixæ, nec ligant personas, nisi

dum in eo territorio versantur. Idque verum est, etiam si leges sint juris communis, & in aliquo loco sine abrogata; Unde potest vesci intestinis animalium, qui transit per Castellam, juxta usum illius loci; sicut etiam quilibet potest Mediolani vesci cibis Paschalibus primis quatuor diebus Quadragesimæ.

Hinc sequitur primo, quod possit aliquis recedere a proprio loco, ubi est dies festus, adeundo locum, ubi non est festus, ad exercenda opera servilia, etiam si noctu redeat ad proprium locum. Immo probabiliter docet Sanch. cum Suar., quod in tali casu egrediens e suo loco non teneatur ante egressum audire missam, dummodo ante ultimam missam, hoc est ante meridiem, perveniat ad locum, ubi non est festum. Ratio est, quia tunc solum tenetur quilibet prevenire mane auditionem missæ, quando reliquo tempore est impediendus, non vero quando intra præcepti tempus est eximendus ab illo.

Sequitur secundo, quod qui mane proficiscitur ex Oppido, ubi non jejunatur, perventurus meridie ad domicilium suum, ubi jejunatur, possit mane carnibus vesci; ita tamen, ut ubi ad domicilium suum pervenit, abstineat a carnibus; possit tamen pluries comedere, si carnes prius comederit, quia jam est liber a jejunio: Quod si vice versa proficiscitur ex proprio domicilio, ubi jejunatur, certo perventurus ad locum, ubi non jejunatur, potest mane jentaculum sumere; non tenetur enim eo die lege jejunii, cum possit vespere carnes comedere.

Docent tamen nonnulli, non esse licitum proficisci in ea loca in fraudem jejunii, aut alterius præcepti. Sed hanc limitationem improbant Sanch., & Suar., quia hæc non esset proprie fraus, sed fuga præcepti, quæ non



non prohibetur; non enim fraudem committit, qui utitur jure suo.

VIII. Dubium est secundo; An saltem peregrini teneantur legibus loci, ubi degunt?

Respondeo cum Sanch. certum esse, quod teneantur servare tum leges contractuum, quod jure communi cautum est, (dempto contractu dotis, qui ineundus est juxta leges domicilii viri) tum etiam leges, quarum transgressio cederet in peculiare illius Oppidi damnum; ut si prohibeatur extractio tritici, vel mercium. Sed an festa, jejunia, & alia hujusmodi teneantur servare, dubium est apud Doctores. Probabilius censeo cum Sanch., Tolet., Azor. contra Suar., & Sà, quod non teneantur. Ratio est, quia ad obligandum legibus requiritur jurisdictio; hæc autem non habetur erga peregrinos, qui ex brevi mora in aliquo loco non fiunt subditi; Unde nequit Episcopus illis ministrare Sacramenta, (præter Confessionem, & Communionem, idque ex tacita proprii Episcopi licentia) nec potest cum eis dispensare; ut communiter Doctores docent: Quænam autem dicatur brevis mora, examinabimus cum de præcepto audiendi missam.

Neque dicas, quod Episcopi soleant punire peregrinos non servantes leges loci: Nam vel puniunt, quia Episcopi sequuntur opinionem contrariam valde probabilem; vel quia peregrini non caute se gerunt vitando scandalum.

Neque dicas secundo, quod ex *Regulis juris in 6. Qui sentit commodum, debet & onus sentire*: Nam hoc est verum, quando onus est necessario annexum commodo; sicut fructibus beneficii annexa sunt onera beneficii: in casu autem nostro onus non est necessario annexum commodis peregrinorum: Sic Novitii gaudent multis privilegiis regularibus, nec eorum

praeceptis ligantur.

Neque dicas tertio, quod peregrini eximerentur legibus omnibus municipalibus, quod videtur absurdum, ut diximus de vagis; Nam hoc erit per accidens in peregrinis; & eo solum brevi tempore eximerentur, quod dicuntur esse peregrini; quod non accidit in vagis, qui semper eximerentur.

IX. Notandum tamen, quod si leges loci, ubi degunt peregrini, sint juris communis, teneantur eas servare, quamvis in proprio domicilio sint abrogatæ: Unde Mediolanensis tenetur jejunare primis quatuor diebus Quadragesimæ, si Neapoli transeat; & Castellanus tenetur die Sabbati abstinere ab intestinis animalium, si Neapoli sit peregrinus. Ratio discriminis est, quia in hoc casu condens jus commune habet jurisdictionem in omnes, & omnes obligat; nec aliquis excusatur, nisi ex eo, quod sit in loco, ubi lex illa abrogata est: Contra vero condens leges municipales jurisdictionem non habet in peregrinos; unde illos non obligat.

Dubium est tertio, Cujusnam Parochiæ legibus teneatur, qui ex æquo in duplici Parochiâ habitat, itaut sit utriusque Parochianus?

Respondeo, teneri legibus, & consuetudinibus ejus Parochiæ, in qua de facto habitat, quia tunc censetur ejus incola: Quod si in alteram per breve tempus adveniret, non teneretur ejus legibus, quia reputaretur peregrinus, & hospes.

#### ARTICULUS IV.

De Intentione requisita ad observantiam præceptorum.

- I. *Ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio ponendi opus injunctum.*
- II. *Præcepto jejunii non satisfacit, qui*



*invitus abstinet cibo.*

- III. Satisfacit tamen præcepto restitutionis, qui pravo sine restituit; Et qui invitus restituit, licet præceptum non impleat, non tenetur tamen iterum restituere.
- IV. Non requiritur ad satisfaciendum præcepto intentio satisfaciendi per opus, quod ponitur; Non enim imponitur obedientia formalis, sed materialis.
- V. Num satisfaciat debito iustitia, qui immemor debiti eleemosynam largitur?
- VI. Num præcepto, aut voto satisfaciat ponens opus præceptum, sed positive nolens per illud satisfacere?
- VII. Qui nolens satisfacere per opus præceptum, quod ponit, mutata voluntate, nolit aliud opus ponere, requiritur, quod velit per illud opus satisfacisse; an satis est, quod sciat se satisfacisse?
- VIII. Qui audit Sacrum præceptum nolens per illud satisfacere, nec volens aliud audire, non transgreditur præceptum Ecclesiasticum, sed naturale.

I. **D**uplex dari potest intentio, altera implendi præceptum, seu ponendi opus præceptum; altera satisfaciendi præcepto per illud opus. De utraque nonnulla quaerenda sunt. Quæritur primo; Utrum ad satisfaciendum præcepto requiratur intentio ponendi opus injunctum?

Respondeo cum communi affirmative; nec satis est ponere illud opus sine intentione ponendi illud: Quare qui, verbi gratia, in ebrietate, vel somno recitat officium, aut interest Sacro, non satisfacit præcepto: Et a fortiori qui invitus per defectum cibi jejunat sine animo jejunandi, non satisfacit præcepto jejunii. Ratio est, quia præceptum impleri non potest, nisi per actum humanum, & liberum,

quo homo velit exequi, quod præcipitur: Etenim lex imposta hominibus debet humano modo, non more brutorum impleri.

Confirmatur, quia lex non violatur, nisi per actum liberum, quo quis nolit ponere, quod præcipitur; ergo nec impletur lex nisi per actum liberum, quo quis velit ponere, quod præcipitur; & consequenter sicut non violat legem jejunii, qui invitus comedit, ita nec legem jejunii implet, qui invitus jejunat.

II. Ex quo sequitur, ut notat Sanch. lib. 1. cap. 13., recitantem attentissime horas Canonicas ex sola intentione legendi, vel addiscendi non satisfacere recitationi horarum: Nec satisfacit obligationi audiendi Sacrum, qui in Ecclesia devotus persisteret coram celebrante, sed solo animo contemplandi Divina, & orandi, non animo audiendi Sacrum: Quamvis enim attentio ad orandum satis fit, ut satisfiat attentioni requisitæ ad audiendum Sacrum, ut suo loco dicemus, tamen si deficit intentio audiendi Sacrum, illud non dicitur audiri; Ita expresse Sanch. loc. cit.; quia opus præceptum debet impleri scienter, & cum voluntate ponendi illud.

Notandum tamen, quod si præceptum sit negativum, verbi gratia non comedendi carnes, ex doctrina Vasq. 2. 2. quæst. 100. art. 9. potest etiam a dormientibus impleri; quia tale præceptum impletur præcisè per non positionem rei prohibita. At non impletur ab invitis, ut ostendimus: Qui enim invitus a carnibus abstinet, non satisfacit præcepto, sicut nec satisfacit, qui invitus interest Sacro.

Quod si quis per metum gravem recitet horas, aut Sacro interfit, satisfacit præcepto; etiamsi peccet, si habeat animum non implendi præceptum deficiente metu. Ratio est, quia metus non tollit, licet minuat, voluntatem.



luntarium; unde qui per metum recitat horas, libere recitat, atque adeo præcepto satisfacit. Eodem modo famuli, vel pueri, qui audiunt Sacrum ex eo, quod comitentur Heros, vel Pædagogos, satisfaciunt præcepto, si debitam intentionem absolutam habeant audiendi Sacrum, etiam si haberent illam aliam intentionem peccaminosam conditionatam, Non audirem Sacrum, si non comiter herum, ut notant Suar., & Sanch. contra Divum Antonin.

Rogabis; An satisfaciat præcepto restitutionis, vel præcepto dandi elemosynam indigenti, qui invitus, vel ebrius, aut ignorans restituit, vel dat nummos pauperi?

Respondeo affirmative; his enim præceptis satisficit non solum ab ebriis, &c., sed etiam ab iis, qui pravo sine, verbi gratia, ob inanem gloriam, vel ad fornicandum restitunt, aut dant elemosynam. Et ratio ex Vasq. loc. cit. est, quia etiam iis astitibus tollitur materia, propter quam præcipitur restitutio, & elemosyna, videlicet retentio rei alienæ, & necessitas indigentis; Unde ea sublata cessat obligatio. Qui tamen invitus restituit, aut dat elemosynam, peccat quidem non implendo præceptum, sed exterius ita præceptum implet, ut non teneatur iterum restituere, aut elemosynam dare, cum cessarit obligatio, sublata materia, propter quam talis obligatio fuit imposita: Quare qui sic satisfacit huic præcepto, revera præceptum non implet, sed non amplius illo obligatur.

IV. Quæritur secundo; An ad satisfaciendum præcepto requiratur intentio satisfaciendi per opus, quod ponitur?

Respondeo negative cum Sanch., Suar., Henr. contra Sylvest., Ledesm., Lopez. Ratio est, quia præcepta solum obligant ad ponendum voluntaria

Part II.

rie, & actu humano opus injunctum, non vero ut signate velimus per tale opus satisfacere præcepto; cum nulli talis obligatio inveniatur.

Confirmatur, quia talis intentio non requiritur ad satisfaciendum præceptis negativis, verbi gratia, non furandi, non occidendi, &c., ut adversarii etiam fatentur; nec ad satisfaciendum præceptis naturalibus, verbi gratia colendi Deum, honorandi parentes, &c., ut liquet; ergo neque etiam requiritur ad satisfaciendum præceptis positivis.

Neque dicas, præcepta obligare ad obedientiam, quæ non habetur, nisi adsit intentio satisfaciendi præcepto. Nam præcepta obligant tantum ad obedientiam materiale, non ad formalem, hoc est ad ponendum id, quod præcipitur, non vero ad ponendum illud, quia præcipitur.

V. Ex data doctrina deducunt aliqui cum Baldello apud Dianam p. 5. tr. 13. ref. 94., quod si quis debens centum Titio, immemor talis debiti donet illi centum, satisfaciat debito, itaut non teneatur dare alia centum. Et ratio videtur esse, tum quia si is fuisset memor debiti, non dedisset centum animo liberali, sed animo satisfaciendi; tum etiam quia quilibet habet intentionem interpretativam satisfaciendi prius debito justitiæ, quam dandi gratis. Et idem docent de eo, qui ignorans debitum largiendi elemosynam pauperibus, vel propter omissionem officii, (ut debent beneficiarii,) vel propter debita incerta, gratis elemosynam largitur, non animo satisfaciendi: Et quamvis ab Alex. VII. damnata sit propositio 33., quæ dicit: *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quaslibet elemosynas, quas ante beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.* Hoc putant intelligendum de elemosynis factis ante obligationem restitutionem.

C

tuen-



tuendi, non vero ab immemore post obligationem.

Verum hoc negant communius apud eundem Dianam cum Sanch. lib. 1. cap. 13., & Lopez. Ratio est, quia quamvis immemor debiti, quando dat eleemosynam, non daret illam animo liberali, si recordaretur debiti, tamen non est attendenda voluntas ista conditionata satisfaciendi, sed requiritur intentio absoluta, quae non habetur in casu nostro: Nec satis est ad operandum intentio interpretativa, sed requiritur intentio vel actualis, vel saltem virtualis. Verum quidem est, quod si quis immemor voti, quod habet, jejunandi, jejunet, satisfaciatur voto; sicut qui ignorans hodie esse diem festum, audit sacrum, satisfaciatur praecepto: At si ignorans se debere centum Titio, donet illi centum, non satisfaciatur debito: Disparitas est, quia donans sponte vult debitum ex iustitia prorogari, ut in quaesito sequenti explicabimus.

VI. Quaeritur tertio; an qui audit missam, verbi gratia, & positive non vult per talem missae auditionem satisfaciatur praecepto, adhuc satisfaciatur?

Respondeo, communiorem sententiam esse, ut notat Sanch., quod non satisfaciatur. Ratio est primo, quia actus non operantur ultra agentium intentionem, ex leg. *Non omnis, ff. Si certum petatur*. Secundo, quia si quis non vult audire Sacrum, cui assistit, vere non dicitur illud audire; ergo si non vult per Sacrum, quod audit, satisfaciatur praecepto, non satisfaciatur. Tertio, quia si debens centum Titio velit illi donare centum, & non satisfaciatur per illa suo debito, certe non satisfaciatur; ergo neque in casu nostro.

Verum idem Sanch. lib. 1. cap. 13. apud Tambur. lib. 4. cap. 2. docet, probabiliorem esse sententiam oppositam Suarii, Vasq., Valent., & aliorum, quod scilicet satisfaciatur. Proba-

tur, quia nemo potest transgredi praeceptum per hoc, quod nolit id, ad quod praeceptum non obligat; sed praeceptum, ut diximus qualitate superiore, non obligat ad habendam intentionem illi satisfaciendi, sed solum praecepit liberam, & humanam externi operis executionem; ergo non transgreditur praeceptum, qui non vult illi satisfaciatur, dummodo ponat opus iunctum; cum non sit in potestate nostra non satisfaciatur praecepto, quando exequimur id, quod praecepit. Quod patet in praecepto negativo: Etenim impossibile est, ut quis, verbi gratia, omittat furtum, & non satisfaciatur praecepto non furandi; quamvis dicat se nolle per omissionem furti satisfaciatur tali praecepto; propterea solum peccaret contra legem naturalem, si haberet hanc intentionem; ergo idem dicendum in praecepto positivo, verbi gratia audiendi sacrum.

Confirmatur, quia satisfaciatur praecepto audiendi Sacrum, qui illud audit ob vanam gloriam, vel ut inducat alium ad peccatum, &c.; ergo a fortiori, qui illud audit sine animo satisfaciatur per illud; cum possit sine peccato nolle satisfaciatur praecepto per talem auditionem Sacri, eo quod velit deinde aliud audire.

Ad rationes in contrarium facile respondetur. Et quidem ad primam dico, regulam illam habere locum, quando ex operantis intentione dependet implere praeceptum per illum actum; ut si quis debens centum Titio velit illi donare centum, & non satisfaciatur priori debito; in casu autem nostro non pender ex operantis intentione implere praeceptum per illam auditionem Sacri, ut ostendimus in probatione conclusionis. Ad secundam, negatur consequentia. Disparitas est, quia qui non vult audire Sacrum praeceptum, non vult exequi, quod praecepit, & sic non implet pra-



præceptum: Econtra qui audiendo missam non vult per illam satisfacere, vere exequitur, quod præcipitur; ergo vere satisfacit præcepto exercite, licet signate dicat se nolle satisfacere; Non secus ac qui signate dicit se nolle loqui, vere exercite loquitur. Ad tertiam, negatur etiam paritas; quia obligatio ex iustitia pendet ex contrahentium voluntate; unde si debens centum Titio donet illi centum nolens satisfacere debito iustitiæ, vult consequenter remanere illæsum jus ad centum, atque adeo per donationem illam non satisfacit debito: Contra vero obligatio præcepti pendet ab intentione Legislatoris, & ideo subditus non potest illam ad libitum prorogare.

Hinc sequitur probabile esse, quod qui voverit jejunium, & nolit per primum jejunium satisfacere tali voto, vere non satisfaciat, quia pariter obligatio voti pendet ab ipsius voventis voluntate; unde ad libitum prorogari potest, sicut debitum iustitiæ. At probabilius putat Sanch., quod per primum jejunium tali voto satisfaciat, etiam si nolit vovens satisfacere. Ratio est, quia votum, & juramentum obligant instar præcepti, idest solum ad substantiam operis promissi ponendam actu humano; Unde non est in potestate voventis non satisfacere voto, quoties vult exequi opus promissum: Et quamvis possit velle ad aliud jejunium se obligare novo voto; (sicut qui debens centum, si donet centum, vult ex iustitia obligari ad alia centum solvenda) tamen non intendit novum votum emittere per hoc præcipe, quod dicat nolle se priori voto satisfacere: Ad eum modum, quo qui jejunando votum implevit, & deinde proponeret idem votum implere per novum jejunium, non tenetur vi voti ad novum jejunium, nec tale propositum habet vim novi voti.

Hinc fit, quod si votum sit disjunctivum, verbi gratia, vel jejunandi, vel dandi eleemosynam, & vovens jejunet animo non satisfaciendi voto per jejunium, volens satisfacere per eleemosynam, hic post jejunium ad eleemosynam non tenetur, quia votum vere implevit; nec electio illa habet vim voti, ut notat Sanch. lib. 4. cap. 13.

VII. Rogabis: Qui interfuit Sacro cum animo non satisfaciendi præcepto per illud, volens deinde aliud audire, si mutato proposito nolit audire aliud sacrum, teneturne habere intentionem satisfaciendi præcepto per prius sacrum jam auditum? An vero satis est, quod sciat se jam satisfacisse præcepto per illud?

Respondeo cum Sanch. loc. cit. contra Suar., & alios apud Dian. part. 1. tract. 12. resol. 37. satis esse, quod sciat se jam satisfacisse; illa enim intentio satisfaciendi præcepto per sacrum jam auditum nullatenus requiritur. Ratio est, quia implere præceptum non debet esse actus obedientiæ formalis, qua quis velit signate obedire, sed satis est, quod sit actus obedientiæ materialis, qua quis libere ponat, quod præcipitur.

Sequitur hinc primo, quod qui immemor præcepti audit Sacrum, si postea recordetur præcepti, neque tenetur audire aliud Sacrum, neque tenetur habere intentionem satisfaciendi præcepto per Sacrum auditum; sed satis est, quod sciat se jam præcepto satisfacisse audiendo sacrum actu humano.

VIII. Sequitur secundo, quod qui audit sacrum animo non satisfaciendi præcepto per illud, & simul animo non audiendi aliud sacrum, vere præcepto positivo auditionis missæ satisfecerit, & solum transgressus sit præceptum naturale, quo tenetur quisque subiectus esse legi humanæ, & non contemnere Legislatorem.



## ARTICULUS V.

De Impedimentis non apponendis observantia Præceptorum.

- I. *Diversimode quoad hoc in diversis præceptis ratiocinandum; inspiciendo num præceptum rigidius obliget? Num impedimentum sit proximius? Num necessitas sit gravior?*
- II. *Quanam defatigatio impossibilis cum jejunijs liceat ipso die jejunii, aut pridie illius diei?*
- III. *Num tempore Interdicti privilegarius teneatur sacrum audire? Et detentus in carcere num teneatur uti licentia egrediendi ad sacrum audiendum?*
- IV. *Quandonam possit quis iter arripere prævidens, quod non possit deinde die festo sacrum audire?*
- V. *Teneatur excommunicatus tollere impedimentum excommunicationis, ut possit in Paschate communicare; non tamen ut possit die festo sacrum audire.*
- VI. *Præceptum non solum obligat ad non apponenda impedimenta, sed etiam ad ea etiam pridie removenda.*

I. **Q**uæritur, An possit quis licite ponere impedimenta, quibus præceptum implere non possit? Verbi gratia, an possit quis die jejunii licite vacare saltui, venationi, equitatu, &c., itaut ratione lassitudinis non amplius obligetur ad jejunium?

Respondeo cum Sanch. lib. 1. cap. 15., Merol., Pal. de Legibus, non posse eandem regulam in omnibus præceptis assignari: Aliqua enim præcepta obligant rigidius, ut præceptum audiendi sacrum; Aliqua benignius, ut præceptum jejunandi; Rursus aliqua impedimenta sunt magis proxima; ut projectio breviarii; Aliqua magis remota, ut quando iter inceptum im-

pedit jejunium; vel auditionem missæ: Aliquando etiam apponitur impedimentum ex majori necessitate, vel utilitate, aliquando ex minori; Et ideo in diversis materiis diversimode discurrendum, itaut in præceptis, quæ benignius obligant, possit licite apponi impedimentum vel remotum, vel ex gravi necessitate proximum: In præceptis vero, quæ obligant rigidius, non possit poni impedimentum proximum, vel remotum ex levi necessitate. Quod clarius apparebit discurrendo in aliquibus materiis controversis apud Doctores.

II. Primo itaque nonnulli cum Me. din. apud Sanch. contra communiorem opinionem docent, non peccare contra præceptum jejunii, qui libere se conjicit in impedimentum illius eadem die jejunii; Verbi gratia, si quis defatigetur venando, ludendo, querendo concubinam, &c.; dummodo hæc non fiant in fraudem jejunii, ut notat Bonac. disp. 2. quæst. 8.; quia scilicet præceptum jejunii tantum obligat, ne per se, & ex intentione fiat opus ipsi incompatible. Verum communius cum Less., Laym., Trull. lib. 1. in Decalogum cap. 2. dub. 7. docent, ea tantum licere tempore non multum proximo ipsi dici, quo præceptum urget; verbi gratia, si quis die antecedenti defatigetur venando: Quamvis Trull., & Ledesm. excusent eum, qui semel, vel iterum assumit pilæ ludum, exempli gratia, vel venationem, licet prævideat eodem die non posse jejunare; quia scilicet præceptum jejunii non videtur obligare cum tanto rigore ad abstinendum ab iis actionibus honestis.

III. Secundo dubitatur a Doctorebus; An habens Bullam Cruciatæ concedentem privilegium audiendi Sacrum tempore interdicti localis teneatur illud eo tempore audire?

Negant Avil., Con., Dian. part. 1. tract.



tract. 2. resol. 2., quia nemo cogitur uti suo privilegio. Sed probabilius affirmant Suar., Medin., Lug. de Euchar. disp. 22.; quia præceptum obligat, quoties non habes impedimentum legitimum, seu quando potes; sed qui habet privilegium audiendi, potest audire; ergo tenetur: Sicuti qui in carcere detentus habet licentiam a iudice adeundi Ecclesiam ad Sacrum audiendum, tenetur illud audire.

IV. Tertio ex Pal., Sanch., Tambur. lib. 4. cap. 2. §. 3., potest aliquis tempore remoto a die festo implicare se in aliquo negotio gravi, vel in aliquem locum distantem ab Ecclesia discedere, puta navigare, etiam si eo fine id faciat, ne teneatur audire sacrum; quia tunc præceptum non obligat, nec est in proximo, ut obliget; Unde potius esset effugere præceptum, quam ponere impedimentum præcepto; Non secus ac qui ad finem non jejunandi vel recedit a loco, ubi obligat præceptum jejunii, vel petit dispensationem: Contra vero non potest quis eodem die festo, vel tempore proximo ponere liberè hujusmodi impedimenta ad sacrum audiendum; quia qui obligatur ad finem, obligatur ad media, & ad non ponenda proxima impedimenta fini assequendo: Quare si quis vellet venatum ire paucis horis ante mediam noctem Sabbati, prævidens, quod die dominico non possit audire sacrum, peccat: Si vero venatum iret die Sabbati mane, probabiliter non peccat; quia præceptum audiendi Sacrum die dominico tunc non proxime urget, nec videtur tale præceptum tam rigide obligare ad tollenda impedimenta non adeo proxima.

V. Quarto, docet Tambur. in Meth. Commun. cap. 4. §. 4. num. 31. ex Suar., Avil., Lug. contra Henr., quod excommunicatus teneatur tollere im-

pedimentum excommunicationis, ut possit in Paschate communicare: E contra detentus in carcere non tenetur procurare excarcerationem, nec infirmus procurare sanitatem, ut possit eo tempore communicare. Disparitas est, quia excommunicatio directe, & per se obstat impletioni talis præcepti; carcer vero, & ægritudo obstant per accidens: Cum autem confessio, & communio maxime conferant ad salutem animæ, obligant ad removenda ea, quæ directe illis opponuntur, non vero ad removenda mala temporalia, quæ impediunt per accidens. Quod constat a posteriori, quia qui sunt timoratae conscientiae non multum sunt solliciti de procuranda excarceratione, & valetudine ad hunc finem, ut possint in Paschate communicare; Quamvis ex vi hujus præcepti teneantur tollere impedimenta voluntaria; verbi gratia tenentur non se vulnerare, inebriare, &c. Necnon impedimenta involuntaria, quæ facile tolli possunt, verbi gratia si facile ab amico posset obtineri excarceratio.

Quinto, ex Azor., Dicast., & aliis notat idem Tambur., quod excommunicatus non teneatur procurare absolutionem ab excommunicatione, ut possit audire sacrum die festo; teneatur vero, ut possit communicare in Paschate. Disparitas est, quia præceptum communionis rigidius obligat; tum quia est Divinum quoad substantiam; tum etiam quia præcipit res majoris momenti: Si quis tamen esset negligens in procuranda absolutione ad eum finem, ne teneatur audire sacrum, procul dubio peccaret.

VI. Sexto communiter apud Sanch. loc. cit. docent non solum non posse apponi impedimentum præcepto, sed etiam ex vi præcepti debere illud tolli die præcedenti; unde adituus tenetur templum verrere, altaria



taria ornare, hostias conficere pridie festi, ne ipsa festi die laboret.

### ARTICULUS VI.

De Ignorantia, Metu, & Dispensatione excusantibus a Præceptorum transgressione, ac de Impotentia excusante.

- I. Ignorantia præcepti, seu inadvertentia, si non sit graviter culpabilis, excusat, a gravi culpa legis transgressorem.
- II. Ignorantia vincibilis dividitur in affectatam, crassam, seu supinam, & levem. Præter ignorantiam vincibilem, seu consequentem, & invincibilem, seu antecedentem, datur ignorantia comitans, sive ea sit juris, sive facti, sive solius pœna.
- III. Ignorantia solius pœna excusat ab illa incurrenda, si hæc sit extraordinaria. Ab ea tamen non excusat ignorantia crassa, supina, & affectata.
- IV. Eiusdem speciei est peccatum commissum ex ignorantia culpabili legis, ac scienter commissum.
- V. Ignorantia, quæ est graviter culpabilis respectu juris Divini, & Naturalis, aliquando non est graviter culpabilis respectu juris humani, quod non obligat adeo stricte.
- VI. Ignorantia etiam crassa pœna non petendi debitum excusat ab ea incurrenda, utpote imposta contra scienter operantes.
- VII. Metus gravis non excusat a culpa, quando prohibetur res intrinsece mala, aut precipitur res ex se connexa cum vita periculo; secus vero si connectatur per accidens.
- VIII. Excommunicatus vitandus potest ad mortem declinandam celebrare; non tamen confessiones audire, & absolvere.
- IX. Num liceat ob metum gravem si-

mulare Matrimonium, illudque consummare?

- X. Num Carthusiani teneantur vesci carnis in extrema necessitate?
- XI. Qui non potest totum præceptum implere, tenetur ad partem, quam potest, si ea sit notabilis, & divina, & censeatur a Legislatore intenta.
- XII. Quandonam dispensatio obvenit excuset a præcepti transgressione?
- XIII. Num possit Episcopus in lege Pontificia dispensare in casu occurrenti, sive quia necessitas urget, sive quia dubitatur, an res indigeat dispensatione?

I. **Q**Uæritur primo; An ignorantia præcepti excuset a culpa transgressorem?

Respondeo, tam ignorantiam, quam inadvertentiam, seu oblivionem sive juris, sive facti excusare a culpa gravi; dummodo ignorantia non sit crassa, vel supina, vel affectata, vel notabilis, seu graviter culpabilis. Ita communiter cum D. Th. 2. 2. quæst. 76. Ratio est, quia quicquid omnino est involuntarium caret culpa; Atqui ignorantia invincibilis, si sit facti, reddit actum simpliciter involuntarium; (ut si quis volens occidere feram occidat hominem) Si vero ignorantia sit juris, reddit actum involuntarium, in quantum malum est, & prohibitum; ergo per talem ignorantiam tollitur omnis culpa: Si vero ignorantia sit culpabilis, procul dubio culpa non vacat; & quidem gravi, si ignorantia sit crassa, vel supina, vel affectata, vel notabilis.

Notandum itaque, ignorantiam dividi in Invincibilem, & Vincibilem. Ignorantia invincibilis (quæ etiam dicitur inculpabilis, iusta, probabilis, antecedens) dicitur, quoties quis vel non dubitat de malitia actus, itaut teneatur ad veritatem inquirendam; vel



vel si dubitat, adhibuit moralem diligentiam ad dubium deponendum: Contra vincibilis (quæ etiam dicitur culpabilis, injusta, improbabilis, consequens) habetur, quoties non est adhibita moralis diligentia ad tale dubium deponendum.

II. Præterea Ignorantia vincibilis, seu culpabilis dividitur in Affectatam, Crassam, vel Supinam, Notabilem, & Levem. Affectata est, qua quis data opera vult, seu affectat ignorare num actus sit malus, ne cogatur ab eo abstinere; ut si quis nolit scire, an hic liber sit prohibitus, ut possit illum liberius legere; unde dicitur Psalm. 35. *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Crassa, vel Supina dicitur, quando quis ignorat per meram negligentiam, quam pingues, & supini exercere solent. Notabilis dicitur, quando quis adhibet quidem aliquam diligentiam ad dignoscendum, num actus sit malus, sed non tantam, quanta moraliter requiritur ad assequendam veritatem, ut si quis ab indocto inquirat, an hic liber sit prohibitus. Levis dicitur, quando quis adhibet non aliqualem, sed notabilem diligentiam, non tamen quanta requiritur; ut si quis a mediocre docto inquirat de prohibitione hujus libri. Quinam autem gradus diligentia adhibendus sit in inquirendis obligationibus præceptorum, non est facile discernere: Certe major requiritur in iis, quæ sunt juris naturalis, quam positivi; Major, ubi agitur de damno tertii, quam ubi hoc non intervenit; Major, ubi agitur de vita, quam ubi agitur de re familiari. Demum datur ignorantia comitans, quando scilicet aliquis ita legem sive vincibiliter, sive invincibiliter ignorat, ut adhuc si illam sciret, vellet eam transgredi.

III. Quaritur secundo; An ignorantia pœnæ excuset ab illa incurrenda?

Respondeo cum Con., Suar., Avil. contra Covar., & Hurt. apud Leand. de Censuris quæst. 2. affirmative; ut fusc ostendimus cum de censuris in genere, loquendo tamen de pœna extraordinaria, seu quæ pendet a iudicis voluntate illam comminari; ut sunt Censuræ, Irregularitas ex delicto, prohibitio petendi debitum, & juxta non paucos, Reservatio casuum, &c. Ratio est, quia, ut quis hanc pœnam extraordinariam mereatur, debet delinquere contra legem comminantem illam; atqui quoties, verbi gratia, Petrus percutit Clericum ignorans legem imponentem pœnam excommunicationis, quamvis delinquat contra legem naturalem, non tamen delinquit contra legem humanam comminantem talem pœnam; ergo non meretur pœnam illam; Idque sive ignorantia sit juris, sive sit facti, sive sit solius pœnæ; ut si quis sciat prohibitam esse graviter rebaptizationem, sed nesciat impositam esse pœnam irregularitatis: Hæc tamen non militant in pœna ordinaria, seu debita culpæ ex natura sua; nam satis est cognoscere, quod culpa mereatur pœnam, & quod talis actus sit graviter culpabilis, ut qui talem actum operatur, mereatur pœnam inferni, quamvis infernum non cognoscat.

Notandum tamen, quod ignorantia crassa, supina, & affectata non excusat ab incurfione pœnæ, ut notat Merol. apud Tambur. Ratio est, quia talis ignorantia non excusat a culpa; ergo nec a pœna; Præsertim quia in Cap. *Ut animarum, de Constitution. in 6.* dicitur aperte, *Statutis Ordinarium non ligari ignorantes, nisi eorum ignorantia sit crassa, vel supina.* Verum si lex comminatur pœnam cum talibus formulis: Qui scienter, vel consulto; vel qui præsumperit, aut temerarius violator extiterit, &c., docent communiter Doctores contra Hurt.



Hurt., quod talis poena non incurra-  
tur ab eo, qui habet ignorantiam su-  
pinam, & crassam, sed solum ab eo,  
qui habet ignorantiam affectatam;  
quia haec aequiparatur scientiae, ex Cap.  
*Eos qui, de temporibus Ordination. in*  
6. Et ratio a priori est, quia, ut no-  
tat Sanch. lib. 1. cap. 13., Ignoran-  
tia supina, vel crassa minuit volunta-  
rium, & consequenter minuit pecca-  
tum: Contra tamen Ignorantia affe-  
ctata auget peccatum, ex D. Th. 1. 2.  
quaest. 76. art. 4.; praesertim si sit ad  
liberius peccandum; quia talis volun-  
tas continet majorem contemptum  
praeccepti, ut constat ex illis verbis  
impiorum Job. 21. *Recede a nobis,  
scientiam viarum tuarum nolumus.*

IV. Notandum secundo, ejusdem  
speciei esse tam peccatum commissum  
cum ignorantia culpabili legis, quam  
scienter commissum; nec esse expli-  
candum in confessione, quod quis,  
verbi gratia, omiserit jejunium praec-  
ceptum scienter, aut quod omiserit  
ex ignorantia legis graviter culpabili.  
Ratio est, quia, ut probabilius docet  
Sanch. loc. cit. eadem virtus, quae  
obligat, verbi gratia, ad jejunium,  
obligat etiam ad non culpabiliter om-  
mittendam notitiam talis legis; ergo  
ejusdem speciei, & malitiae est utrum-  
que illud peccatum: Sicut ejusdem  
malitiae est omisso jejunii praeccepti fa-  
cta ab ebricio voluntarie exponente se  
tali periculo, & a non ebricio volun-  
tarie illud omittente.

V. Notandum tertio ex eodem San-  
ch. Ignorantiam, quae esset vincibilis,  
& mortaliter culpabilis respectu juris  
Divini, & naturalis, non esse aliquan-  
do talem respectu juris humani, quod  
non obligat adeo stricte ad ignoran-  
tiam tollendam. Quare in praecceptis  
humanis quoties diligentia in inqui-  
renda veritate non est adeo modica,  
ut fere nulla reputetur, tunc ignoran-  
tia excusat a mortali, etiam si respe-

ctu praecceptorum naturalium, & Di-  
vinorum non excusaret.

VI. Ex dictis sequitur primo, igno-  
rantem poenam non petendi debitum  
impositam tam conjugibus cognoscenti-  
bus consanguineam sui conjugis in  
primo, & secundo gradu, quam iis,  
qui sine necessitate baptizant, vel le-  
vant filium sui conjugis, non incurre-  
re talem poenam, etiam si ignorantia  
fuerit crassa; quia in Sacris Canoni-  
bus talis poena imposita est contra  
scienter operantes, ut notat Tambur.  
lib. 1. cap. 2. §. 10.

Sequitur secundo ex Sanch. lib. 4.  
cap. 22., quod si quis, verbi gratia,  
voveat non ludere sub poena solven-  
di centum, & deinde memor voti,  
sed immemor poenae ludat, peccat  
quidem contra votum, sed non tene-  
tur poenam hanc subire.

VII. Circa metum aliquando excu-  
santem, certum est, praeccepta prohi-  
bentia rem intrinsece malam, verbi  
gratia, adorationem Idoli, menda-  
cium, &c., ob nullum mortis metum  
posse violari; Sicuti nec praecceptum,  
quod ex se conjungitur cum vitae pe-  
riculo; ut si Episcopus tempore pe-  
stis praecipiat Parochis, ne oves de-  
ferant, vel si Dux militibus praecipiat,  
ut hostes invadant: Etenim cum pra-  
valeat bonum publicum privato, pot-  
est praecceptum humanum in his casi-  
bus cum tanta severitate imponi, ut  
omnes docent cum Sanch. lib. 1. cap.  
18.

Quaeritur itaque tertio; An quan-  
do lex non prohibet aliquid intrinse-  
ce malum, & legis observantia con-  
jungitur solum per accidens cum pe-  
riculo vitae, vel alterius gravis mali,  
tunc excusamur ab ejus transgressio-  
ne?

Respondeo cum communi affirma-  
tive, sive praecceptum sit humanum, ut  
jejunandi; sive sit Divinum positivum,  
ut est integritas materialis confessio-  
nis,



nis, & præmissio confessionis ante Eucharistiam; sive sit Divinum naturale, ut est restitutio, adimpletio voti, elemosyna danda extreme indigenti, &c., quæ sane cum periculo vitæ non obligant. Et ratio est, quia non expedit ad commune bonum, quod ea præcepta cum tanto rigore obligent, neque hoc patitur suavis, ac prudens providentia in gubernando.

Hinc sequitur primo, quod si quis minetur mortem Titio, nisi præceptum abstinendi a carnibus violet in religionis Christianæ odium, aut in contemptum præcepti, teneatur hic potius subire mortem, non quidem vi præcepti humani de abstinendo a carnibus, sed vi præcepti naturalis tunc concurrentis, & obligantis cum vitæ discrimine ad tuendam existimationem religionis, & reprimendum contemptum præceptorum in adversariis; Et contrarium esset exterius negare fidem, & contemptori præceptorum cooperari, quod est intrinsece malum.

VIII. Secundo sequitur, excommunicatum vitandum posse quidem metu mortis audire Sacrum, immo & celebrare præmissa contritione, non tamen confessiones audire, & absolvere; etenim cum tunc careat jurisdictione, redderet irritum Sacramentum, quod est intrinsece malum. Nec potest administrationem Sacramenti Penitentia simulare; ut constat ex thesi vigesima nona ab Innoc. XI. confixa, quæ habet: *Urgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.*

Tertio excusatur, qui per metum gravem cogitur missam celebrare sine vestibus sacris, & aliis jure Canonico requisitis, ut docet Vasq., Valent., Bonac. disput. 2. quæst. 8. art. 3.

Quarto sequitur cum Sanch., Sor. contra Azor., non teneri quempiam

*Pars II.*

cum vitæ discrimine suscipere Sacramentum baptismi, aut penitentia, cum possit salutem suam consulere cum contritione; nec tenetur media tutiora cum tanto periculo quærere.

IX. Quinto juxta opinionem nonnullorum cum Petro Ledesma apud Sanchez lib. 4. disp. 16. peccat mortaliter, qui per metum gravem celebrat Matrimonium, quatenus ex parte sua reddit irritum Sacramentum, quod ministrat, & suscipit. Quod tamen Sanchez negat, eo quod verba quæ profert non sunt materia & forma Sacramenti, cum Matrimonium istud sit irritum. Peccat certe graviter, si illud consummet; Ratio est, quia matrimonium metu contractum est irritum, unde consummare esset fornicari; Immo si interveniat inter contrahentes impedimentum aliquod jure naturæ dirimens, peccat etiam simulando contractum; secus vero si interveniat impedimentum dirimens jure Ecclesiastico, ut dicemus in de Matrimonio, & expendimus in Trutina thesium damnatarum exponendo dictam thesim vigesimam nonam.

Sexto, probabile est cum Sanch., Navar., Tolet., Sà, contra Azor., Victor., Valent., in extrema necessitate, & quando alius minatur cateroqui mortem, licitum esse vesci carnibus humanis; cum hoc non videatur intrinsece malum. Neque dicas, D. Th. 2. 2. quæst. 142. art. 4. comparare talem culpam fornicationi, quæ in nullo casu licet; Nam D. Th., ut notat Sanch., comparat illam fornicationi in hoc tantum, quod utrumque sit contra naturam, seu a quo communiter natura abhorret: At non omne, quod sic est contra naturam, est intrinsece malum, itaut in nullo casu liceat; nam non restituere, & non implere votum sunt etiam contra naturam, & tamen ea permittuntur in vitæ discrimine: Fornicatio autem

D                    tem



tem in nullo casu licet, sicut nec molities, ut constat ex propositionibus 48., & 49. damnatis ab Innoc. XI. Adde, quod sicut Mumia (in qua admiscetur carnes humana) licite uti possumus in medicamentum, ita in extrema necessitate licite vescimur carnibus humanis, saltem per modum medicamenti, si minus per modum cibi: Quamvis ad id non teneamur; tum quia probabilis etiam est opposita sententia docens esse intrinsece malum vesci carnibus humanis; tum etiam quia non tenemur tueri vitam omnibus mediis licitis, verbi gratia abscissione cruris, vel brachii; ergo nec esu carniū humanarum, quo solum barbari brutis feriores utuntur.

X. Demum quamvis probabile sit ex Ledesm., & aliis apud Sal. de Legibus disp. 2. sect. 2., Cathusianos obligari ex proprio statuto, & consuetudine ad abstinendum a carnibus in extrema necessitate; quia ad magnum, & publicum illius Religionis bonum spirituale spectat, ut cum tanto rigore talis observantia vigeat, probabile etiam est ex Sanch., Lorca, Dian. part. 5. tract. 4. resol. 32. posse eos secluso scandalo, & contemptu in articulo mortis vesci carnibus, etiam si alios cibos habeant; non tamen ad id teneri, nisi aliis cibis careant.

XI. Quod attinet ad impotentiam excusantem, certum est, excusare a præcepti humani observantia Impotentiam non solum physicam, sed etiam moralem, ut quando non potest illud observari sine periculo gravis damni sive proprii, sive alieni.

Quæritur tamen quarto; Quando nam impotens implere totum præceptum teneatur ad partem, quam potest?

Respondeo, multiplicem esse sententiam, dum quæritur, an impotens recitare totum officium teneatur ad partem, quam commode potest. Pri-

ma sententia Ledesm. absolute affirmat teneri ad illam partem, quam potest, etiam si sit minor. Secunda Manuel. tom. 1. sect. 42. absolute negat teneri ad partem, quam commode potest, etiam si sit major. Tertia Navar., quæ docet potentem recitare majorem partem officii ad illam teneri; potentem vero minorem ad illam non teneri; quia aliter quilibet innumeris perplexitatibus, & scrupulis angeretur, cum vix sit valetudinarius, qui aliquam brevem officii partem non possit recitare: In jure autem regulare est, ut major pars ad se minorem trahat, ex cap. 1. de iis, quæ fiunt a majori; ergo bene videtur assignari regula, quod qui potest majorem partem officii, aut fere æqualem recitare, ad illam teneatur, qui vero hanc non potest, ad nihil teneatur.

Sanch. lib. 1. cap. 19. huic sententiæ subscribit. Addit tamen, quod ea vera sit, quando quis, verbi gratia, dubitat, an ex valetudine possit recitare totum officium, vel totam Quadragesimam jejunare; ad vitandam enim perplexitatem prædicta regula observari potest; Contra vero, si quis, verbi gratia, careat breviario, & solum possit unam horam recitare, vel si solum primo die Quadragesimæ jejunare possit, & deinde ex defectu cibi non possit jejunare, tenetur ad partem illam partem, quam potest; quia obligatio est in re dividua, & in parte illa parte consistere potest præceptum, & in tali casu cessat omnis perplexitas. Quod si obligatio sit de re individua, ut est peregrinatio Romana, verbi gratia, qui potest majorem partem iuneris conficere, non tamen Romam pervenire, non tenetur ad partem, quam potest, quia in ea præceptum, vel obligatio voti non consistit.

Notandum tamen, damnatam esse



ab Innoc. XI. propof. 54. dicentem: *Qui non potest recitare matutinum, & laudes, potest autem reliquas horas, ad nihil teneatur, quia major pars trahit ad se minorem.* Et quidem merito prohibetur, ut in ejus expositione ostendimus in Trutina; tum quia reliquæ horæ sunt pars fere æqualis; tum etiam quia probabilius censent Doctores, quod singulæ horæ per se præcipiantur: Ex quo docent, quod qui suscipit Subdiaconatum hora nona, verbi gratia, non teneatur recitare eo die officium, nisi ab hora nona; Unde cum in singulis horis consistat obligatio præcepti, non debet deobligari a recitandis reliquis horis, qui non potest matutinum, & laudes.

Quare universim placet sententia Bonac. disput. 2. quæst. 8. dicentis cum Ledesm., quod qui commode non potest totum præceptum implere, teneatur implere partem, quam commode potest, dummodo sit pars notabilis, & dividua, & censetur intenta a Legislatore. Ratio est, quia non datur sufficiens causa excusans a tali parte notabili; Nam *Utile per inutile non vitatur, ex reg. juris in 6.*: Diximus tamen, modo res sit notabilis, & dividua, quia aliter non censetur a Legislatore intenta, & subditus non obligatur ultra voluntatem, & intentionem Legislatoris.

Hinc sequitur primo, quod qui vovit peregrinationem Lauretanam, si possit ponere partem notabilem itineris, & non possit Lauretum pervenire, non teneatur ad illam; quia res hæc non est dividua, nec pars illa censetur intenta a vovente: etenim vovens videtur voluisse se obligare ad iter solum ratione termini, ut docent Suar., & Azor.

Secundo, qui solum usque ad vesperras potest jejunare, non tenetur ad jejunium, nec peccat, si sumat mane jentaculum; quia talis pars non cen-

setur a Superiore intenta, quando præcipitur unica comestio; tenetur tamen abstinere a carnibus, quia præceptum hoc negativum obligat semper, & ad semper.

Tertio, qui propter infirmitatem, vel aliam causam non potest totum officium recitare, tenetur ad partem notabilem, quam potest; cum sit res dividua, & videatur a Legislatore intenta. Monet tamen Suar. tom. 2. de Religion. lib. 4. cap. 28., non in quacumque infirmitate scrupulose agendum, ut qui potest aliquam horam recitare, ad illam teneatur: Et idem dicas de eo, qui potest aliquo die in Quadragesima jejunare; nam hoc esset nimis onerosum, & præter suavitatem legis Ecclesiasticæ, ob perplexitatem, quam induceret. Sed de hoc cum de horis Canonicis redibit sermo.

Quarto, qui potest partem notabilem missæ audire, tenetur ad illam: Nec placet opinio Suar., & Sanch. dicentium, quod qui potest solum a principio missæ usque ad consecrationem audire, non teneatur; cum enim missa, quæ præcipitur, principaliter consistat in consecratione, consequenter talis pars videtur notabilis, & a Legislatore intenta.

Quinto, qui non potest recitare totum rosarium, quod vovit, tenetur recitare partem notabilem, quam potest; & qui non potest integram Quadragesimam jejunare, tenetur iis diebus, in quibus bona valetudine utitur; & qui die festo mane ex necessitate laboravit, tenetur reliqua diei parte non laborare.

XII. Quæritur demum, Quando nam dispensatio obtenta excuset a præcepti transgressione?

Respondeo, quod si dispensatio sit valida, & ex rationabili causa concedatur, excusat omnino; Si vero sit valida, & sine justa causa detur, qui



ea utitur, excusatur a mortali, non tamen a veniali: Si demum sit invalida, a mortali non excusatur in re gravi. Recolenda tamen hic, quæ diximus, cum de dispensationibus in tractatu de Legibus, videlicet dispensationem sine legitima causa factam ab inferiori in lege Superioris esse invalidam; puta si Pontifex sine causa dispense in jure Divino, ut in voto; aut si Episcopus dispense absque justa causa in jejuniis Quadragesimali: Quare peccat graviter, qui conscius defectus causæ talem dispensationem petit; sicut etiam qui illam concedit, & qui ea utitur. Quod si Superior in lege propria dispense sine legitima causa, dispensatio est valida, sed qui eam petit, & qui illam concedit, & qui ea utitur, peccat solum venialiter, nisi scandalum grave, aut notabile aliorum damnum sequatur, ut notat Sanch. lib. 1. cap. 20., & Bonac. de Legibus quæst. 1. Quamvis ex eodem Sanch. lib. 8. disp. 18. n. 10. probabile etiam sit, quod ne venialiter quidem peccet.

XIII. Demum urgente necessitate in casu occurrenti potest Episcopus valide, & licite dispensare in lege Pontificis, ut dicemus cum de Dispensationibus in impedimentis matrimonii. Et ratio est, tum quia sicut in præceptis, quæ frequenter indigent dispensatione, ut in jejuniis, in festis, &c., præsumitur data Episcopis facultas dispensandi, quia hoc expedit bono animarum; Ita etiam quando gravis aliqua necessitas, vel utili-

tas subito advenit, nec est facilis recursus ad Papam; Tum etiam quia in cap. *Nuper*, de *Sententia Excommunicationis in 6.* habetur, facultatem absolvendi concedi inferiori eo ipso, quod Superior illam sibi non reservat; ergo a pari probabiliter censetur inferiori concessa facultas dispensandi eo ipso, quod non reservatur: Et ita tenent Sor., Victor., Covar., Sal. apud Bonac. contra Suar., Sylvest., & alios, quorum sententia est probabilior, ut alibi expendimus.

Dubium est, an possit Episcopus dispensare in lege Pontificis, quando dubitatur, an subditus egeat dispensatione?

Docet Sæ apud Bonac. loc. cit. posse Episcopum declarare, quod non egeat dispensatione, & ad cautelam dispensare; quod Salas putat non esse improbableem; quia Episcopus dispensare potest in casibus, qui frequenter accidunt; & sæpe accidit dubitari de necessitate dispensationis. Bonac. tamen censet, quod quando probabiliter opinamur rem non egere dispensatione, neque a Papa, neque ab Episcopo necessario petenda sit dispensatio, cum possimus depositio practice dubio sequi opinionem probabilem; si vero solum dubitemus an res egeat dispensatione, hæc petenda sit a Papa, ut constat tum ex praxi, tum quia non debemus nos exponere periculo delinquendi contra legem Superioris, in qua Episcopus, exceptis quibusdam casibus, dispensare non potest.



## Q U Æ S T I O II.

### De Primo Decalogi Præcepto.

#### *Unum cole Deum.*

**I**N primo Decalogi præcepto verus Dei cultus præcipitur, falsorumque Deorum cultus prohibetur: Idcirco agendum hic primo de Virtute Religionis, quæ Dei cultum immediate præcipit; deinde de tribus Virtutibus theologalibus Fide, Spe, & Charitate, quibus Deus specialiter colitur. Tum de Oratione, (ubi fasè de Horis Canonicis) necnon de Adoratione, tanquam de præcipuis actibus Religionis. Adoratio enim est præcipuus ex actibus externis Religionis, sicut Oratio est præcipuus ex internis; Et ad hanc reducitur Devotio, quamvis ista magis effectum cultus, quam ipsum cultum significet. De Juramento tamen, & Voto, quibus nosmet Deo devovemus, commodius in secundo Decalogi præcepto agi solet. Præterea agendum de Vitiis, quæ per excessum virtuti religionis adversantur, videlicet de Superstitione, Divinatione, Vana observantia, Maleficio, Magia; Sicut etiam de Vitiis, quæ eidem virtuti adversantur per defectum, videlicet de Irreligiositate, Tentatione Dei, Blasphemia, Sacrilegio. De Simonia tamen nonnulla dicemus in sequenti tractatu de Restitutione, ubi de Restitutione in particulari; fuse enim de ea diximus in tertio ex Opusculis Theologico-moralibus, ubi de Beneficiis Ecclesiasticis.

#### ARTICULUS I.

##### De Virtute Religionis.

- I. Religio est virtus inter Morales præstantissima, qua habet pro formali objecto cultum Divina excellentia præstandum.*
- II. In quo differant virtutes Theologales a Moralibus?*
- III. Quinam sint actus a virtute Religionis elicitii, & quinam imperati?*
- IV. Primum Decalogi præceptum obligat ad actus Religionis externos in quantum conjunctos cum internis.*
- V. Ad quos actus externos Religionis obligat lex positiva, & lex naturalis?*

#### *VI. Quandonam exercendi sunt actus Religionis?*

**I.** **V**irtus Religionis est Theologalibus inferior; sed præstantior Moralibus: Ejus munus est præscribere qualis cultus Deo præstandus sit, propter ejus excellentiam supra omnem, quod non est Deus; sicut etiam ubi, quomodo, & quando præstandus sit. Quare quia Religio respicit Deum super omnia, participat de virtutibus theologalibus, quia vero respicit tanquam suum objectum formale ipsum cultum Dei, qui est aliquid creatum, propter honestatem, quam habet in se talis cultus, ideo non dicitur virtus theologalis; Sicut non est virtus theologalis Obedientia, quæ habet pro objecto formali ipsam obe-



obedientiam præstandam Deo Superiori supremo,

Anxie disputatur apud Theologos, in quo differat Religio, & aliæ virtutes morales a Theologicalibus?

II. Ad quod dicendum, in hoc potissimum differre, quod solum de ratione virtutis theologalis sit habere pro objecto formali, seu motivo intrinseco ipsum Deum, vel aliquam ejus perfectionem, quæ super omnia attingatur: Contra vero virtutes morales habent pro objecto formali aliquid creatum, quamvis aliquando habeant etiam pro objecto terminativo extrinseco ipsum Deum: Exempli gratia, Fides credit Deo, habetque pro objecto formali non ipsam honestatem fidei, sed auctoritatem Dei, quam præfert cuilibet auctoritati creatæ. Spes tendit ad beatitudinem non propter honestatem spei, aut propter excellentiam beatitudinis, sed habet pro objecto formali Deum auxiliatorem, in quo super omnia confidit; Charitas autem habet pro objecto formali non ipsam honestatem amoris, sed ipsum Deum propter summam ejus bonitatem, propter quam super omnia diligendus est: Contra tamen Religio, Obedientia, & aliæ virtutes morales habent pro objecto formali ipsam honestatem actus religionis, obedientiæ, &c., Dum enim Religio veneratur Deum super omnia propter ejus excellentiam, habet solum pro objecto terminativo extrinseco excellentiam Dei, quia non movetur ab illa ad cultum Dei, sed ab honestate talis cultus, ut Theologi communius docent; Si enim ab excellentia Dei moveretur ad illum colendum super omnia, tunc Religio haberet rationem virtutis theologalis; sicuti e converso Fides, verbi gratia, si non moveretur ad credendum ab auctoritate Dei loquentis, sed solum ab honestate ipsius actus fidei, haberet rationem virtutis

moralis. His explicatis, quaerenda nonnulla sunt de virtute Religionis, ac de tribus theologalibus, quibus specialiter Deus colendus est, ut primo Decalogi præcepto obediamus.

III. Quæritur primo; Quinam sint actus Religionis?

Respondeo cum D. Th. 2. 2. quæst. 81., alios actus esse proprios Religionis, & a tali virtute elicitos, alios vero esse solum imperatos a Religione. Dicuntur actus imperati a virtute Religionis omnes actus cujuscunque virtutis, qui ad colendam summam Dei excellentiam ponuntur, ut sunt, verbi gratia, actus Temperantiæ, Obedientiæ, &c., qui elicitive sunt a propriis virtutibus, sed imperative sunt a virtute Religionis: Et in hoc sensu Jacob. 1. dicitur: *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare pupillos, &c.* Actus vero proprii Religionis sunt, qui a tali virtute eliciuntur; Et illi juxta doctrinam Angelici dividuntur in interiores, & exteriores, seu corporeos: Ex interioribus præcipui sunt Oratio, quæ est actus, quo aliquid a Deo suppliciter rogamus; & Devotio, quæ est actus, quo nosmetipsos offerimus ad Divinum cultum; Devovere enim idem est, ac consecrare, seu offerre, & mancipare se alteri; Quod si talis oblatio fiat cum juramento, vel voto, gravem obligationem inducit. Inter exteriores vero actus Religionis numerantur Adoratio Dei, ac ejusdem Invocatio, Templorum erectio, Oblationes, Decimæ, Primitiæ, &c.

IV. Quæritur secundo; Ad interneffone, an ad externos Religionis actus obliget primum Decalogi præceptum?

Respondeo cum Suar., Fagund., & aliis, obligare universim ad actus externos prout conjunctos cum internis, non vero ad solos actus internos. Ratio est, quia nullum assignari potest



est præceptum Divinum, quod per se & directe obliget ad meros actus internos Religionis: Nec videtur dari de tali actu præceptum naturale; nam cum præceptum de colendo Deo, quod ratio naturalis præscribit, impleri sufficienter possit per actus externos conjunctos cum internis, & a Religione imperatos, non debemus asserere, quod detur præceptum naturale de mero actu interno Religionis. Adde, quod cum nos corpore simul, & anima contemus, externis simul, & internis actibus colere Deum debemus; atque adeo ad utroque obligamur.

V. Rogabis; Quinam sint actus externi, ad quos ex virtute Religionis obligamur?

Respondeo, ex lege positiva tam Dei in veteri testamento, quam Christi Domini in novo, præcipi Sacrificia, & usum Sacramentorum; In lege vero naturæ, ut notat Suar. lib. I. de Relig. cap. 3., hic specialis cultus Dei per sacrificia fuit adeo usitatus, ut dici potuerit fuisse de jure Gentium, & naturæ hominis consentaneus; Verum neque a Deo, neque a natura fuit præceptus, quia potest Deus sufficienter aliter coli, verbi gratia, vel in faciem procidendo, vel per capitis inclinationem, per genuflexionem, per extensionem brachiorum, aut manuum elevationem, per tunctionem pectoris, per laudationem vocalem, &c.

VI. Quæritur demum; Quandonam obliget virtus Religionis ad Deum colendum per hujusmodi actus externos?

Respondeo, nullum assignari in decursu vitæ certum tempus; idemque communiter docent de actibus Fidei, Spei, & Charitatis, ut fuisse diximus in Trutina exponendo primam thesim ab Alexand. VII. confixam, quæ habet: *Homo nullo unquam vita tempore tene-*

*tur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Quare præter ea, quæ jure positivo injunguntur, videlicet sanctificando diem festum, &c., identidem hujusmodi actus exercendi sunt arbitrio prudentis, & spectatis circumstantiis personæ, ut notat Pal. tract. 6. disp. 1. punct. 4.; Sunt enim in vita, & in morte maxime necessarii, & summe meritorii. Sicut autem non sufficit actum fidei semel in vita elicere; ut liquet ex decima septima thesi ab Innoc. XI. præscripta; nec est probabile, præceptum Charitatis erga Deum ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare; ut constat ex sexta thesi ad eodem Pontifice profligata; sed hujusmodi actus non raro exercendi sunt, spectatis circumstantiis personæ; ita pariformiter ratiocinandum de actibus Religionis spectantis Dei cultum; Sicut etiam de actibus Pœnitentiæ exercendis a peccatore juxta uniuscujusque opportunitates, ut diximus loco laudato.

## ARTICULUS II.

### De Virtute Theologica Fidei.

- I. Per fidem, quæ virtus Theologica est, quid præcipiatur?
- II. Tria sunt præcepta fidei affirmativa, & duo negativa.
- III. Ad fidei confessionem quandonam teneamur?
- IV. Ad quid obliget præceptum negativum non negandi fidem exterius?
- V. Quando dubius in fide est infidelis?
- VI. Quinam dicantur Pagani? Quinam Judæi? Quinam Hæretici, Schismatici, & Apostata?
- VII. Quanam sit pertinacia ad hæresim requisita?
- VIII. Ad hæresim externam requiritur, ut signum externum de se sit



fit significativum heresis interna, & ad incurrendas censuras debet esse actus exterior de se gravis.

- IX. *Quanam communicatio cum Judæis, & Saracenis prohibeatur?*  
 X. *Quid teneamur prestare erga Paganos?*  
 XI. *Num liceat Catholicis de rebus fidei disputare?*

I. **Q**uaritur primo; Quid sit Fides, & quid per illam principaliter præcipiatur?

Respondeo, Fidem esse virtutem theologiam, per quam firmiter credimus propter summam Dei auctoritatem, qui nec fallere, nec falli potest, quæcumque a Deo revelata sunt, & ab Ecclesia nobis proponuntur.

II. Quinque continet præcepta Virtus Fidei, quorum tria sunt affirmativa, duo negativa. Primum ex tribus præceptis fidei affirmativis est, explicite credere Deum esse, & Remuneratorem esse; Credere etiam duo mysteria Trinitatis, & Incarnationis, & quoad substantiam scire, & credere articulos Symboli Apostolici, Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ac præcepta Decalogi.

Secundum est, non semel ea credere; nam damnata est ab Innoc. XI. propos. 17. dicens: *Satis est actum fidei semel in vita elicere; nec non 65. Sufficit mysteria Trinitatis, & Incarnationis semel credidisse; sicuti etiam 16. dicens: Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.*

III. Tertium est, exterius fidem fateri, quando talis confessio necessaria est ad Dei magnum honorem, vel ad proximi, aut ad tuam salutem; seu quando honor Dei periclitatur circa fidei veritatem, vel quando aliter scandalum præberetur proximo circa fidem; ut notat Valent. apud Bonac. Ex quo colligit D. Th., quod

non solum coram Tyranno interrogante de fide unusquisque fateri debeat se esse Christianum, sed etiam si vir admodum gravis interrogetur a privatis, puta ab hæreticis, an sit Christianus Romanus, non possit tacere, si grave scandalum populi timeatur; nec possit fugere persecutionem, qui ejus conditionis est, ut ipso fugiente periclitetur honor Dei, vel salus animarum: Contra vero ad confessionem fidei non tenetur, qui interrogatur, an sit Christianus, ut sciatur tantum cujus Nationis, non cujus Religionis est; aut si interrogetur auctoritate privata, & ex reticentia non impediatur magnus honor Dei; quæ omnia fuisse profecti sumus in Trinita exponendo thesim decimam octavam ab Innoc. XI. confixam, *Fidem confiteri, ut Deo, & Fidei gloriosum consulo; tacere ut peccaminosum per se non damno.* Quando autem Tyrannus jubet, ut Christiani gestent signum, quo ab aliis distinguantur, non tenentur tali præcepto, utpote iniquo, & injusto obedire, ut docent Sanch., Bonac., & alii contra Navar., & Cajet., Falsum enim est, quod in tali eventu lex habeat vim interrogantis de fide uniuscujusque, sed solum præscribit modum profitendi fidem deferendo tale signum; & ideo qui inter hæreticos interrogatur, an audierit Sacrum, an recitarit officium, ut sic deprehendatur, an sit Christianus Romanus, non tenetur respondere, ut docent Doctores citati. Et contra si quis videret Turcam profanare templa, vel virgines Sacras, aut conculcare Sacras imagines, tenetur etiam cum vitæ periculo illum cohibere, si speret profectum; Sicut Pastor tempore persecutionis non potest fugere, si timeat existimationem fidei minuendam, aut a subditis deferendam.

IV. Primum vero ex duobus fidei præ-



præceptis negativis est illam exterius non negandi, seu non ponendi ea signa, quæ indicarent internam fidei denegationem. Unde peccat contra Fidem, qui dicit se non esse Christianum, dum nomen Christiani accipitur non ad significandam nationem, sed religionem; Sicut etiam qui utitur signis protestativis falsæ sectæ: Quod si quis habitum Turcarum, vel Judæorum induat, quando fidem suam non tenetur propalare, sed sic incedat, vel ut incolumis transeat per medios hostes, vel alia de causa, non peccaret; quia hoc non esset profiteri falsam religionem, sed solum politica symbola exhibere; Secus vero si ante Idolum serio genuflecteret: Immo Laym. contra Sanch., & Azor. apud Tambur. non audet damnare eos, qui existente gravi causa, puta ad reportandam victoriam infidelium, induerent vestes, ubi sit depictum falsum Idolum, puta Veneris, Jovis, &c.; quia ea signa sæpe ornatus causa deferuntur, nec sunt destinata ad exhibendum cultum tali Idolo: Contra vero, si in eis esset, verbi gratia, depictus Mahometes; quia tale signum destinatum est ad protestandam fidem Mahometi: Demum nunquam licet thus adolere, aut genuflectere Idolo, quia hoc est apertum signum cultus interni; Postumus tamen ob fines indifferentes ingredi Moschæas falsæ religionis, vel Synagogas Judæorum, verbi gratia, ad inserviendum domino, ut concessit Nahamano Eliasus 4. Regum 5., Si quis tamen ingrederetur ea templa, quando infideles confluunt ad orandum, aut aliter appareret, ingressum illius templi significare protestationem illius sectæ, certe peccaret contra hoc fidei præceptum; Unde Paulus V. apud Tambur. rogatus, an in Anglia liceret Catholicis ingredi templa hæreticorum cum protestatione, quod id facerent

*Pars II.*

ad obediendum civiliter Regi in hac re indifferenti? Respondit, non licere; quia in iis circumstantiis non poterat præsumi, quod præciperetur ingressus templi materialis, sed ut signum protestantium sectam illam.

V. Secundum ex præceptis fidei negativis est fidem ne interius quidem negare, videlicet aut dubitando per deliberatam voluntatem de articulis fidei, (nam sic dubius in fide est infidelis) aut aliam sectam amplectendo, videlicet aut Paganismum, aut Judaismum, aut Hæresim.

VI. Quæritur secundo; Quinam dicantur Pagani, seu Gentiles, aut Ethnici? Quinam Judæi, vel Hebræi? Quinam Hæretici, Schismatici, & Apostatæ?

Respondeo, dici Paganos, seu Gentiles, qui nullatenus Christianam fidem in Baptismo promiserunt, nec amplexi sunt, sed Idola colunt, & idcirco etiam dicuntur Idololatæ; Quamvis si Deum nullatenus colant, dicantur Athei, si vero Mahometi sectam sequantur, ut Turcæ, Mauri, Arabes, &c. dicantur Saraceni, seu Mahometani. Dicuntur vero Judæi, seu Hebræi, qui veteri solum testamento credunt, & Christianam fidem in adventu Messæ promittunt se servaturos; nondum enim credunt advenisse Messiam; Hæretici autem dicuntur, qui Christianam fidem solemniter professione promiserunt in Baptismo, vel in Catechismo, & deinde aliquem fidei articulum cum pertinacia negant, vel saltem deliberate putant esse rem dubiam, seu opinabilem: Quod si articulos omnes fidei negarent, dicerentur Apostatæ a fide; Si demum credant fidei articulos, & solum se subtrahant ab obedientia Summi Pontificis, dicuntur Schismatici, seu divisi a Capite; ita tamen, ut si ideo se subtrahant ab obedientia summi Pontificis, quia non credunt illum esse ca-

*E*

*put*



put Ecclesiae, sint Schismatici simul, & Hæretici.

VII. Dubium est primo; In quo consistat pertinacia requisita ad hæresim?

Respondeo cum Sylvest., & Tambur. consistere in electione deliberata voluntatis alicujus opinionis cum certa cognitione, quod talis opinio sit contra id, quod docet Ecclesia. Hinc Suar., & alii communius contra Sor., & Lorcam volunt, non esse hæreticum, qui errat contra fidem cum ignorantia, etiamsi affectata, & culpabili, quia pertinacia stare non potest cum tali ignorantia: Unde non est idem specie peccatum negare fidem scienter, & illam negare cum ignorantia affectata; quamvis e contra in aliis materiis idem specie peccatum sit transgredi aliquam legem scienter, & transgredi cum ignorantia culpabili; verbi gratia, non audire missam die festo sic cognito, & non audire missam ex ignorantia culpabili, quod hodie fit dies festus.

VIII. Dubium est secundo; In quo consistat hæresis externa?

Respondeo, quod sicut hæresis interna est error intellectus voluntarius contra fidem, & cum pertinacia, qui nullo signo externo prodatur; ita hæresis externa est, quæ exterius proditur per vocem, nutum, aut aliud signum; itaut si tale signum coram multis prodeat, dicatur hæresis externa publica; si coram paucis, puta coram duobus, vel tribus, aut coram nullo, dicatur hæresis externa occulta. Quod si quis solum exterius proferat hæresim sine ullo errore intellectus, aut sine pertinacia voluntatis, hic vere non erit hæreticus, nisi dumtaxat secundum forum externum.

Notandum tamen hic ex Sanch. lib. 2. cap. 8., & Tambur. lib. 2. cap. 1. §. 4., ad rationem hæresis externa duo requiri; primum, ut vox, seu

signum exterius procedat ex affectu hæresis, & non aliter; unde qui hæresim aliorum refert, etiamsi interius illam ipse habeat, non est hæreticus exterior.

Secundum, ut tale signum, seu vox ex se, vel ex circumstantiis determinate hæresim exprimat; & talia sunt verba absoluta, & non sub dubio hæresim significantia; Item facta proprie hæreticorum; verbi gratia eorum cæna, & aliæ cæremonia, nec non ipsa bona opera hæreticorum, videlicet visitare infirmos, Ecclesiam adire, &c., quando ex circumstantiis colligitur ea fieri ab aliquo, ut se conformet sectæ hæreticorum.

Ex quo fit, ut nec sit hæreticus exterior, qui disputandi gratia hæresim proferat, aut ex hæretico affectu moveat caput, aut dicat, non est ita; dummodo non appareat velle hæresim confirmare; Nam in tali casu hæc signa non exprimunt hæresim determinate. Eadem ratione non est hæreticus exterior, qui comedit carnes die vetito, qui ducit duas uxores, qui Eucharistiæ non aperit caput, &c., quando ea fiunt in iis circumstantiis, in quibus non apprehenduntur fieri ob errorem contra fidem, sed ob inordinatum affectum erga gulam, & luxuriam, & ob irreverentiam erga Eucharistiam. Adde ex eodem Sanch., quod si actus exterior de se sit levis, seu veniale peccatum, etiamsi procedat ex affectu interno ad hæresim, non sufficit ad incurrendas pœnas hæresis externæ; Verbi gratia si quis comedat parum carnis die vetito animo sequendi sectam hæreticorum: Etenim, ut dicemus de Censuris, & de casuum reservatione, actus exterior de se debet esse gravis, ut sit obnoxius gravibus pœnis, quas Ecclesia nunquam propter merum actum internum infligit.

IX. Dubium est tertio; Qualis com-

mu-



municatio cum Hebræis, seu Judæis prohibeatur Christianis?

Respondeo, prohiberi habitare cum illis, eorum azymis vesci, Judæis medicis uti, aut ab iisdem pharmaca accipere, seclusa necessitate, cum iis simul in balneo se lavare, eos invitare, ad eorum convivium accedere, aut legata iisdem in testamento relinquere; prohibitum etiam est tam Judæis, quam Saracenis famulari, & illis officia publica committere, cum iisdem matrimonia inire, aut portare iis lignamina, arma, & similia in Catholicorum perniciem. Non semper tamen est mortale aliquem ex actibus huiusmodi prohibitis exercere, præsertim si longe absit periculum subversionis.

X. Quæritur tertio; Quid teneamur præstare erga Paganos?

Respondeo, & dico primo, non licere nobis baptizare ante rationis usum infantes Gentilium sine consensu unius saltem ex parentibus, si sint sub eorum potestate, non urgente periculo mortis; Et ratio est, ne decursu temporis exponatur Sacramentum Baptismi sacrilegiis ejusdem baptizati. Secundo, nec possumus Paganos ad fidem cogere, quia Christi fides sponte suscipienda est; aliter magnum periculum esset fictionis, & sacrilegii. Unde fit, quod non possit suscipi bellum contra Infideles ex eo solum capite, quod fidem respuant. Tertio, possunt quidem cogi Gentiles, qui sunt subiecti Principi Christiano ad audiendum Evangelium, (ut etiam Hebræi coguntur Romæ,) & ad abstinentiam a peccatis contra jus naturæ; Non possunt tamen ad hæc cogi Gentiles, qui non sunt subiecti; nisi præcludant aditum Prædicatoribus, aut Evangelium, & Christianos persequantur; aut nisi Diis immolent, vel comedant homines; quia hoc non esset jus dicere erga non subiectos, sed esset innocentes defendere, & punire

eos, qui injuriam Christo, ejusque religioni inferunt. Quarto, possunt Principes Christiani tolerare in suis Regnis ritus Paganorum, ne dissidia, & rixæ orientur, & ut facilius convertantur: Quia tamen conversatio Christianorum cum Infidelibus multa mala solet gignere, idcirco possunt expelli, si ad fidem converti nolunt; ita tamen ut vendant omnia sua bona, & cum eorum pretio transmigrent alio, ut fecit Philippus III. anno 1609. expellendo Mauros ex Hispania.

XI. Quæritur quarto; An liceat de rebus fidei disputare?

Respondeo, non licere indocto eas disputationes aggredi, si periculum subeat deceptionis; idque ex præcepto naturali: Ex præcepto tamen Ecclesiastico solum laicæ personæ prohibetur publice, vel privatim de fide Catholica disputare, ex cap. *Quicumque*, de Hæret. in 6.

### ARTICULUS III.

#### De Spe, & Charitate.

- I. *Contra spem Theologalem peccat tam qui præsumit propriis viribus beatitudinem supernaturalem obtinere, quam qui ex sola Dei misericordia sine propriis operationibus illam expectat.*
- II. *Duplex datur præceptum Spei, alterum Negativum non desperandi, nec præsumendi; alterum positivum idem idem sperandi.*
- III. *Qui post peccatum omittit actus fidei, ac spei debitos, directe peccat contra virtutem Penitentia, quæ prævios illos actus requirit.*
- IV. *Charitas debet super omnia Deum amare appreciative, non intensive.*
- V. *Duplex pariter est præceptum Charitatis; videlicet negativum non odio habendi, aut contemnendi*

E 2 Deum,



Deum, & Affirmativum amandi illum identidem; Sed quam frequentia?

VI. Non datur materia parvitas in odio Dei; sicut nec in Infidelitate.

I. **S**pes est altera virtus theologalis, qua speramus a Deo beatitudinem, & quæ ad illam pertinent, divino auxilio obtinendam; cum enim viribus naturæ illam assequi non possumus, committeremus peccatum præsumptionis, si absque Divina misericordia illam vellemus obtinere ex solis nostris meritis naturalibus, juxta errorem Pelagianorum; Sicuti etiam contra spem peccaremus, si vellemus ex sola Dei misericordia absque nostris bonis operibus beatitudinem obtinere, juxta errorem Lutheri.

II. Quæritur primo; Quotuplex datur præceptum Spei?

Respondeo cum communi, duplex dari præceptum Spei, alterum negativum non desperandi, nec præsumendi; alterum affirmativum, scilicet positive sperandi; ipsa enim ratio naturalis dicitur, habitum supernaturalem spei in Baptismo nobis infusum non debere esse otiosum; & ideo Psalm. 4. dicitur: *Sperate in Domino*; sicut etiam passim in aliis Scripturæ locis: Quare contra hoc præceptum peccari potest omittendo actum spei longo tempore, ut dicitur de actibus fidei, & Charitatis; Præsertim quando quis graviter urgetur tentationibus contra spem, & est in periculo desperationis, nisi se minuat actibus spei. Peccatur etiam contra præceptum spei negativum, tum præsumendo consecutionem beatitudinis sine Dei misericordia, aut sine propria cooperatione, ut diximus; tum desperando, quando scilicet quis desperans gratiam, vel gloriam non curat adhibere suam cooperationem. Putant etiam nonnulli, peccari contra spem tentando Deum,

quia tentans Deum non sperat, sicut oportet; Sed nos infra dicemus cum communiori, tentationem Dei esse peccatum potius contra virtutem Religionis, quam contra spem.

III. Notandum hic cum Bonac., quod omittens se convertere ad Deum post peccatum, quamvis omittat actus fidei, & spei debitos, tamen proprie, & directe peccat contra præceptum penitentiae, non contra præceptum fidei, & spei. Et ratio est, quia in tali casu solum per accidens tenetur ad actus fidei, & spei, quatenus scilicet penitentiam agere non potest, nisi eliciendo actus fidei prævios, & sperando veniam peccatorum.

IV. Denique Charitas est ex Apostolo excellentissima inter virtutes theologales; quia per illam Deum super omnia diligimus, & sic illi perfecte conjungimur.

Quæritur nunc secundo; Utrum teneamur amare Deum super omnia appetiunt tantum, hoc est appetiunt illum tanquam summum bonum super omnia, an etiam intensive, ita scilicet ut amor Dei debeat esse intensior, quam quilibet amor erga objectum creatum?

Respondeo, teneri ad amandum Deum super omnia solum appetiuntive; nam qui patrem, aut matrem, aut quodcumque aliud supra Deum diligit, non est Deo dignus; Non tenemur tamen Deum super omnia diligere etiam intensive, quia si ad id teneremur, angeremur scrupulis dubitando, an actus amoris a nobis elici possit hic, & nunc; & sic jugum Divinæ legis non esset suave, nec onus leve: Quare diligimus Deum ex toto corde, & ex tota mente, si super omnia appetiuntive illum diligamus.

V. Quæritur tertio; Quotuplex sit, & quando obliget præceptum Charitatis?

Re-



Respondeo, duplex dari præceptum Charitatis erga Deum, alterum negativum, videlicet non odio habendi Deum, nec illum postponendi creatoris; & hoc obligat semper, & ad semper: Alterum affirmativum, videlicet eliciendi sæpius actus amoris; & circa hoc damnata est ab Innoc. XI. propos. 6., qua dicitur, Ne singulis quidem quinquenniis ad hos actus nos obligari. Communiter tamen docent, ad eisdem nos obligari, primo dum insurgunt tentationes, & periculum est, ne iis assentiamur; & deinde quando tenemur elicere actus contritionis; cum contritio sit saltem virtualis dilectio Dei: Præterea alii putant, quod singulis diebus festis; alii quod semel, aut bis in anno, ut dicemus in de Pœnitentia. Equidem vero cenſeo, non esse eandem unicuique talem obligationem; Sæpius enim ad actus amoris tenentur docti, quam rudes, sæpius qui majorem habent opportunitatem, & qui in majoribus periculis peccandi versantur, quam alii: Quod fufius in expositione dictæ proſcriptæ theſis expendimus in Trutina Theſium damnatarum.

VI. Quæritur quarto; An in odio Dei detur parvitas materiæ, ſicuti datur in odio proximi?

Reſpondeo cum communi negative. Ratio eſt, quia quodlibet odium Dei maxime repugnat summæ Divinæ bonitati: Sicut enim in Infidelitate erga Deum non datur parvitas materiæ, ſed peccat mortaliter quicumque diſcredit cuilibet minimo articulo fidei; contra vero qui fidem viro probo in minimis non præſtat, non peccat mortaliter; Ita pariter qui vult Deo quodvis minimum malum, peccat mortaliter, ſecus vero qui vult illud homini.

## ARTICULUS. IV.

De Oratione, qua Deum colimus.

- I. *Quenam a Deo in oratione petenda, in Oratione dominica diſcretiſſime recenſentur.*
- II. *Oratio deſinitur, Petitiſio decentiſſima a Deo. Ea nobis præcipitur tum præcepto naturali, tum etiam poſitivo Divino, & Eccleſiaſtico.*
- III. *Triplex eſt Orationis effectus, mereri, ſatiſfacere, & impetrare.*
- IV. *Etiam peccatoris oratio eſt impetratoria ex divina promiſſione, dummodo ille non peccat, in quantum peccator eſt, videlicet aut mala; aut ad malum finem.*
- V. *Quid requiritur, ut Oratio impetret inſallibiliter?*
- VI. *Oratio vocalis natura humana conformior eſt, quam mentalis multis de cauſis.*

I. **P**oſitiſſimus Religionis actus eſt Oratione, qua petimus a Deo bona nobis decentia, ex D. Th. 2. 2. quæſt. 83. Quæ autem bona dicantur decentia, & quo ordine petenda ſint, oſtendit nobis Chriſtus Dominus docens orandi formam Matth. 6. ubi dixit: *Cum oratis, dicite, Pater noſter, &c.* Quod obſervat D. Th. loc. cit. ex Auguſt. Primo enim petenda eſt Divini nominis ſanctificatio, amando illum amore amicitia. Secundo, noſtrum bonum, petendo adventum regni Dei, ſeu viſionem beatam in Patria, ubi Deus ſuum habet pacatiſſimum regnum. Tertio, media, quibus utrumque aſſequamur; Ea vero ſunt tum conformatio cum divina voluntate, tum etiam bona ſpiritualia, & temporalia, quibus juvamus ad Dei voluntatem exequendam: Quia vero ab iſdem arcemur per peccatum, ideo deinde peccatorum remiſſionem petimus,



mus, & tentationum victoriam; ac demum ut ab omni nos malo temporali, & spirituali liberet, quod ad transgressionem divinorum præceptorum inducit. Explicatis itaque actibus virtutum Theologicalium, progredimur ad explicandos actus virtutis Religionis, quæ directe respicit Dei cultum.

II. Oratio itaque stricte sumpta definitur, quod sit *Petitio decentium a Deo*; large vero sumpta significat quamcumque mentis elevationem ad Deum per laudem, benedictionem, adorationem, gratiarum actionem, invocationem, confessionem peccatorum, &c. Præcipitur tamen oratio stricte sumpta non solum præcepto naturali, quo tenemur procurare bona nobis convenientia, præsertim supernaturalia, & perseverantiam in bono, ac removere mala, & tentationes; quæ omnia non nisi per orationem a Deo conceduntur; sed etiam præcepto positivo, tum divino, ubi dixit, *Operiet semper orare: Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*; tum etiam Ecclesiastico, quo obligamur diebus festis assistere sacro, & cum Sacerdote orationes, & adorationes Deo exhibere, & sacrificium offerre.

Propterea agemus hic de oratione in genere: Deinde quia præcipua oratio vocalis in Ecclesia Dei sunt Horæ Canonica, ideo de illis quæstione sequenti seorsim agendum.

III. Quæritur nunc primo; An quælibet Oratio sit meritoria, satisfactoria, & impetratoria?

Respondeo, Orationem hominis iusti valere ad merendam gratiam, & gloriam, necnon ad satisfaciendum pro pœna temporali peccatis debita, & demum ad impetrandum a Deo id, quod petitur. Primus, & secundus effectus fundatur in gratia sanctificante, seu in amicitia cum Deo, & uterque effectus communis est omnibus operibus bonis factis ab homine

iusto; unde peccatores orando, aut exercendo quodcumque aliud bonum opus nec merentur, nec satisfaciunt.

Tertius effectus impetrationis non fundatur in gratia sanctificante, sed in divina promissione; Matth. enim 7. dicitur: *Omnis, qui petit, accipit*; Et ideo etiam oratio peccatoris impetratoria est.

IV. Neque dicas: Joan. 9. habetur: *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit*; & Psalm. 69. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus*; & Proverb. 28. *Oratio peccatoris erit execrabilis*. Nam, ut notat D. Th. loc. cit. ex August., & Chrysostomo, si peccatores non exaudiret Deus, frustra Publicanus dixisset: *Domine propitius esto mihi peccatori*: Quare peccatores Deus non exaudit solum, in quantum peccatores sunt, seu quando aut petunt mala, aut in malum finem.

V. Quæritur secundo; Utrum Oratio impetret infallibiliter?

Respondeo affirmative cum D. Th. loc. cit. art. 15., dummodo tamen debita circumstantiæ concurrant, sub quibus Deus promisit concedere, que petuntur. Prima circumstantia est, ut petantur bona, seu utilia ad salutem animæ. Secunda, ut petantur a bonis, seu a iustis, aut si petantur a peccatoribus, non male petantur, seu ad malum finem, quia, ut diximus, peccatores in quantum tales Deus non exaudit. Tertia, ut petantur bene, hoc est pie, cum reverentia, humilitate, & fiducia; Jacobi enim 1. dicitur: *Postulet autem in fide, nihil bastians*; & cap. 4. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis*. Quarta, ut petantur cum perseverantia, quæ sæpissime commendatur in Scriptura; Deus enim non semper statim exaudit, ut magis excitet orantium preces.

VI. Notandum tamen demum, Oratio



rationem aliam esse mentalem quæ scilicet actibus intellectus, & voluntatis perficitur; aliam vero vocalem, quæ scilicet verbis exprimitur: Hac magis conformis est naturæ humanæ, non solum quia corpore simul, & mente laudare debemus Dominum, sed etiam quia mentis evagationes

facile per vocalem orationem cohibentur; Firmatur enim facilius voce animus ad ea, quæ ore profert. Quoniam vero inter orationes vocales celeberrima est recitatio Horarum Canonicarum, ideo de hac speciatim agendum.

## Q U Æ S T I O III.

### De Horis Canonicis.

**D**icuntur Horæ Canonicæ, quia statis horis distributæ sunt per Sacros Canones; vocanturque etiam Officium divinum ad significandum, quod officium, & actus proprius Ecclesiasticorum sit Deum laudare; quare examinabimus primo, Quinam ad horas obligentur? Secundo, Qua forma, seu quodnam officium recitandum sit? Tertio, Sub qua culpa, & pœna? Quarto, Quo modo, & ordine? Quinto, Quo tempore, loco, & qua corporis habitudine? Demum, Quæ causæ ab iis excusent?

#### ARTICULUS I.

##### Quinam ad horas Canonicas obligentur?

- I. Ad horas tenentur Clerici in Sacris constituti, Beneficarii, & Regulares Professi ad Chorum deputati.
- II. Plura requiruntur, ut Beneficarius ad horas teneatur.
- III. Non tenetur ad horas Beneficarius iis annis, quibus ob sterilitatem non recipit fructus a Beneficio.
- IV. Quid si Beneficium sit tenue? Et quodnam dicatur tenue?
- V. In dubio de tenuitate Beneficii, num deobligetur Beneficarius totaliter, an partialiter? An vero absolute obligetur?
- VI. Prælatus regularis sub mortali tenetur efficere, ne Chorus desit. Quid tamen si non nisi quatuor, aut quinque Monachi sint in Monasterio?

VII. Professi, & Moniales tenentur privatim officium recitare, si absint a Choro. Num sit probabilis sententia opposita?

VIII. Probabiliter satisfacit obligationi horarum, qui illas recitavit mane, antequam ordinaretur in Sacris.

IX. Excommunicatus quamvis fructus Beneficii non percipiat, adhuc ad horas obligatur. Quid de Degradato?

X. Probabiliter excusantur ab horarum recitatione damnati ad irremediam. Quid de inclusis in carcere tetro? Quid de Uxoratis ex dispensatione Pontificis? Quid de maximo merore affectis?

**I.** Certum est, ad horas teneri Primo omnes Clericos constitutos in Sacris; quamvis enim id non constet ex ullo jure scripto, constat tamen ex consuetudine, ut notant Suar., Pal., Azor., & alii; eamque



que obligationem supponit Concil. Basileense sess. 21. Secundo, tenentur Beneficarii. Tertio, Regulares professi utriusque sexus deputati ad Chorum. Dixi, Professi, quia Novitii in odiosis habentur pro sæcularibus. Dixi etiam, Deputati ad Chorum, quia professi religionum militarium, & Societatis Jesu, qui ad Chorum non obligantur, non tenentur ex vi status religiosi officium recitare.

II. Quæritur nunc primo; Quid requiratur in Beneficariis, ut ad horas teneantur?

Respondeo cum Tambur. ex Pal., & aliis, requiri, Primo, quod beneficium aliquod sive simplex, sive curatum valide, & iuste sit illis collatum; Unde fit non teneri ad officium, qui habet Cappellaniam, quæ a laicis conferri solet; quia Beneficium dicitur, quod a Prælato confertur personæ Ecclesiasticæ ad officium Ecclesiasticum exercendum; Nec tenetur ad officium, qui est Vicarius Beneficarii, aut qui est Coadjutor cum futura successione; quamvis enim isti gaudeant portione beneficii, non dicuntur tamen Beneficarii. Eodem modo non tenentur, qui habent Pensionem, quæ ex aliquo beneficio extrahitur. Hic tamen notandum, quod quamvis ex Bulla Pii V. habens Pensionem Clericalem (quæ scilicet requirit primam ronsuram in Pensionario, ut explicabimus cum de Censuris) debeat officium Beatissimæ Virginis recitare, tamen huic obligationi satisfacit, si recitet officium divinum: Quare si ratione Ordinis Sacri, verbi gratia, teneatur Pensionarius ad officium divinum, non tenetur etiam recitare officium B. Virginis, ex Suar., & aliis apud Tambur. Demum non tenetur officium recitare, qui injuste, vel invalide beneficium recepit, puta per violentiam, vel per simoniam, aut dum erat excommunicatus, vel irregularis. Ratio

est, quia hic intrusus nec habet titulum beneficii, nec fructus facit suos, sed obligatur relinquere beneficium, & fructus restituere.

III. Secundo, requiritur, quod fructus sufficientes ad sustentationem recipiat ex beneficio, ut ad officium teneatur: Non est enim æquum, ut qui de altari non vivit, altari serviat, & tanto onere gravetur. Hinc sequitur, non teneri ad officium, qui licet habeat titulum beneficii, caret tamen sine sua culpa ejus possessione: Secus vero si sua culpa careat, quia non est æquum, Ecclesiam privari fructu debito ob culpam tuam: Si tamen habeat possessionem litigiosam, sed fructus recipiat, tenetur ad officium, etiamsi fructus respondentes huic tempori non recipiat de præfenti propter litem, sed speret certo illos percepturum; Satis enim est certa spes ad inducendam obligationem. Eodem modo non tenetur ad officium, ut probabiliter putant Sanch., & Trull., qui non residet ex legitima licentia, & sic fructus non recipit; cum talis obligatio confurgat ex sustentatione accepta. Idem docent Less., & Laym. de filio coacto a patre ad statum Ecclesiasticum, si non ipse, sed pater percipiat fructus beneficii; unde pater tenetur ad restitutionem. Demum Pal. punct. 1. §. 2. contra Suar. docet, quod si beneficium ob sterilitatem annorum nullos fructus redderet, Beneficarius iis annis non teneatur ad horas, quia pro tali tempore non habet nisi titulum beneficii, qui non est satis ad hanc obligationem inducendam.

Neque obstat primo, quod annis præteritis collecti sint fructus abundantes, aut colligendi sint annis sequentibus. Nam illi fructus licet abundantes respondent suo tempori, & dantur pro officio illo tempore exercendo, & non alio.

Ne-



Neque obstat secundo, satis esse spem certam percipiendi fructus sufficientes ad sustentationem, ut quis teneatur ad horas. Nam requiritur spes certa percipiendi fructus respondentes huic tempori, puta huic anno, ut teneatur hoc anno ad horas; In casu autem nostro hoc non habetur.

IV. Tertio, requiritur probabiliter ex Sanch., Pal., Less. apud Dian. part. 2. tract. 12. resol. 9., ut beneficium sit pingue ad hoc, ut obliget ad horas. Ratio est, quia beneficium tenue reputatur pro nullo, eo quod parum pro nihilo reputetur. Communior tamen sententia cum Suar., Reginal., & aliis apud eundem Dian. docet dari obligationem ad horas, etiamsi beneficium sit tenue; quia beneficium tenue vere est beneficium, & reddit Beneficiarium eodem modo privilegiatum, unde possit ad Sacros Ordines promoveri sine sufficienti patrimonio. Sed Less. lib. 2. cap. 34. dub. 31. putat cum aliis, quod habens beneficium tenue teneatur ad horas solum Dominicis, & aliis festis diebus.

Rogabis hic, quodnam beneficium dicatur tenue?

Sotus putat esse tenue illud, ex quo proveniunt octo aurei; Less., ex quo sexdecim; Ledesm. ex quo viginti; Alii communius, ex quo provenit minus, quam sit tertia pars mediocris sustentationis talis Clerici, qui utatur victu honesto, quali solent uti Clerici ejusdem conditionis.

V. Quod si dubitetur, an beneficium sit tenue? Vasq. part. 2. disp. 69. cap. 3. putat, obligari Beneficiarium, quia stat in possessione certitudinis beneficii: Caramuel tamen apud Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. putat, illum non obligari; quia libertas præcedit obligationem, quæ ex tali beneficio oritur, & sic stat in possessione libertas. Equidem existimo, quod habens beneficium tenue non teneatur quotidie

officium recitare, sed solum aliquibus diebus pro ratione tenuitatis; itaut si habeat, verbi gratia, tertiam partem mediocris sustentationis per totum annum, ad Horas recitandas teneatur per totum annum; ut communiter docent; Si vero habeat tertiam partem mediocris sustentationis solum per sex, aut quatuor menses, teneatur solum per sex, aut quatuor menses officium recitare. Quod si tua culpa beneficium evaserit tenue, non deobligaris ab officii recitatione; quia non est æquum, quod Ecclesia suo servitio privetur ob tuam malitiam.

VI. Quæritur secundo; An regulares professi deputati ad Chorum teneantur sub mortali interesse Choro; & quando non intersunt, privatim officium recitare?

Respondeo, subditos non peccare mortaliter, si chorum non frequentent, secluso scandalo, & contemptu; quia solum est obligatio Communitatis, ut canatur in choro officium; cui obligationi etiam per solos Novitios satisfieri potest. Quare Prælatus sub mortali providere debet, ne Chorus desit; Et si Prælatus non prospiciat, id curare debent subditi: Quamvis autem videri possit alicui probabile, quod tali obligationi satisfiat, si duo tantum, vel tres saltem aliquando sine scandalo canant in Choro, cum sic servetur essentia Chori, idest cantus alternus; tamen probabiliter etiam Bordon. apud Pellizar. tract. 5. cap. 8. excusat Communitatem religiosorum a Choro, si ea constet solum ex quatuor, vel quinque religiosis; quia non videtur tam paucis ea obligatio quotidiana imponenda: Contra vero Beneficarii, & Collegiati, etiamsi duo tantum sint, videntur ad Chorum obligandi, quia pactum implicite initum inter Fundatores, & Beneficiarios ex justitia requirit Chorum, quoties ejus essentia consistere potest.

F

VII.

Pars II.



VII. Professi autem, ( sicut etiam Moniales professæ ) si quando absint a Choro, tenentur privatim officium recitare ex vi consuetudinis ab omnibus receptæ, ut communiter docent apud Dian. part. 6. tract. 8. resol. 12., itaut oppositam sententiam Caramuellis, & Bordoni Reginaldus temerariam vocet, & Sanch. apud Tambur. non probabilem, & Dian. loc. cit. improbandam; Cum communiter Doctores doceant, consuetudinem istam, etiam Monialium, recitandi privatim officium, si absint a Choro, esse obligatoriam. Less. tamen apud Dian. part. 9. tract. 6. resol. 7. conatur ostendere, consuetudinem istam non esse obligatoriam sub gravi; Quod pariter docet Marchant. apud eundem Dian., qui iure merito istorum sententiam rejicit, utpote contra communem Doctorum sensum.

VIII. Quæritur tertio; Quando incipiat obligatio recitandi officium in Subdiacono, Beneficiario, & Professo?

Respondeo, incipere a puncto, quo ordinatur, vel ad Beneficium promovetur, aut proficitur; itaut solum ad horas consequentes illius diei teneatur; Probabile autem est, talem obligationem implevisse eum, qui officium mane recitasset ante promotionem per solutionem anticipatam.

IX. Quæritur quarto; An excommunicatus teneatur officium recitare? Et idem quæritur de Suspenso, Interdicto, Irregulari, Degradato.

Respondeo, excommunicatum teneari recitare privatim sine socio, & sine *Dominus vobiscum*; quamvis enim excommunicatus per censuram privetur fructibus beneficii; at non privatim titulo, possessione, & iure percipiendi fructus; cum per ipsum stet, ne percipiat: Ex reg. enim 86. *juris in 6. Damnum, quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare*: Et pro-

pterea qui culpabiliter non residet, adhuc recitare tenetur officium, quamvis non percipiat fructus beneficii. Dixi tamen, quod teneatur recitare privatim, eo quod excommunicatio non prohibeat orationem privatam, sed solum publicam; Immo si habens Ordines Sacros tanquam hebdomadarius solemniter recitaret officium cum, *Dominus vobiscum*, feret irregularis, quia per exercitium Ordinis Sacri violaret censuram. Verum Suar., & Ugolin. notant, quod non peccaret, qui habens Cappellanum, vel famulum cum eo officium recitaret, ex Cap. *Inter alia, de Sententia Excommunicat.*: Nec peccaret graviter, ut docet Suar. contra Navar. si sine contemptu privatim diceret, *Dominus vobiscum*; quamvis talis salutatio ne Subdiaconis quidem non excommunicatis permittatur; Immo Avil., & Hurt. putant, quod ne venialiter quidem peccaret, si tanquam privata persona diceret, *Dominus vobiscum*, eo modo, quo potest dicere, *Venite Adoremus*, &c.

A fortiori tenentur officium recitare Interdictus, Suspenso, & Irregularis. Dubitant solum aliqui de Degradato. Communiter illum obligant cum Pal. punct. 6.; quia non debet ex sua culpa commodum reportare: Aliqui tamen apud Sâ, & Tambur. §. 2. illum excusant; quia ab Ecclesia spoliatus est omni Clericali privilegio, & in statum sæcularem eiectus.

X. Quæritur ultimo; An teneantur ad horas, Primo damnati ad triremes. Secundo inclusi in carcere. Tertio capti ab infidelibus. Quarto Latini, qui vel ex concessione Pontificis, vel alia de causa post Sacros Ordines duxerunt uxorem?

Respondeo, probabile esse ex Sanch., & Less. apud Dian. part. 2. tract. 12. resol. 4., damnatos ad triremes excusari; Sicut etiam qui sunt in captivitate, capti ab infidelibus. Ratio est, quia



quia alienum videtur ab Ecclesie benignitate illos in tanta afflictione positos ad officii onus astringere. Idem dici forte posset de inclusis in carcere publico, si quando essent in statu miserrimo valde tristemibus affini; secus vero non excusantur, cum sint in perpetuo otio. Uxorati etiam a Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 8. probabiliter excusantur, si ex dispensatione Pontificis ad nuptias transferunt, quia sunt in statu a tali obligatione alieno. Præterea Tancredi apud Tambur. excusat Sacerdotem damnatum ad mortem pro tribus illis diebus, dum est in sacello; sicut etiam captum ob enorme delictum, puta ob rebellionem; necnon afflictum aliquo repentino, & maximo mœrore, puta ob mortem filii, ob jacturam patrimonii, &c., quando scilicet perturbatio animi magnam difficultatem recitandi pareret; secus vero non excusantur, ut inferius dicemus.

ARTICULUS II.

Quodnam officium recitandum sit?

- I. Quam possint horas recitare, & non ex Romano Breviario?
- II. Num recitandum sit privatim officium B. Virginis, & defunctorum, quando in Rubrica præscribitur; præsertim die Commemorationis defunctorum?
- III. Num liceat Horas recitare idioma te Græco, aut Hebreo, vel vulgari?
- IV. Peccat graviter, qui semel unum officium pro alio notabiliter diverso; necnon qui sæpius unum officium pro alio recitat.
- V. Rubrica servanda alia sunt Præceptiva, quæ obligant sub mortali; alia Directiva, quæ non obligant sub mortali.
- VI. Si per errorem officium pro officio re-

citatum sit, corrigatur error, ubi deprehenditur.

VII. Qui missam celebrat de Sancto, cujus festum in aliqua Ecclesia celebratur, potest probabiliter officium de eodem Sancto recitare.

VIII. Quilibet potest sequi ritum socii, cum quo Horas recitat.

I. **P**ROcul dubio recitandum est ab omnibus officium ex Breviario Romano, exceptis iis, qui alio Breviario utuntur ex consuetudine ante ducentos annos a constitutione Pii V. edita anno 1568, ut sunt Benedictini, Dominicani, Ecclesia Mediolanensis, &c.; qui probabiliter non possunt privatim uti Breviario Romano, cum debeant se suæ Ecclesie conformare; Quamvis possit consentiente Prælato recipi ab iis Communitatibus Breviarium Romanum, quo recepto non possunt amplius ad suum redire: Bonac. tamen cum Lessi, Surar., Sæpurat probabile etiam esse, quod Dominicanus, vel Benedictinus possit privatim uti Breviario Romano; quia sic conformaretur Ecclesie communi, quæ est Mater omnium. Notandum etiam Breviarium Romanum editum fuisse primum a Pio V., deinde a Clem. VIII. recognitum, demum cum novis hymnis ab Urbano VIII. revisum; qui præcepit, ut hoc novo omnes uterentur; permisit tamen, ut qui haberent illud Pii V., & Clem. VIII., illo uti possent. Ex quo fit, neminem teneri, licet possit, ad emendum hoc novum Breviarium, cum permissum sit uti antiquo.

II. Quæritur nunc primo; An qui ad horas tenentur, debeant etiam recitare officium Beatissimæ Virginis, & Defunctorum, quando in Rubrica præscribitur?

Respondeo cum Tambur. ex Bulla Pii V. non teneri ad recitandum illud privatim, qui utuntur Breviario Romano:



mano: Utrum autem in die Commemorationis Defunctorum teneantur? Et utrum ad litanias teneantur in festo Divi Marci, & tribus diebus Rogationum? Communiter Doctores affirmant; Multi tamen negant, quia Pius V. absolute liberat Sacerdotes ab obligatione recitandi officium Defunctorum privatim. Quare ex hoc, quod Rubrica illorum dierum imponat officium defunctorum, & litanias, docent non sequi, quod ista sint pars officii illius diei, sed solum quod habeatur talis Rubrica directiva, non praeceptiva; Quam sententiam putat probabilem Tambur.: Sed a communi non est recedendum.

III. Quæritur secundo; Utrum peccet, qui recitat officium idiomate græco, vel italico, vel hebræo, &c.?

Respondeo cum Bonac., & Sà, non peccate, qui privatim sic recitaret ad aliquem bonum finem, puta ne dediscatur tale idioma: Ratio est, quia retineretur quoad substantiam formula Romana precandi; Si vero sine ullo bono fine, græco, vel hebræo idiomate recitaretur, videtur veniale; quia fieret contra consuetudinem Ecclesiæ Latinæ in re non admodum gravi. Verum si vulgari idiomate recitaretur, peccaretur graviter; quia ex Bellarm., & Suar. Ecclesia Romana semper abstinendum duxit a vulgari lingua. Qui tamen ex voto, vel pœnitentia deberet recitare Pater, & Ave, non peccaret, si vulgari idiomate recitaret, quia hæc passim proponuntur ab Ecclesia in compendiis doctrinæ Christianæ. Immo si Psalmi ex voto, aut pœnitentia recitandi privatim recitentur idiomate vulgari ob bonum aliquem finem, videlicet ob majorem devotionem, Tambur. ex Bonac. putat, quod neque ullo pacto peccaretur.

IV. Quæritur tertio; An liceat officium pro officio recitare?

Respondeo, damnatam esse ab Alex. VII. propos. 34., quæ dicit: *In die Palmarum recitans officium paschale satisfacit præcepto*. Ex qua damnatione insinuat peccari graviter, quoties mutatio unius officii in aliud est notabilis mutatio ritus Ecclesiæ. In hac re Suar. tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 2., & 23., Bellarm., Reginald., Navar., Filliuc., Bonac., & alii putant peccari graviter, etiamsi semel officium pro quolibet alio officio recitetur. Ratio est, quia Pius V. in Bulla, quæ in fronte Breviarii apponitur, vult, & declarat non aliter satisfieri præcepto recitandi officium, quam recitando illud juxta Rubricas præscriptas, quæ non solum præscribunt officium in genere, sed etiam quod tale officium tali die recitetur; Quare qui illud omittit, substantiam illam præcepti non adimplet; Sicut substantiam præcepti non adimpleret, qui loco officii recitaret mille orationes dominicas, quamvis longius oraret: Unde docent, quod qui propter inadvertentiam unum officium pro alio recitavit, teneatur iterum sub mortali recitare officium illius diei, nisi parvas materiae diversæ excusaret.

Communior tamen sententia apud Pelliz., Tambur., & Dian. part. 2. tract. 12. resol. 3. docet peccare graviter, qui aut semel mutat officium in notabiliter brevius (puta officium Palmarum, vel Passionis, aut consimilis dominicæ in Paschale) aut sæpius mutat unum in aliud officium pene æquale; Contra vero peccare venialiter, qui raro sine causa ob solam commoditatem mutat unum officium in aliud non notabiliter diversum; Et ne venialiter quidem peccare, qui rarissime ratione itineris, studii, infirmæ valetudinis, magnæ defatigationis, vel etiam non mediocris devotionis erga aliquem Sanctum mutat unum officium in aliud, licet brevius; dummodo non sit



fit notabilis variatio ritus Ecclesiastici; qualis esset, si die lugubri palmarum, vel hebdomadæ Sanctæ recitaret officium Paschæ. Ratio horum omnium est eadem, quia scilicet Pius V. præcipit, ut officium recitetur juxta rubricas Breviarii Romani: Quare quando Rubricæ violantur in materia gravi, peccatum est mortale, quando in materia levi, peccatum est veniale; Si vero sufficiens ratio detur, ne in materia levi Rubricæ observentur, peccatum est nullum. Quæ omnia fuisse perpendimus in Trutina Thesium damnatarum exponendo prædictam thesim ab Alex. VII. confixam.

V. Notandum hic ex Lug. de Euch., Gavant., Tambur. de Sacrif. Missæ lib. 2. cap. 5. Rubricas missalis, & breviarii alias esse Directivas, alias Præceptivas: Istæ obligant sub mortali, nisi excuset parvitas materiæ; Illæ vero cum sint de consilio, non obligant sub mortali; & si ex aliqua causa negligantur, ne sub veniali quidem obligant. Sunt autem Præceptivæ ex Lug., quæ ex jure, vel ex legitima consuetudine aliquid graviter præcipiunt; ut est Sacrificii integritas, ac locus, jejunium naturale ante Sacrificium, vestes, & instrumenta debita Sacrificio adhibere, præmittere confessionem mortalium, &c. Aliæ vero Rubricæ, verbi gratia, de servando ritu duplici, de multiplicitate orationum, &c., dicuntur directivæ, quæ ad mortale non obligant, si sine scandalo, aut contemptu negligantur: Quia tamen qui ut plurimum eas non servat, videtur implicite contemnere, ut ait Gavant. part. 3. tract. 2., ideo qui continuo eas negligit, peccat mortaliter. Si vero negligentia sit modica, aut in parva materia, peccatum est dumtaxat veniale.

VI. Ex dictis inferitur cum communiori sententia, quod qui invincibiliter erravit, officium pro officio reci-

tando, non teneatur officium repetere: Quod si quis hodie recitavit officium crastina recitandum, aliqui putant, quod crastina deinde debeat recitare officium hodiernum: Equidem cenfeo cum communiori, quod ubi error advertitur, ibi corrigendus sit; unde crastina debeat recitare officium illius diei, etiam si illud hodie per errorem recitarit; sic enim semel, non bis erraret. Eodem modo qui matutinum, & laudes dixit de Sancto A., vel de feria, & deinde errorem advertit, quamvis possit iterum dicere matutinum debitum, non tamen tenetur; satis enim est si corrigat tunc errorem prosequendo horas debitas, quamvis non conformes matutino, quod recitavit.

VII. Dubium est primo; An qui celebrat in aliqua Ecclesia missam de aliquo Sancto, quod ibi solemnizatur, (potest enim id facere quilibet Sacerdos, ut se conformet loco, in quo celebrat) possit deinde recitare officium de eodem Sancto, ut missa cum officio concordet juxta Rubricas?

Respondeo, non facile id admitendum de quolibet Sacerdote. Tambur. ex Quintanadvenas tract. 8. singulari 7. solum docet, probabile esse, quod Capellanus Monialium si in Ecclesia Monasterii missam celebret de Sancto, quem Moniales forte propter suum ritum celebrant, ut se conformet cum solemnitate earum, quibus infervit, possit deinde domi officium privatum de eodem Sancto recitare. Idemque docet Croix lib. 4. n. 1254. de Sacerdote habitante cum Religiosis, aut exercitia obeunte apud illos. Ex quo sequitur, quod possit hic etiam anticipato primas vespere recitare de eodem Sancto; quia primæ vespere sunt pars officii diei sequentis, ut notat idem Tambur. lib. 2. cap. 5.

VIII. Dubium est secundo; An liceat



ceat cuilibet sequi ritum socii, cum quo recitat officium, etiamsi nulla detur causa recitandi officium cum illo?

Respondeo ex Henr., & aliis apud eundem Quintanad. probabiliter affirmative. Ratio est, quia, ut notat idem Tambur., id videtur consequi ad naturam societatis, in quo contractu Socii in lucro sunt omnino pares: Præterea, quod lex, seu privilegium disponit in uno ex correlativis, extendi solet ad aliud; ergo si uni detur privilegium recitandi, verbi gratia, officium de Conceptione, vel recitandi anticipato, & possit hic ad libitum cum socio officium recitare, consequenter socius eodem privilegio uti poterit.

### ARTICULUS III.

Sub qua Culpa, & Pœna officium sit recitandum?

- I. Etiam qui semel officium omittit, peccat graviter.
- II. Num septem peccata committat, qui septem officii horas omittit, an vero unum dumtaxat?
- III. Quanam dicatur pars Officii notabilis, cujus omissio sit lethalis?
- IV. Qui omittit Horas, ad quas obligatur ratione Ordinis Sacri, & ratione Beneficii, probabilius unum peccatum contra Religionem committit, cum onere restituendi fructus.
- V. Si dubites an partem officii omiseris, ad quid teneris?
- VI. Surdus, qui cum socio recitat, tenetur recitare, quæ ipse non audit.
- VII. Potest alter ex sociis omnes Lektionen, Capitula, & Orationes recitare.
- VIII. Quandonam Beneficiarius omittens horas ad restitutionem fructuum tenetur?

I. Quæritur primo; An peccet graviter, etiam qui semel aut iterum officium omittit?

Respondeo affirmative cum communi contra Angelum, & Aragon, quorum sententia reputatur improbabilis; Sicuti peccat graviter etiam qui semel in toto anno non afficit Sacro die festo; & qui semel in tota Quadragesima non jejunit. Ratio est, quia violatur præceptum in materia graviter pertinente ad virtutem Religionis; etiamsi talis omissio non sit ex consuetudine, aut ex contemptu, sed ex mera negligentia.

II. Quæritur secundo; An peccet graviter qui quancunque horam omittit, itaut septies peccet, qui eodem die integrum officium omittit?

Respondeo duas esse in hoc sententias. Prima Vasq., Suar., Bonac. docet, totum officium præcipi unico præcepto, itaut unum sit peccatum omittere integrum officium; quamvis majus peccatum sit, quam si solum matutinum omitteretur. Secunda Cajet., Less., Tolet. docet, tot esse præcepta, quot horæ Canonice, unde septem peccata committat, qui totum officium omittit; Utraque sententia est probabilis, prior tamen est communior, & ideo juxta illam discurrendo certum est apud Doctores, quod mortaliter peccet, qui partem officii notabilem omittit.

III. Dubium tamen est; Quanam dici debeat pars notabilis officii?

Aliqui volunt decimam partem horæ parvæ, puta Completorii, esse partem notabilem; Alii tertiam partem; Alii medietatem, ut tenet Filliuc., Suar., Laym. Certe integram, aut ferè integram horam parvam omittere est mortale, ut docent Less., Bonac. Pal. punct. 5., Tambur., & alii; Quare media pars circiter horæ parvæ probabiliter non est materia notabilis.

Et



Et ratio est, quia quod est minus tanta parte, nec secundum se, nec relate ad totum officium videtur pars magna, nec notabiliter nocet fini intento a Legislatore per recitationem officii, qui est cultus Dei. Solum vespere sabbati Sancti, quia sunt brevissima, docent nonnulli, quod non sint pars notabilis; quamvis contradicat Suar., quia esset notabilis deformitas quoad officii integritatem illas omittere.

IV. Dubium est etiam; Utrum qui pluribus titulis tenetur officium recitare, videlicet ratione beneficii, & ratione Ordinis Sacri, plura peccata committat, si illud omittat? Suar., Fagund., Azor. putant plura peccata committi; nam ratione Ordinis Sacri peccatur contra Religionem, & ratione beneficii contra iustitiam commutativam. Sed probabilius censo cum Pal., Henricq., Dian. part. 2. tract. 12. resol. 22. unicum esse peccatum contra Religionem; quia tota obligatio recitandi officium etiam in habente beneficium oritur ex vi præcepti Ecclesiastici, quod etiam obligat ad restitutionem fructuum, si omittatur officium a beneficiario; unde hic officium omittere non peccat contra iustitiam commutativam; quamvis contra iustitiam peccaret, si fructus Beneficii retineret, utpote non suos.

Infertur ex dictis primo, merito damnatam esse ab Alex. VII. propositionem 33. quæ dicit: *Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsentis, & crastino*; Nam consuetudo Ecclesiæ, quæ est certissima legum interpretis, obligat ad singula officia singulis diebus; ut ostendimus in Trutina hanc thesim exponendo.

V. Infertur secundo, rejiciendam esse opinionem Leand. tom. 2. tract. 6. disput. 13. putantis adimpleri præceptum recitandi officium hodiernum, si incipiatur ante mediam noctem an-

tecedentem, itaut in media nocte compleatur. Ratio est eadem, videlicet consuetudo Ecclesiæ, ut horæ non nisi post mediam noctem recitentur, dempto matutino cum laudibus, quod potest anticipari.

Infertur tertio, quod qui dubitat, an aliquam horam omiserit, teneatur illam repetere, quia stat præceptum in possessione: Quod si recitato officio dubitas, an omiseris aliquam partem notabilem, putant probabiliter Homob., Tambur., Dian. part. 4. tract. 3. resol. 68., quod non tenearis repetere, quia possessio videtur stare pro te,posito quod officium recitaveris; præsertim si aut recitaveris legendo, aut scias, regulariter te non errare, nec saltare, dum recitas memoriter, ut notat Sanch. Quare tunc solum teneris repetere, quando vel dubitas an officium omiseris, vel est moraliter certum, quod omiseris in recitando partem notabilem intermediam, non vero quando de hoc est solum dubium; præsertim si angaris scrupulis.

VI. Infertur ultimo, recitantem cum socio debere audire, quæ ille recitat, quia prolationi illius partis succedit tuus auditus; aliter non recitares integrum officium; Si enim quod recitatur a socio, nec percipitur, nec auditur a te, quomodo potest oratio illius esse tibi communis? Ex quo sequitur, surdum, qui cum alio officium recitat, debere privatim recitare partem, quam non audit, ut communiter docent contra Verricel. Probabile tamen est quod docet Laym. contra Suar., eum, qui occupatur in pulsandis organis, in thure præbendo, &c. dum canitur officium in Choro, non teneri repetere ea, quæ tunc in Choro canuntur, quamvis ipse non audiat; Sicuti etiam, ut notant nonnulli apud Dian. part. 2. tract. 12. resol. 13., si quis ut apte pronunciet suam



lectionem; praevidet illam, dum in Choro alia canuntur. Ratio ex Sanch. est, quia Chorus censetur esse unum corpus, & quod unus profert, censetur proferre alii, qui occupantur in iis, quae ad Chorum sunt necessaria. Et propter eandem rationem excusatur, qui a tussi impeditur, ne proferat, aut audiat, quae tunc canuntur.

VII. Ubi nota cum Suar., Pal. apud Dian. resol. 12. contra Azor., posse lectiones omnes ab uno tantum recitari; sicut etiam capitula, orationes, antiphonas, responsoria, &c.; & satis esse si Psalmi, & versus Psalmorum alternatim cum socio recitentur: Et ratio est ipsa praxis Ecclesiae.

VIII. Quæritur tertio; Cuiam pœnæ subjiciatur omittens officium?

Respondeo, solis Beneficiariis, & Pensionariis (qui scilicet gaudent pensione Clericali tenentur recitare officium B. Virginis) impositam esse pœnam restitutionis fructuum, qui ex beneficio, vel pensione pro illo tempore percipiuntur. Ita post Concil. Lateranense Pius V.; qui tamen non obligat ad restitutionem fructuum, nisi illum, qui omittit officium post sex menses ab obtento beneficio; quamvis si intra hos sex menses officium omittat, peccet mortaliter.

Ubi notandum primo, quod ut quis teneatur ad restituendos fructus pro rata omissionis, debeat officium culpabiliter omittit; si enim abest culpa, aberit & pœna restitutionis: Explicat tamen Pius V., quid sit restituere pro rata omissionis? Et sensus est, quod si uno die omittat officium, debeat restituere fructus respondententes tali diei; Unde si beneficium reddat quorannis tercentum sexaginta quinque aureos, pro omissione unius officii debeat restituere unum aureum, & pro omissione duorum duos, &c. Si vero omittat solum matutinum, &

laudes, debeat restituere mediam partem fructuum respondentium uni diei; ac pro omissione singularum horarum sextam partem fructuum illi diei respondentium.

Secundo, facienda est restitutio ante Judicis sententiam; tum quia opposita sententia damnata est ab Alex. VII. in propos. 20., quæ habet: *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiariis non recitantibus non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna*; Qua de re plura diximus in loco; tum etiam quia in constitutionibus Pontificiis dicitur, quod beneficiatus omittens officium fructus non faciat suos, atque adeo tanquam injuste percepti restituendi sunt.

Tertio, Restitutio hæc facienda est, vel in utilitatem fabricæ domus, in qua est beneficium, vel in utilitatem ipsius campi, ut possit deinde uberiores fructus reddere, vel demum pauperibus, cujuscumque loci sint. Inter pauperes etiam enumerari possunt animæ defunctorum, & tu ipse, si vere es pauper; quia sic non tam ipse tibi, quam Pontifex tibi applicat eas elemosynas.

Quarto, Restitutio facienda est probabiliter, ut graves Doctores docent, solum de fructibus correspondentibus recitationi officii, non vero de fructibus correspondentibus aliis muneribus beneficio annexis, quibus beneficiarius satisfacit. Ratio est, quia durum videtur, eandem restitutionem faciendam esse a simplici beneficiario, ac a Parocho, vel Cappellano, qui aliis muneribus dant operam. Unde isti Doctores docent, Episcopum, vel Parochum omittentem solum officium teneri restituere dumtaxat quintam partem fructuum; Canonicum vero quartam partem; alios demum Cappellanos, & alios beneficiarios, qui præter recitationem habent alia onera tertiam partem.

Quintus



Quinto, qui omittit officium, quamvis cum intentione restituendi fructus beneficii, procul dubio peccat mortaliter; quia non satisfacit præcepto recitandi officium, quamvis velit satisfacere præcepto restituendi fructus, si non recitet.

Demum, qui officium hodie prætermittit, etiamsi cras bis officium recitet, adhuc tenetur restituere; quia onus recitandi officium est affixum diei.

ARTICULUS IV.

Quo pacto recitanda sunt hora Canonica?

- I. In virtute Sancta Obedientia precipitur, ut studiose, & devote, atque adeo cum attentione, & intentione debita Officium recitetur.
- II. Pronunciatio debet esse de se audibilis, saltem ab ipso loquente.
- III. Debent posse audiri, qua socius pronunciat; non sunt tamen supplenda, qua per accidens non audiuntur; Secus si per se.
- IV. Quanam verborum mutilatio dicatur notabilis?
- V. Interruptio horarum, aut Psalmorum num pertingere possit ad culpam gravem?
- VI. Quanam attentio, & quanam intentio requiratur in officii recitatione? Num satisfiat, qui solam habet attentionem externam?
- VII. Qui voluntarie distractus caret attentione debita, si sit Beneficiarius, licet graviter peccet, probabiliter tamen non tenetur fructus restituere.
- VIII. Num similis attentio, & intentio requiratur in auditione Missa præcepta?
- IX. Probabiliter in virtute Obedientia precipitur solum actus studiosus externus.

Pars II.

I. CERTUM est, horas studiose, & devote recitandas esse; tum quia hoc spectat ad orationem vocalem quamcumque, cum sit locutio facta Deo; tum etiam quia id præcipitur in cap. *Dolentes, de Celebratione missarum*; ubi dicitur: *Hac igitur, & similia sub pena suspensionis penitus inhibemus, districte precipientes in virtute obedientia, ut divinum officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter, & devote.* Ut autem studiose recitetur, requiritur primo, ut nihil omitatur; Secundo, ut sine interruptione recitetur: Ut autem recitetur devote, requiritur attentio simul, & intentio.

II. Quæritur nunc primo; Qualis pronuntiatio requiritur, ut studiose officium recitetur?

Respondeo, primo requiri pronuntiationem vocalem exteriorem, per quam verba proferantur. Utrum autem pronuncians debeat posse seipsum audire, si absit strepitus exterior? Negat probabiliter Azor. cum Bonnac. punct. 2., quorum doctrinam admittit Filliuc. solum pro scrupulosis. Et ratio est, quia Ecclesia id non præcipit; aliter surdastri deberent vociferari. Verum communiter apud Dian. part. 2. tract. 12. resol. 2. cum Reginald., & Suar. docent, quod vox debeat esse audibilis saltem ab ipso orante; quia de ratione orationis vocalis est, ut voce proferatur, & consequenter ut possit audiri, quia vox essentialiter est sonus, & sonus est ex natura sua audibilis. Notat tamen Suar., quod phylice loquendo vix formari possit vox, quæ ab ipso loquente audiri non possit seclusis impedimentis.

III. Secundo, quando recitas cum socio, debes ita pronuciare, ut possis a socio audiri, eumque vicissim audire. Ratio est, quia aliter non com-

G mu.



municas cum ea parte, quæ a socio recitatur. Quamvis Sæ putet, quod non tenearis supplere ea, quæ per accidens non audisti, nisi forte sis surdus; tunc enim non per accidens, sed per se fuit, quod non audires. Hinc sequitur etiam, quod tenearis attendere ad ea, quæ socius profert; aliter cum illo non comunicas in recitatione.

IV. Tertio, pronunciatio debet esse integra sine mutilatione verborum, sine synopa, sine præcipitancia; Et si recitas cum socio, non poteris ita festinanter recitare, ut nondum expletis ab illo versiculis, tu incipias: Quare si hoc fiat in notabili quantitate, peccatur mortaliter; ut communiter Doctores docent; Si vero in parva quantitate, solum venialiter; Si demum involuntarie propter inadvertentiam, vel inveteratam consuetudinem, quæ corrigi sine magna difficultate non potest, vel ob justam festinationem, vel ob linguæ balbutiem, nullum erit peccatum, ut docent Less., & Pal. Notat etiam Dian. part. 2. tract. 12. resol. 32. ex Filliuc., & Azor., quod si cum notabili abscissione verborum perseverat adhuc sensus, & significatio illorum, non videatur violari præceptum in re gravi; Unde sic recitans non teneretur officium repetere, si mutilando verba sensum verborum notabiliter non variaret, aut corrumperet; Et idem dicas, si officium recitetur cum aliquo socio, qui propter festinationem ita abscindit verba notabiliter, ut tamen sensum verborum notabiliter non corrumpat.

V. Quarto, pronunciatio cujuslibet horæ debet esse continuata: Quod si notabili tempore interromperetur sine iusta causa, putant Sæ, Navar., Medin., Azor, quod peccetur graviter; non secus ac graviter peccatur, si celebratio missæ sine causa interrum-

patur; Et ratio est, tum quia non videtur moraliter continuari officium, quando longa est interruptio; tum etiam quia in Concil. Tolet. VII. sub pœna excommunicationis cavetur, ne quis divina officia interrumpat. Verum communius cum Filliuc., & Bonac. docent, quod si notabili tempore sine causa interrumpatur non solum hora, sed etiam Psalmus, peccetur dumtaxat venialiter, & si cum causa, ne venialiter quidem. Ratio est, quia de substantia præcepti recitandi officium non videtur esse continuatio; cum preces interruptæ suam habeant significationem, quæ totum officium integrare possunt. Nec est eadem ratio de missa, aut de formis Sacramentorum; quia integra missa habet representare mysteria sua, quæ non sufficienter representantur, si notabiliter missa interrumpatur. Et eodem modo formæ Sacramentorum propter practicam verborum significationem requirunt continuationem moralem, quam non requirit officium. Ad id, quod additur de Concil. Tolet. Respondetur, pœnam excommunicationis imponi contra interruptentes sacrificium missæ; cum loquatur ille textus de Sacerdote celebrante, vel si loquitur de divinis officiis, intelligendus est de illa interruptione, quæ fit animo non persolvendi ea, quæ supersunt recitanda, ut putat Bonac.

Notandum tamen primo, consilium esse, quod quando interruptio est longa, tunc ab initio repetatur saltem Psalmus. Secundo, divisionem matutini a laudibus non ferre interruptionem divini officii; unde privatim fieri potest etiam sine causa, ut docet Dian. part. 5. tract. 14. resol. 48. ex Sanch., Bonac., Filliuc. Nec est opus absolvere Matutinum addendo in fine orationem, nisi in nocte Natalis Domini, juxta Sententiam Sanchez contra Suarium t. 2. de Relig. lib.



lib. 4. cap. 6. num. 12. Nec oportet incipere laudes una cum Pater, & Ave, ut putat Gavant. contra eundem Suarium; quia de his nulla extat rubrica. Tertio probabile est, singulos nocturnos posse separatim dici, saltem intra trium horarum spatium, quia sic antiquitus fiebat juxta nonnullos.

Quinto, recitari debent Horæ ordine suo; quamvis nonnisi veniale sit ordinem horarum invertere; & si causa subsit, ne veniale quidem: Verbi gratia, si velis cum amico, vel in Choro recitare posteriores horas, antequam recitaveris priores; vel si non habendo præ manibus officium, recites psalmos in diurno, dilatis lectionibus. Notat tamen Vasq. apud Dian. resol. 16. esse mortale sæpius sine causa invertere ordinem officii, quia nimis derogaretur ordini, & consuetudini Ecclesiæ. Sed opinio contraria est communior, & probabilior. Idem dicas, si missa celebretur ante recitationem matutini; quamvis enim olim putarint Bellarm., Azor., Reginald., & alii id esse mortale; communiter tamen nunc docent esse tantum veniale, si sine causa fiat; quia ea consuetudo non adeo stricte nunc est recepta.

VI. Quæritur secundo; Quænam attentio, & intentio requiratur ad horas devote recitandas, prout præcipitur in virtute Sanctæ Obedientiæ in laud. cap. *Dolentes*?

Respondeo, circa intentionem nos diximus quæst. 1. art. 4. requiri intentionem ponendi opus injunctum; quia præcepta impleri debent humano modo: Unde non satisfacit præcepto, qui recitat horas in somno, aut ebrietate, aut animo addiscendi tantum. Addidimus loc. cit. requiri quidem intentionem ponendi opus præceptum, non tamen intentionem satisfaciendi per tale opus præcepto;

Immo si quis recitet officium animo non satisfaciendi præcepto per talem recitationem, adhuc probabiliter satisfacit, ut docet Suar., Vasq. contra Navar., Azor., & alios; quia vere ponit id, ad quod obligatur.

Circa attentionem vero, Navar., Sylvest., Con. quæst. 83. de Sacram. nullam attentionem internam requirunt aut ad Deum, aut ad sensum verborum, sed putant satis esse attentionem externam, integre proferendo verba, supposito animo orandi, & vacandi Deo: Hæc autem attentio externa importat solum exclusionem omnis alterius actionis impossibilis cum attentione interna, (qualis esset, verbi gratia, recitando horas legere epistolas, scribere, pingere, &c.) quamvis animo distraharis voluntarie: Quam sententiam non putant improbabilem Laym., Less., & alii apud Dian. part. 1. tract. 12. resol. 2.; quia Ecclesia non judicat de internis, atque adeo non præcipit actus internos.

Verum communiter Doctores aliquam attentionem internam saltem virtualem requirunt, quæ importat aliquam confusam attentionem ad Deum, vel ad sensum verborum. Ratio est, quia sine attentione ulla interna non subsistit oratio graviter præcepta; Unde sicuti præcipiendo confessionem Sacramentalem Ecclesia præcipit indirecte etiam actus internos ad illam requisitos, ita præcipiendo orationem vocalem, præcipit etiam attentionem internam, sine qua illa non subsistit. Satis autem est attentio interna virtualis, quæ habetur quoties attentio actualis non revocatur vel expresse, vel tacite per distractionem voluntariam, aut per actionem cum attentione interna impossibilem, ut est lectio, scriptio, &c. Si vero actio externa non notabiliter impediatur attentionem internam, ut



est actio abluendi manus, induendi se, &c., erit tantum veniale sine causa tales actiones cum officio conjungere: Unde sequitur, ad devotam recitationem officii sufficere, si in genere intendas recitare officium modo consueto, & animo laudandi Deum, aut satisfaciendi proprio muneri, & deinde non admittas voluntarie mentis evagationes, nec occuperis in actionibus impediendis attentionem internam ad Deum, vel ad sensum verborum.

VII. Quod si sponte distractus nullam habeas debitam attentionem, non solum peccasti graviter, sed etiam juxta communiorem, & probabilior sententiam teneris horas repetere, & restituere fructus beneficii, quia non implesti praeceptum orandi devote. Quamvis nonnulli apud Dian. part. 1. tract. 12. resol. 13. probabiliter putent, quod licet graviter peccaveris, non teneris tamen restituere fructus beneficii; tum quia substantiam operis praecepti implevisti, licet solum absque circumstantia devotionis; tum etiam quia duplex datur praeceptum recitandi officium, ut notat Cajet., alterum ortum ex antiqua consuetudine recitandi illud simpliciter; alterum vero latum in cap. *Dolentes* citato recitandi devote, & cum attentione; poena autem restituendi fructus beneficii imposita est contra omittentes divinum officium, atque adeo contra violantes primum praeceptum; qui autem voluntarie distrahitur, quamvis violet secundum praeceptum recitando male, non violat primum; quia vere officium recitavit; ergo non tenetur restituere.

VIII. Quod diximus de attentione in recitatione officii, dicendum de attentione in auditione missae. Communiter enim docent requiri attentionem internam, saltem virtuales ad Deum, vel ad actiones ipsas Sacrifi-

cii; unde qui voluntarie distrahitur, peccat graviter, & aliam missam tenetur audire, quia oratio sine ulla interna attentione non est oratio. Verum Dian. loc. cit. cum Con. Laym., Less. putat pariter non esse improbable, satisfacere etiam praecepto audiendi missam, qui voluntarie distrahitur, verbi gratia speculando, vel versando mente negotia, immo etiam cogitando turpia; dummodo non exerceat actionem ullam incompossibilem cum attentione interna, videlicet confabulando, ridendo, legendo ea, quae devotionem non excitant, &c. Ratio est, quia Ecclesia non praecipit, nisi actum externum religionis, cum non possit praecipere actus mere internos, quos cognoscere, & judicare non potest; atqui tam auditio missae, quam recitatio officii, si fiant cum debita reverentia externa, humano, & religioso modo, sunt actus religionis externi, etiam si mens voluntarie distrahatur; ergo per hujusmodi externas actiones praecepto Ecclesiae satisficit.

IX. Addit Con. quaest. 86. de Sacram. art. 6., quod in cap. *Dolentes*, ubi praecipitur in virtute obedientiae, ut officium studiose, & devote recitetur, solum praecipitur actus studiosus externus, itaut exterius non peccetur contra religionem, ut patet ex contextu; quia ibi agitur contra illos, qui in divino officio fabulantur cum saecularibus. Omnes tamen Doctores conveniunt, quod saltem venialiter peccet, qui Deum alloquitur in recitatione officii, & auditione missae cum distractione voluntaria; nam ea saltem levis est irreverentia.



## ARTICULUS V.

De Tempore, Loco, & Situ  
recitationis Horarum.

- I. *Quodnam sit tempus, quo singula hora recitari debent?*
- II. *Num possit officium defunctorum recitari pridie Commemorationis Defunctorum? Et num etiam Litanie, quando debent recitari?*
- III. *Peccat mortaliter, qui incipit recitare officium hodiernum paulo ante mediam noctem sequentem cum animo prosequendi illud post mediam noctem.*
- IV. *Qui mane recitavit totum officium circa ullam obligationem, si deinde meridie ordinetur, non tenetur repetere horas vespertinas.*
- V. *Deputati ad Chorum tenentur illud in Ecclesia recitare publice; alii vero possunt ubilibet privatim recitare; non tamen in locis, quae attentionem debitam impediunt, aut in locis immundis.*
- VI. *Non vacat veniali culpa recitare Horas aut decumbendo, aut cum sinu parum decenti.*
- VII. *Num sit veniale recitare stando, aut sedendo, quae flexis genibus recitanda sunt?*

I. **Q**uæritur primo; Quo tempore recitandæ sint horæ?

Respondeo, matutinum, & laudes juxta sententiam Filliac., Bonac., Tambur., Trull. lib. 1. cap. 7. ex consuetudine jam recepta probabiliter recitari posse citra veniale, & absque ulla causa ab inclinatio præcedenti die, videlicet duabus, vel tribus horis post meridiem diei antecedentis usque ad unam circiter horam post ortum solis diei sequentis: quare hyeme, verbi gratia, recitari potest Neapoli post horam vigesimam primam diei ante-

cedentis usque ad decimam quintam cum dimidio subsequenti: æstate vero post horam decimam nonam ac prope vigesimam: At Prima, Tertia, Sexta, & Nona recitari debent ab aurora usque ad meridiem; Vesperæ, & Completorium a meridie usque ad vigesimam quartam horam: Nihilominus si intra eundem diem recitentur privatim, licet non in suis horis, peccari solum venialiter, si nulla causa subsit, communiter docent, & ne venialiter quidem, si aliqua detur causa. Verum sub mortali tenentur Prælati curare, ut suis horis cantetur officium in Cathedralibus, Collegiatis, & Regularium Ecclesiis, cum id sub indignatione Dei, & Sedis Apostolicæ præcipiatur in Clem. 1. De celebrat. Missar.

II. Circa Matutinum defunctorum Gavant. in Rubricas Breviarii cap. 2. sect. 2. refert, S. R. Congregationem prohibuisse, ne die commemorationis defunctorum pridie recitetur. Sed Tambur. putat prohiberi recitationem publicam in Choro, non privatam: Additque de hac prohibitionem non constare authentice. Quare cum Rubrica dicat, quod dicto, Benedicamus Domino, post laudes Sanctorum incipitur absolute officium defunctorum, videtur, quod pridie utrumque matutinum recitari possit. Circa litanias, quæ diebus Rogationum, & S. Marci recitari debent, ut diximus superius, videntur non posse pridie recitari; tum quia Rubrica non designat unionem Laudum cum litanis, sicut designat unionem Laudum cum officio defunctorum, dum dicit, Dicto Benedicamus Domino incipitur officium defunctorum; tum etiam quia Rubrica loquens de litanis dicit, *Hodie recitanda sunt*, quod verbum, hodie, non apponitur in officio defunctorum.

III. Dubium est apud Dian. part. 10. tract. 2. resol. 16. An peccet mort-

ta-



taliter, qui paulo ante mediam noctem subsequentem incipit officium hodiernum, & deinde illud prosequitur post mediam noctem? Negat Leand., sicut enim missa non potest dici post meridiem sine privilegio, & tamen sine culpa potest ante meridiem inchoari, & post meridiem finire, ut habet praxis Ecclesiae; quia opus continuatum videtur pertinere potius ad tempus, quo incipit, quam ad tempus, quo finitur; ita in casu nostro. Sed communiter docent esse mortale, quia non est ea praxis Ecclesiae in officio, sicut est in missa.

IV. Quæritur secundo; An qui mane recitavit integrum officium, & deinde circa meridiem suscipit, verbi gratia, Subdiaconatum, vel incipit possidere beneficium, teneatur repetere horas pomeridianas, eo quod illas sine ulla obligatione ante meridiem recitarit?

Respondeo, Bonac., & Pal. putare, quod debeat repetere; Sicut enim qui die Sabbati audivit missam, tenetur aliam deinde audire die dominico, eo quod præcepto non satisfacit per opus positum, quando præceptum non urget; ita in casu nostro. Verum Lug. de Eucharist. disp. 16. sect. 2., & Tambur. hic putant non teneri; quia multa sunt præcepta, quæ plene observantur, etiamsi ponatur opus paulo ante quam præceptum urgeat; Verbi gratia, si quis mane audiat Sacrum, ubi non est dies festus, non tenetur iterum audire Sacrum, si perveniat ad locum, ubi dies est festus. Ratio est, quia hoc præceptum in eo sensu accipitur communiter, quod scilicet teneatur quilibet audire Sacrum in loco, ubi est dies festus, dummodo illud eodem die non audierit. Et idem dicas in casu nostro.

V. Quæritur tertio; Ubi officium recitandum sit?

Respondeo, Canonicos, & alios

deputatos ad Chorum debere illud in Ecclesia juxta consuetudinem, & institutionem beneficiorum recitare publice in loco ad id designato; Si tamen Choro interesse non possint, poterunt ubilibet illud recitare. Quod etiam dicitur de iis, qui non sunt ad Chorum deputati; dummodo tamen recitent in loco decenti, & ubi attentio impediri non possit; Videtur enim esse venialis irreverentia officium in locis immundis recitare; Unde Molfes. apud Bonac. refert, quemdam post mortem ad eadem loca transmissum esse, ad luendas talis indecentiæ poenas. Qui vero recitat in loco, ubi attentio facile impeditur, videlicet in frequenti hominum conventu, clamore, & strepitu profano, pariter peccat; quia cum teneatur attente officium recitare, tenetur consequenter vitare, quæ attentionem impediunt: Unde eo culpa est gravior, vel levior, quo magis, vel minus attentio debita impeditur.

VI. Quæritur ultimo; Quonam corporis situ officium recitari possit?

Respondeo, irreverentiam venialem esse sine necessitate officium recitare in lecto decumbendo, aut sub immodesta corporis positione.

VII. Utrum autem sit veniale stare, quando ex Rubrica genuflectendum est, aut sedere, quando est standum? Affirmant nonnulli, sed Pal., & Bonac. docent, in privata recitatione hujusmodi rubricas, teste consuetudine, non videri receptas ut præceptivas, sed ut directivas; unde non continent præceptum, sed consilium, cum sint ordinatae ad Chorum: Quare in Choro illas non observare non vacat culpa veniali, ex Suar., Navar., Filliuc., & aliis.



ARTICULUS VI.

De Causis excusantibus ab Horarum recitatione.

- I. Excusare solent ab Horarum recitatione Infirmetas, Gravis occupatio, Impotentia, & Dispensatio.
- II. Infirmetas ut excuset, debet esse gravis, ita ut recitatio valde noccat valetudini.
- III. In dubio an infirmetas sit huiusmodi, standum est iudicio Medici, aut Periti; sed quid si Medicus ipse dubitet?
- IV. Quanam a Doctoribus censeatur esse infirmetas gravis? Num aliquando excusetur ratione aegritudinis ab officio, qui potest missam celebrare?
- V. Qui excusatur a recitatione Horarum ob visus debilitatem, num peccet legendo diu Historias, & omitiendo officium?
- VI. Quanam dicatur occupatio gravis, qua excuset? Num aliquando Concionatores, & Confessarii excusentur?
- VII. Qui prouidet se vesperi impedendum, num teneatur mane Vesperas recitare?
- VIII. Num excusentur ob moralem impotentiam, qui in irremediabilibus, aut in carcere detinentur? Num graui morore perturbati, ac scrupulosi?
- IX. Num teneatur cecus, aut carens Breviario recitare Psalmos Matutini, aut Horarum, quos solum scit memoriter.
- X. Qui nequit sine socio officium recitare, num teneatur illum procurare, ac etiam conducere?
- XI. Licite mititur dispensatione, qui a suo Episcopo, aut a suo Praelato regulari dispensatur ex causa rationabili, non tamen si dispensetur in perpetuum.

XII. Beneficiarius non tenetur fructus restituere, si Horas ob impotentiam omittat; secus vero si eas omittat ex dispensatione Episcopi.

I. **C**Ausa, quae a Doctoribus assignari solent, sunt Infirmetas, Gravis occupatio, Impotentia, Dispensatio, de quibus seorsim agendum, omissis iis, quae in prima quaestione articulo ultimo uniuersim docuimus.

II. Quæritur itaque primo; Quanam infirmetas excuset ab officii recitatione?

Respondeo, solam infirmitatem grauem, ob quam pronuntiatio verborum valde noceret valetudini, excusare. Ita ex cap. Clericus, dist. 91. Et ratio est, quia pia mater Ecclesia non obligat cum tanto incommodo.

III. Hinc sequitur, non excusare infirmitatem leuem, qualis esse potest dolor capitis, stomachi, aut etiam aliquando febris tertiana, aut quartana: Quod si dubitetur an hic, & nunc recitatio sit graviter nocitura, standum est iudicio prudentis medici, ut docent communiter Doctores cum Suar. cap. 28.; quia uniuersim in dubiis standum est iudicio Periti in arte, ex cap. Fratemitatis, De frigidis, & maleficiatis: Quod si ipse etiam medicus dubitet, nec alius peritus consuli possit, tunc ad horas non teneatur, cum nemo teneatur exponere se periculo damni grauis. Ita Pal., Bonac., Caram. contra Suar. loc. cit., qui putat in tali casu dari tantum causam dispensationis, non vero absolutam excusationem, eo quod obligatio sit certa, & excusatio dubia. Sed hæc ratio non urget, quia, ut diximus, etiam dubium incidendi in grave damnum est certa excusatio, eo quod possessio, quam habet homo de non exponendo se periculo occisionis, seu grauis damni, prior est præcepto recitan-



citandi horas, & ideo talis possessio pravalet.

IV. Dubitatur tamen apud Doctores, quanam dicatur gravis infirmitas ad effectum omittendi officium; Et quodnam dicatur periculum incidendi in damnum notabile?

Respondeo, iudicio prudentis id discernendum: Ut autem prudenter aliquis iudicare possit, reflectere oportet ad ea, quae Doctores hac in re decernunt. Sanch. lib. 7. consil. cap. 2. docet, excusationem sufficientem ab officio recitando haberi, si propter illud futura sit stomachi cruditas, vel capitis gravedo, vel virium lassitudo, vel tardior febris remissio. Praeterea imbecillitas ejus, quem febris deseruit, excusat illum per aliquot dies iudicio prudentis ab officio, quia imbecillitas illa convalescentis est quaedam infirmitas: Additque Sanch., quod si vellet iste celebrare iis diebus convalescentiae, posset, quamvis vacaret ab officio, cum id suavitati Ecclesiae tribuendum sit. Docet ulterius Pellizar. tract. 5. cap. 8., quod quartana laborans, quando expectat vesperi accessionem febris, teneatur mane recitare horas tempore matutino respondentes; quamvis non teneatur juxta probabilem sententiam mane recitare Vesperas, & Completorium praeveniendo tempus. Verum si mane sit imbecillis, timeatque sibi recitationem officii nocituram, a toto officio excusabitur. Additque Pellizar., luscum, seu oculis laborantem non teneri ad legendas horas, si timeat paulatim mox se deperditurum vim videndi.

V. Dubitatur tamen; An hic peccet, si voluntarie legat fabulas, vel historias, omittendo officium ratione talis infirmitatis?

Respondet idem Pellizar. cum Tambur. non peccaturum contra obligationem recitandi officium, cum ad illud non teneatur; Sicuti qui ex infir-

mitate comedit carnes in Quadragesima, non peccat contra praecipuum abstinendi a carnibus, si aliquando ob gulam comedat pisces; peccaret ergo uterque solum contra charitatem in seipsum, si haec agat cum periculo gravis detrimenti; quod tamen raro accidit.

VI. Quaeritur secundo; Quanam gravis occupatio excuset?

Respondeo, illam occupationem dici gravem, quae necessaria est in re pertinente ad animae salutem, ad vitam, honorem, fortunas, ita ut si talis occupatio sit moraliter impossibilis cum horarum recitatione, ab ea excuset; Unde ex Tambur. excusantur communiter habituri publicam lectionem in concursu ad cathedram, vel ad Doctoratus lauream acquirendam. Excusantur etiam concionatores, & confessarii, si nec concionem, nec confessiones possunt omittere sine nota, aut scandalo, quando simul satisfacere Officio non possunt. Raro autem accidit, ut non possint confessiones differri ad sequentem diem.

VII. Dubitabis, an qui praevidet se vesperi impediendum, teneatur mane recitare vespertas, & completorium?

Respondeo, quod quamvis universim verum sit, quod qui praevidet se non posse in fine temporis praefixi praecipuum implere, teneatur praevinire; verbi gratia tenetur mane audire Sacrum, qui praevidet se impediendum sub meridiem; tamen probabile est ex Pelliz. tract. 3. cap. 5., quod si impedimentum apponendum vespere sit involuntarium, non tenearis mane vespertas, & completorium recitare, verbi gratia, si laboraturus sis quartana a meridie; secus tamen dicendum si impedimentum sit voluntarium, verbi gratia si velis post meridiem iter facere: Ratio est, quia obligatus ad aliquid ponendum tenetur tollere omnia impedimenta, quae potest, & adhi-







fare valide in lege superioris, ex altera parte potest licite, quando necessitas urget, nec potest facile adiri superior, scilicet summus Pontifex, & multo magis in casibus, qui frequenter occurrunt, ut notant Suar., & Pal.; in iis enim censetur Pontifex potestatem concessisse Episcopis dispensandi, ne fideles cogantur ad Pontificem recurrere in casibus, qui sæpe occurrunt: Quia tamen raro accidit, quod debeat aliquis dispensari in recitatione officii in perpetuum, ideo non potest Episcopus dispensare in perpetuum. Immo notat Merol., quod Vicarius generalis, & capitularis non nisi de mandato speciali Episcopi, & capituli possit dispensare; quia quamvis omnis jurisdictio Episcopi communicetur Vicario generali, at non in iis, quæ sapiunt liberalitatem, & gratiam.

Notandum hic, quod quamvis be-

neficiatus impotens recitare officium vel ob gravem occupationem, vel ob infirmitatem, &c. non teneatur restituere fructus beneficii, eo quod non teneatur ad pœnam, ubi non præcessit culpa; tamen dispensatus ab Episcopo ob justam causam videtur obligandus juxta sententiam Tambur. hic ad restituendos fructus beneficii; quia non apparet posse adesse rationabilem causam, cur etiam in hoc dispensetur ab Episcopo, quod faciat suos fructus beneficii, qui restitui debent ab omittente officium. Opposita tamen sententia non videtur improbabilis, cum non omittatur officium culpabiliter: Sicut qui ex dispensatione Pontificis non residet, non eatenus obligatur restituere fructus Beneficii correspondentes residentia; ut fert praxis, & fusius ostendimus in Opusculo de Beneficiis.

## Q U Æ S T I O IV.

### De Dei Cultu per Adorationem.

**A**doratio, alter præstantissimus actus religionis, definitur a D. Th. 2. 2. quæst. 84., quod sit *Exhibitio reverentia, seu honoris cum submissione propter excellentiam ejus, cui exhibetur*: Et ex Damasceno Adoratio est *Submissionis, & humiliationis nota*. Quare differt honor ab adoratione, quia quamvis omnis adoratio sit honor, non tamen e contra; Nam honor etiam æqualibus exhiberi potest, adoratio vero non nisi excellentiori, cui nosmetipsos submittamus. Quia tamen excellentia alia est Increata propria Dei, alia Creatura, idcirco tam Deus, quam creatura adorari possunt; quamvis diversimode, ut infra. Dividitur autem primo Adoratio ex parte actus in Internam, & Externam: Illa fert voluntatis submissionem alteri propter suam excellentiam, hæc vero fert eandem submissionem exterius significatam, verbi gratia genuflexione, inclinatione, osculo pedum, manuum, &c.: Quia tamen ab hominibus adorari debet Deus animo simul, & corpore, seu adoratione externa, quæ supponat internam, idcirco D. Th. Adorationem reposuit inter exteriores actus religionis.

Secundo dividitur ex parte objecti, seu ex parte personæ adoratæ in Latriam, Hyperduliam, & Duliam. Latria est adoratio, quæ soli Deo, ut pri-

ma



ma causâ, supremo Domino, & ultimo fini exhibetur, & hinc dicitur Idololatria Adoratio Idoli tanquam veri Numinis.

Dulia (quod vocabulum apud Græcos idem sonat, ac servitus) importat adorationem, quæ exhibetur Sanctis tanquam Dei servis. Hyperdulia est adoratio, quæ exhibetur Beatæ Virgini, utpote quæ aliis Sanctis Dei servis longe præstat tum sanctitate, & gratia, tum etiam maternitate Dei. Et eadem adoratione hyperduliæ adorari debet Humanitas Christi Domini secundum se spectata, secundum quod est aliquid creatum: Sicut etiam Unio hypostatica. Quamvis Christus Dominus cum sit vere filius Dei, adoratione latriæ adorandus sit.

Tertio dividitur in Absolutam, & in Respectivam. Illa convenit personæ secundum se adorabili, & honorabili, puta Deo, Beatæ Virgini, Sanctis, &c.; Ista vero convenit rebus ratione carentibus per respectum, quem habent ad personas adorabiles; sicut adoratur Crux, imago, reliquiæ, ut mox explicabimus, quærendo sigillatim nonnulla prius de adoratione absoluta, qua Christum Dominum, & Eucharistiæ, necnon Angelos, Sanctos, & Beatos adoramus, ac deinde de adoratione respectiva, qua adoramus Reliquias, Crucem, ac Sacras imagines.

## ARTICULUS I.

## De Adoratione Christi Domini, &amp; Eucharistiæ.

- I. Adoratione Latriæ Christus Dominus adorandus; ita tamen, ut primario, & per se natura Divina adoretur, secundario vero, & concomitanter natura humana.
- II. Etiam Christi corpus in sepulchro adorandum erat adoratione Latriæ.
- III. Christus Dominus non orat pro nobis, sed miseretur nostri; orat tamen ejus Humanitas secundum voluntatem creatam.
- IV. Quamvis Humanitas Christi Domini secundum se per intellectum separata a Verbo adorari possit adoratione Hyperduliæ; in praxi semper Christus Dominus adorari debet adoratione Latriæ.
- V. Crux adoratur adoratione Latriæ, non tamen adoratione absoluta, sed respectiva. Beata Virgo in praxi non adoratur adoratione Latriæ respectiva, quamvis etiam Christum tetigerit, ne videatur illi tri-

bui adoratio debita Deo.

VI. Cur qualibet crux adoretur adoratione Latriæ, & non qualibet spina, lancea, clavus, &c., sed solum illa, quæ Christum Dominum tetigerunt?

VII. Eucharistiæ Sacramentum adoratur unica adoratione Latriæ, ita ut primario Christus Dominus in eo contentus adoretur, & concomitanter species Sacramentales.

VIII. Non vacat culpa adorare Hostiam consecratam conditionate, videlicet si sit consecrata; cum sit imprudens talis conditio.

IX. Si appareat in Eucharistiæ infans, non videtur adorandus adoratione Latriæ; sed hac adoratione adoranda tunc est hostia consecrata.

I. Certum est primo, Christum Dominum adoratione Latriæ adorandum esse, cum sit verus Deus, videlicet una persona in duplici natura, humana simul, & Divina subsistens: Unde fit, ut utraque natura in Christo Domino unica, eademque adoratione Latriæ adoretur; Quamvis primo, & per se natura divina, secun-



uario, & concomitanter humana: Eodem prorsus modo, quo dum adoratur homo propter ejus sanctitatem, anima simul, & corpus eadem adoratione adoratur, anima vero primario, & per se, corpus tamen secundario, & concomitanter propter unionem cum anima. Et eodem modo, quando Rex adoratur, eadem adoratione Regia adoratur persona simul, & purpura, quæ regiam dignitatem præfert, persona quidem primario, & purpura secundario.

II. Hinc sequitur primo, etiam corpus Christi Domini in sepulchro adorandum fuisse adoratione Patriæ propter unionem cum Verbo; Et idem dicas de sanguine Christi Domini in triduo mortis separato a corpore Christi.

III. Sequitur secundo, non licere orare Christum Dominum, ut pro nobis oret, sed ut misereatur nostri. Et ratio est, quia preces nostræ non ordinantur ad naturam humanam, sed ad personam Christi Domini divinam; & ideo Ecclesia utitur hac formula, ne det ansam putandi Christum non esse Deum: Verum quia Humanitas Christi suam habet voluntatem creatam, quæ aliquid a Deo suo creatore petere potest, idcirco, si absit scandalum, possumus etiam a Christo Domino petere, ut per humanitatem suam pro nobis oret; nam ad Hebræos 7. dicitur *Semper vivens ad interpellandum pro nobis*; Et Joan. 14. *Ego rogabo Patrem*; & in deserto vere Christus Dominus oravit Patrem, ut a se transiret calix.

IV. Quæritur nunc primo; utrum natura humana Christi Domini adoranda sit adoratione Patriæ?

Respondeo cum communi apud Suar. de Incarnat. disp. 53. negative, cum sit quid creatum: Quia tamen talis natura unita est personæ increata, & quia sanctitate, & gratia reliquos

Sanctos antecellit, ideo adoratione hyperdulix adoranda est. Sed notandum cum Bonac., & Vasq., quod quamvis humanitas Christi per intellectum separata a Verbo adorari possit adoratione hyperdulix, in praxi tamen semper debet Christus adorari adoratione Patriæ; tum quia semper humanitas a parte rei est unita Verbo, tum etiam quia Christus debet adorari adoratione debita supremæ suæ excellentiæ; sicut Rex licet habeat plures dignitates Comitum, Ducum, Principum, Regis, semper tamen honoratur honore debito supremæ suæ dignitati, scilicet Regiæ.

V. Dices: Crux, quia Christum tetigit, adorari debet adoratione Patriæ; ergo a fortiori humanitas Christi Domini.

Respondeo, Crucem secundum se nulla adoratione absoluta adorari posse, sed solum adoratur adoratione Patriæ respectiva, scilicet per ordinem ad Christum, quem repræsentat, & per eundem ordinem ad Verbum, cum quo unitur humanitas: Illud autem est discrimen inter adorationem debitam humanitati Christi Domini, & debitam cruci, quæ Christum tetigit, & debitam Beatæ Virgini, quæ pariter tetigit Christum Dominum, quod humanitas Christi debeat semper adorari adoratione Patriæ, & solum præciso scandalo adorari possit adoratione hyperdulix, si secundum se spectetur: Econtra Beata Virgo adorari debeat semper adoratione hyperdulix, & solum præciso scandalo adorari possit adoratione Patriæ respectiva per ordinem ad Christum, quem tetigit: Etenim cum Beata Virgo secundum se sit capax adorationis absolutæ, ne videatur illi tribui adoratio debita Deo, ideo adorari non debet adoratione Patriæ respectiva, sed solum adoratione ipsi debita absolute: Demum Crux Christi Domini, quia nul-



nullam de se meretur adorationem absolutam, idcirco adorari semper debet adoratione Patriæ respectiva; Patet enim, illi non aliter tribui adorationem, nisi per respectum ad Christum, quem tetigit.

VI. Hac de causa adorari possunt cineres alicujus Sancti, non vero vermes ex ejus cadavere geniti. Ratio est, quia in morali æstimatione solum cineres repræsentant Sanctum illum, non vero vermes: Sic etiam adorari potest adoratione Patriæ non solum Crux, in qua Christus pependit, sed etiam quælibet alia crux, quia quælibet Crux Christum repræsentat: Contra solum clavi, spinæ, lanceæ, funiculi, quæ Christum tetigerunt, adorari possunt adoratione Patriæ, non vero alii clavi, spinæ, lanceæ, quia non habent ista in morali æstimatione Christum repræsentare, sicut habet Crux, quæ Matth. 24. dicitur esse Signum filii hominis, quod apparebit in Cælo: & ideo Angelus ad mulieres dixit, ut notat D. Th. *jesum queritis crucifixum*; nec dixit lanceatum, spinis coronatum, &c.: Quare ne videamur cum Idololatris adorare creaturas insensatas ut Deos, debemus ab adoratione aliorum clavorum, spinarum, &c. abstinere.

VII. Queritur secundo; An, & quomodo Eucharistiæ Sacramentum adorandum sit?

Respondeo, adorandum esse adoratione Patriæ, cum vere Christum Dominum contineat: Sicut autem diximus Christum adorari unica adoratione, in qua primario Verbum, & concomitanter humanitas adoratur, ita unica adoratione in Eucharistia adorantur etiam species Sacramentales concomitanter, quia sunt veluti purpura, & thronus Regis Regum, & Domini Dominantium.

VIII. Dubium est, absolute ne adoranda sit hostia consecrata, an vero

conditionate, si scilicet sit consecrata? cum possit accidere, quod non sit consecrata, vel ex defectu materiæ, vel intentionis ministri.

Respondeo cum Lug., Suar. de Incarnat. disp. 63., & aliis communiter, adorandam esse absolute. Ratio est, quia, ut homo absolute operetur, satis est moralis certitudo: Sic absolute veneramur nostros Parentes, quamvis fieri possit, quod non simus ab iis geniti; & absolute absolvimus sacramentaliter pœnitentes, itaut non liceat universim absolutio conditionata, quamvis aliquando accidere possit, quod pœnitens non sit dispositus; & ideo Ecclesia in orationibus missæ ante, Domine non sum dignus, absolute dicit, Libera me per hoc Sacrosanctum Corpus: Ut autem absit periculum Idololatriæ, satis est, adorantem ita affectum esse habitualiter, ut non adoraret, si sciret panem non esse consecratum: Unde aliqui putant, non solum non esse adhibendam conditionem sine causa, ne minuat devotio, sed non vacare aliqua culpa talem conditionem adhibere, utpote imprudentem, & otiosam, & quæ dat ansam scrupulis impertinentibus.

IX. Dubium est secundo; An, si appareat infans, vel sanguis, &c. in hostia consecrata, ille adorandus sit adoratione Patriæ?

Respondeo cum Azor., Suar. tom. 3. in 3. part. disp. 55., adorandam quidem esse tunc regulariter hostiam consecratam, ut communiter docent contra Durand.; quia plerumque istæ apparitiones fiunt absque mutatione reali specierum Sacramentalium; Sed non esse adorandum adoratione Patriæ id, quod apparet visibiliter sub specie infantis, aut carnis, aut sanguinis Christi; quicquid in contrarium sentiant Alenf., Gabriel, & Palat. Ratio est, quia id, quod apparet, non



non est revera Christus Dominus, aut ejus sanguis, sed solum colore, & figura illum refert, cum id satis sit ad finem, propter quem tale miraculum fit: Nec est necesse multiplicare aliud miraculum, quod scilicet Christus Dominus revera fiat infans; præfertim cum id indecens videatur: Unde id, quod in Eucharistia apparet instar infantis, adorandum est ex Azor. eo tantum cultu, quo res aliæ Sacræ adorantur, non vero adoratione Patriæ.

## ARTICULUS II.

## De Adoratione Sanctorum, &amp; Beatorum.

- I. Vocantur Sancti, etiam qui sunt in vita, si sanctam vitam vivant.
- II. Debetur Sanctis Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum, ac Sanctis Angelis cultus religiosus, & Sacer, & adorari possunt adoratione dulci.
- III. Sancti canonizati adorari possunt etiam cultu publico, hoc est ab Ecclesia instituto; alii vero cultu privato etiam coram aliis.
- IV. Etiam cultu publico adorari possunt qui ab Ecclesia habebantur ut Sancti, antequam a Leone III. institueretur Canonizatio.
- V. Juxta Ecclesie institutionem septem enumerantur cultus, quibus Sancti adorari possunt.
- VI. Quinam cultus Beatis exhiberi potest? Et quinam defunctis cum fama Sanctitatis?
- VII. Quid permittatur, & quid vetetur a Sede Apostolica erga defunctos cum fama Sanctitatis exhibere?

I. Sancti vocantur quicumque in gratia Dei existunt, sive in vita sint, sive in Purgatorio, sive in Patria, sive sint canonizati, sive non. Etenim Apost. ad Roman. 1. Christianos præ-

mitivæ Ecclesiæ appellavit Sanctos; & Ambrosius Marcellam sororem suam, Hieronymus virginem Afellam, D. Thomas Bonaventuram, etiam dum viverent, Sanctos appellarunt; quia Sanctorum vitam vivebant, idest immaculatam, & honestis moribus imbutam.

II. Quæritur nunc, An omnes hujusmodi Sancti possint adorari, & quo cultu?

Respondeo, & dico primo, de fide esse, ut constat ex Trident. sess. 24. Sanctos, nec non reliquias, & imagines Sanctorum, atque adeo etiam Angelos adorandos esse non solum cultu civili, & politico ad virtutem observantiam pertinente, sicut veneramur personas in dignitate aliqua constitutas, verbi gratia Regem, Pontificem, ut contendebant hæretici; sed etiam cultu religioso, & sacro, scilicet vel propter eorum virtutem, & sanctitatem, vel propter beatitudinem, qua fruuntur in Patria: Hanc enim adorationem exhibitam esse hujusmodi Sanctis, sæpe legitur in Scriptura; nam Numerorum 22. Balaam adoravit Angelum; 1. Regum 28. Saul adoravit animam Samuelis; 3. Regum 18. Abdias Eliam; 4. Regum 2. Filii prophetarum Elifæum. Et ratio est, tum quia si possumus Sanctos precibus invocare, possumus pariter illos adorare; tum etiam quia ex Apost. ad Romanos 2. Gloria, & honor debetur bene operanti; cum ergo Sancti omnes bene operati sint, digni sunt honore, & adoratione, non quidem Patriæ, quæ soli Deo debetur, sed Dulci, quæ servis Dei competere potest.

III. Dico secundo, Sancti canonizati possunt adorari cultu non solum privato, sed etiam publico, ut patet. Est autem cultus privatus ex Bellarm. lib. 1. de Sanctor. Beatitud. cap. 10. qui non exhibetur tanquam institutus ab Ecclesia, nec nomine Ecclesiæ, sed



ex peculiari devotione colentis sive privatim, sive publice, & coram aliis. *Contra Cultus publicus non dicitur, qui coram aliis exhibetur, sed qui institutus est ab Ecclesia, & exhibetur nomine Ecclesiæ.*

IV. Dico tertio, eodem cultu adorari possunt omnes ii, qui licet non sint canonizati, tamen in Ecclesia Dei coluntur ut Sancti ex veteri consuetudine, antequam institueretur Canonizatio; Etenim canonizatio, ut notat Bellarm. loc. cit. cap. 8., nil aliud est, quam publicum Ecclesiæ testimonium de Sanctitate, & gloria hominis jam defuncti, & simul iudicium, ac sententia, qua decernuntur illi honores debiti iis, qui regnant cum Christo; Et a Leone III. primum introducta est, antea vero communi populi voce proclamabantur Sancti, qui sancte vixerunt, & cultu Sanctorum adorabantur; Proinde etiam nunc eodem cultu digni sunt, cum nunquam potuerit hac in re Ecclesia decipi, juxta illud Christi Domini, *Porta inferi non prevalebunt adversus eam.*

V. Cultus autem debiti Sanctis juxta Ecclesiæ institutionem septem a Bellarm. cap. 7. enumerantur. Primus est, quod ab omnibus publice habeantur, & dicantur Sancti. Secundus, quod invocentur in publicis Ecclesiæ precibus. Tertius, quod templa, & aræ in eorum memoriam dicentur Deo. Quartus, Sacrificium offerre Deo, & horas recitare in eorum honorem. Quintus, dies festos in eorum memoriam celebrare. Sextus, pingere eorum imagines, addito quodam lumine in signum gloriæ, quam habent in Cælis. Septimus, eorum reliquias pretiosis in thecis includere, & publice honorare.

VI. Dico quarto; Beati, qui nondum canonizati sunt, coli quidem publice possunt, non tamen quovis genere cultus publici. Ratio est, quia Pontifex solum iis concedit posse vocari

Beatos, & aliquando permittit, ut de iis possit in aliqua religione, vel Provincia officium, & missa celebrari. Unde fit, quod Beatis non possit exhiberi ille publicus cultus, qui ab Ecclesia institutus est pro Sanctis, sed solum qui pro Beatis institutus est, ut videre est in decreto edito 20. Septembris 1659. ab Alex. VII.

Dico ultimo, Defuncti cum fama Sanctitatis coli non possunt cultu publico, antequam eorum sanctitas ab Ecclesia publice proponatur per canonizationem, vel beatificationem, vel generalem approbationem; ne scilicet aliquando adoretur publice pro Sancto impius, & damnatus; quod aliquando accidisse refert Bellarm. cap. 7.: Alex. enim III. reprehendit quosdam, qui hominem in ebrietate occisum ut martyrem (non tamen tota Ecclesia, quæ in hoc decipi non potest) venerabantur. Contra vero potest eisdem cultus privatus exhiberi, ut communiter docent: Ratio est, quia cum prohibeatur dumtaxat cultus publicus, consequenter permitti censetur privatus; tum etiam quia possunt in hac vita homines iusti invocari, & adorari, ut diximus, quamvis non certo nobis constet illos esse iustos; ergo etiam mortui, quos confidimus esse in gloria, invocari poterunt, & adorari cultu privato; ad quem exhibendum satis est prudenter sibi persuadere illos esse amicos Dei, & in gloria; sic enim non erit periculum morale errandi.

Hinc sequitur ex Bonac. hic, Pal. tract. 7. disp. 1. de Adoration. punct. 3., Tambur., Bellarm., & aliis, Primo, posse nos imagines istorum in domibus nostris retinere, & colere, non tamen in templo reponere; nisi forte causa ornatus cum aliis imaginibus. Secundo, licere pedes, & manus istorum osculari, & reliquias retinere. Tertio, in anniversario abstinere

re



re ab operibus fervilibus, jejunare, & iis votum offerre. Quarto, in privatis colloquiis, vel precibus eos Sanctos, vel Beatos nuncupare, & invocare, necnon Pater, & Ave in eorum honorem privatim recitare; hæc enim spectant ad cultum privatum.

Non potest tamen Episcopus diem festum in illorum honorem instituere; nec licitum est eos in litanis, aut in officio divino, ne privatim quidem, Sanctos invocare, quia litanis, & officium, ut etiam Missa, sunt cultus publici, qui scilicet ex institutione Ecclesie Sanctis exhibentur; Nec licet horum reliquias publice venerandas exponere, aut altaria, vel templa iis dedicare.

Demum Urban. VIII. 1625, prohibuit, Primo, ne istorum imagines cum laureolis, radiis, & splendoribus habeantur, ne privatim quidem. Secundo, ne ad illorum sepulchra tabellæ, imagines, lampades apponantur ad testificanda accepta beneficia. Tertio, ne libri imprimantur, qui eorum gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tanquam eorum intercessionibus a Deo accepta contineant, sine recognitione, & approbatione, primum Ordinarii, post consultos theologos, & pios viros; & sine licentia postmodum Sedis Apostolicæ. Decrevit tamen anno 1634. idem Urbanus, quod tabellæ, & imagines, quæ in posterum offeruntur, possint recipi approbantibus Ordinariis, & in secreto aliquo loco seorsim ab Ecclesia custodiri, ut si quando Deus voluerit eos canonizari, aut beatificari, extent huiusmodi sanctitatis qualescumque approbationes, Apostolicæ Sedis iudicio examinandæ. Decrevit demum Alex. VII., ne istorum imagines, etiam non principaliter, & uti supplices appositæ, Simulacra, Picturæ, Tabellæ, aut Scripturæ eorum præclara gesta representantes, aut referentes in

Ecclesiis, Sacrariis, & Oratoriis quibuscumque, & præsertim in quibus missæ Sacrificium, vel alia divina officia peraguntur, inconsulta Sacra Congregatione exponantur. Quare si non representent eorum præclara gesta, poterunt tanquam supplices exponi.

## ARTICULUS III.

## De Adoratione Sacrarum Reliquiarum.

- I. *Quenam dicantur Reliquia Sanctorum? Vermes, in quos eorum carnes conversæ sunt, non dicuntur Sacra Reliquia, licet materiam Sanctorum contineant.*
  - II. *Reliquia adoranda sunt eadem adoratione, qua adorantur Persona, cuius sunt reliquia.*
  - III. *Cur possit adorari adoratione larræ Crux, quæ tetigit Christum Dominum, & non pariter Asellus, qui etiam tetigit Christum Dominum?*
  - IV. *Adorari possunt Sanctorum reliquia cultu privato, si de iis moralis certitudo, aut etiam probabilis conjectura habeatur. Ut adorentur tamen cultu publico, requiritur approbatio Pontificis, aut Episcopi. Sed quid si sint dubie?*
  - V. *Quid si alicujus Sancti corpus dubius in locus cum Episcoporum approbatione colatur?*
  - VI. *Agni cerei adoratione larræ adorandi sunt. Neque possunt minio, aut alio colore pingi, Neque circa Simoniam vendi, nisi solum ratione materiae.*
  - VII. *Qui reliquias furatur, peccat peccato furti, & Sacrilegii, si grave damnum, & non levis injuria irrogetur.*
- I. **C**ertum est, Reliquias Sacras adorandas esse ex Trident. sess. 24. cap. 2. contra hæreticos; & constit.



Stat tum ex universali Ecclesiæ traditione, tum ex miraculis per Sanctorum reliquias a Deo patratas. Dicuntur autem Sacræ Reliquiæ ex Azor. tom. 1. lib. 4. cap. 6. Corpora, Ossa, Cineres, vestes Sanctorum, necnon vela, panni, &c., quæ ad eorum corpora admoventur, vel ad ipsos pertinerint: Contra tamen non dicuntur Reliquiæ Sanctorum vermes, in quos eorum cineres, vel carnes conversæ sunt; quia quamvis illorum materiam primam animatam habeant, non videntur moraliter amplius ad illos pertinere; & in morali æstimatione non amplius illos representant: Quare tales vermes nullatenus adorandi sunt, tum quia est indecens, tum ne videamur illos propter se, non propter Sanctos adorare.

II. Quæritur nunc primo, Quamnam adoratione reliquiæ adorandæ sint?

Respondeo cum communi ex Azor. eadem omnino adoratione adorandas esse, quæ personæ, cujus sunt reliquiæ; unde adoratione dulciæ adorantur reliquiæ Sanctorum; hyperdulciæ vero sac, capilli, vestes, & aliæ reliquiæ Deiparæ; demum latriæ, reliquiæ Christi Domini, puta sanguis in terra relictus, præputium, crux, fœces, spina, clavi, sudarium, præsepe, sepulchrum. Ratio est, quia cum reliquiæ sint creaturæ irrationales, non possunt adorari ulla adoratione absoluta; ergo tantum adorari possunt adoratione respectiva per relationem, quam dicunt ad illos, quorum sunt reliquiæ; ac proinde in ipsis adoratur tanquam in imagine, seu in signo personæ, cui fuerint conjunctæ.

III. Dices cum Hæreticis; Tam Crux tetigit Christum Dominum, quam Judæi crucifigentes, labia Judæ, Asellus, in quo Christus sedit, B. Virgo, &c.; ergo si potest crux adorari

*Pars II.*

adoratione latriæ, ut reliquia Christi Domini, poterunt etiam hæc alia adorari.

Respondeo cum Suar., Fagund. lib. 1. cap. 32., & aliis communiter, negando consequentiam. Ratio est, quia, ut supra diximus, quamvis hæc omnia contineant totum id, ratione cujus adorari possent adoratione latriæ, cum Christum Dominum tetigerint, tamen est specialis ratio, cur non debeant adorari; quia scilicet non habent moraliter representare Christum Dominum, sicut habet Crux, reliquiæ, & imago; Unde sine scandalo adorari non potest Beata Virgo adoratione latriæ, nec ullatenus labia Judæ, aut ipsi crucifigentes, obstante eorum impietate; neque Asellus sine indecentia, &c.

IV. Quæritur secundo, quando reliquiæ adorari possunt cultu privato, quando publico, quando absolute, quando vero conditionate?

Respondeo cum Suar., Pal., & aliis posse coli cultu privato, quando habetur moralis certitudo, quod sint veræ; ad quod sufficit testimonium unius fide digni, vel alia probabilis conjectura; videlicet si a defuncto viro probo, qui eas colebat, acceperis: Ut publico tamen cultui exponantur, debent a Pontifice, vel Episcopo approbari, ex cap. *Cum ex eo, de Reliq.*, & ex Trident. loc. cit.: Quamvis autem non sit licitum reliquias non approbatas approbatis miscere, & publico cultui exponere, licitum tamen est ex Sanch., Pal., Dian. contra Bonac. Crucem in altari collocandam reliquiis non approbatis ornare, quia in tali casu sola crux exponeretur publico cultui, & reliquiæ cultui privato, ad quem satis est, ut diximus, moralis certitudo de earum veritate. Quod si dubiæ sint, ne privatim quidem coli debent; nisi sub conditione, sed vel in loco decenti culto.

I

sto.



stodiendæ, vel reverenter concremandæ, & in piscinam mittendæ. Cæterum quando probabilis adest conjectura, quod sint veræ, adorari debent absolute, ut diximus de hostia consecrata.

V. Quod si aliqui dicant, corpus alicujus Sancti esse in uno loco, aliis perhibentibus esse in alio, certe ubi Episcopi approbatio præcessit, adorari debet absolute; quia vel, ut ait Theodoretus lib. 8. ad Græcos, Corpus est utrobique, licet non utrobique integrum, vel, ut ait Suar., propter unitatem ejusdem nominis reliquiæ unius Sancti tribuuntur alii Sancto; & talis error non esset in substantia, quasi vero illæ reliquiæ non sint alicujus Sancti, sed solum in conditione, quatenus creditur corpus esse unius Sancti, cum sit alterius.

VI. Quæritur ultimo, Quanam adoratione adorandi sint agni cerei, qui a Pontificibus non solum primo anno sui Pontificatus, sed etiam deinde septimo quoque anno benedicuntur solemniter, & Chrismate consecrantur?

Respondet cum Azor., & Vasq. adorandos esse tanquam imagines Dei, quam representant sub figura Agni; atque adeo adoratione latria, sicut adoratur Crux. Ubi notandum, excommunicationem incurrere, qui hujusmodi agnos pingunt, aut depingi, vel minio, auro, aliove colore affici curant, necnon qui eos vendunt; quamvis, ut notat Sanch., & Bonac., qui eos venderet tantum ratione materiæ, ut venduntur calices, excommunicationem non incurreret; quia solum venditio simoniaca prohibetur.

VII. Qui reliquias furatur, jure communi nullam excommunicationem incurrit, sed peccat graviter peccato sacrilegii, & furti, quando dignitas, & æstimatio reliquiæ tanta est, ut per ejus furtum irrogetur grave damnum,

& non levis irreverentia censeatur. Extrahentes tamen reliquias ex Cæmeteriis, Cryptis, vel Catacumbis intra, vel extra Urbem existentibus excommunicantur ex Constitutione Pauli V. an. 1613.

#### ARTICULUS IV.

De Adoratione Sacrarum Imaginum.

- I. *Imagines Sacrae, non secus ac Reliquiæ, adorantur adoratione respectiva per ordinem ad personam, quam representant.*
- II. *Sculptile, quod prohibetur a Deo, est Idololum.*
- III. *Deus, & Tres Personæ representari, ac adorari non debent, nisi sub imaginibus ab Ecclesia deputatis.*
- IV. *Deus, & Angeli per quandam metaphoram sub corporis imaginibus adumbrantur.*
- V. *Sicut imagines, ita etiam Nomina Sacra honore, ac adoratione digna sunt.*
- VI. *Cur magis nonnulla eorundem Sanctorum imagines adorentur, quam alia.*
- VII. *Quomodo in VII. Synodo generali dicatur, minori adoratione colendam esse Christi imaginem, quam ipsum Christum?*
- VIII. *Magis Christus, quam ejus imago adoratur, non solum si imago adoretur secundum se, tanquam res sacra; sed etiam si adoretur adoratione respectiva, quatenus primario Christus, & concomitanter imago adoratur.*

I. **E**X dictis de Adoratione Reliquiarum constat, Sacras etiam imagines adorandas adoratione respectiva, seu per ordinem ad personam, quam representant, atque adeo eadem adoratione cum illa persona coadorandas esse, non secus ac thro-



thronus, & purpura Regis. Probatur id primo ex Trident. sess. 24. contra Iconomacos, hoc est, imaginum impugnatōres, quibus adhæserunt Lutherus, & Calvinus. Probatur secundo ex usu Ecclesiæ, quæ semper illas venerata est, cum ipse Christus Dominus Abagaro Regi Edessæ suam effigiem miserit, & faciei suæ imaginem lineo Veronicæ impressam reliquerit; quæ etiam nunc colitur Romæ; Et corporis sui lineamenta voluerit impressa in Sacra Syndone, quæ Taurini colitur. Probatur tertio ex miraculis, quibus testatur Deus cultum hanc esse sibi gratum; cum per sacras imagines illa pataverit. Probatur demum ratione, nam honor, qui deferatur imagini, non nisi exemplari, & prototipo defertur, ut proinde omnes nationes imaginibus præclarorum virorum semper usæ sint.

II. Oppones cum hæreticis primo, Ulum imaginum prohibitum esse a Deo. Deuter. 4. ubi dicitur, *Non facies tibi sculptile*. Secundo, quia si posset adorari imago Dei mortua, a fortiori adorari posset adoratione latria homo, quia est imago Dei viva, nam Genes. 1. dicitur: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*. Tertio, quia Deus, & Angeli cum sint spiritus, nullatenus pictura corporea representari possunt. Quarto, quia etiam nomina deberent adorari, ut imagines. Quinto, quia eadem reverentia cuicumque imagini ejusdem personæ deberetur; Constat autem, majorem reverentiam in Ecclesia exhiberi aliquibus imaginibus, verbi gratia, Beatæ Virginis a Divo Luca depictæ, vel Sancti Dominici de Soriano, &c., quam aliis.

Respondetur tamen communiter, Ad primum, prohiberi tantum a Deo, ne alius, quam verus Deus adoretur; qui enim idola adorant manibus fabricata, illa tanquam vera numina, non

tanquam imagines veri Numinis adorant.

III. Ad secundum, si homo præcise in quantum imago Dei est, adoraretur adoratione latriæ, non esset de se malum, ex D. Th. art. 3. ad 3.; quia sic Deus in homine adoraretur, ut notat Suar., Verum non est sic adorandus, non solum ad vitandum scandalum, ne scilicet videamur homines tanquam Deos venerari, quod periculum cessat in imaginibus mortuis; sed etiam quia solum adorari debent imagines Dei ab Ecclesia ad Deum representandum deputatæ; non est autem homo imago ad id ab Ecclesia deputata, sicut est deputata imago Dei Patris in forma senis, imago Spiritus Sancti in specie Columbæ, aut flammearum linguarum, imago Filii in forma hominis, vel sub specie agni, vel sub speciebus panis, & vini; itaut pictura Eucharistiæ sit imago Christi Domini.

IV. Ad tertium, quamvis non possint Deus, & Angeli apte exprimi corporeis imaginibus, possunt tamen nobis per quandam metaphoram, seu proportionem representari; sicut Ezechielis 1. per species quatuor animalium adumbrantur quatuor Evangelistæ, & ideo Deus, & Angeli sæpe sub forma sensibili apparuerunt.

V. Ad quartum, concedit Suar. sequelam; Nomina enim rem sacram, & honore dignam representant; non secus ac imagines; & ideo ad Philip. 2. dicitur: *In nomine Jesu omne genuflectatur*; nec solemus tale nomen invocare capite non inclinato; quo pacto canimus etiam trisagium illud, *Gloria Patri*, &c. ab Angelis acceptum, & a Sancto Ignatio martyre fidelibus communicatum.

VI. Ad ultimum respondet Suar. sect. 8. aliquibus imaginibus homines magis affici, vel quia majorem devotionem excitant, vel propter artificem,



ut quia a Divo Luca, vel ab Angelis depictæ sunt, vel quia ad præsentiam illarum majora solet Deus conferre beneficia, & nonnulla patrare miracula.

VII. Oppones secundo, In VII. Synodo generali citata a Suar. de Incarnat. disp. 54. sect. 4. dicitur, quod imago Christi Domini non adoratur latriæ adoratione, sicut Christus, sed quadam minori veneratione, seu honoraria adoratione; ergo falsum est, eadem adoratione adorari imaginem, & prototypum.

Respondeo cum eodem Suar. dupliciter posse imaginem adorari, Primo adoratione respectiva, itaut potius prototypum in ipsa adoretur, quam ipsa dicens ordinem ad prototypum; Et sic imago Christi adoratur latria, sicut Christus; nam, ut notat D. Th. in 3. part. quaest. 25. art. 3. ex Philos. in libris de memoria, motus animæ erga

imaginem, secundum quod imago est, non est alius a motu animæ erga exemplar: Secundo, potest adorari imago tanquam res sacra representans exemplar, itaut per se adoretur sola imago, quæ dicit respectum, & ut dicens respectum ad exemplar, quin exemplar ipsum adoretur; eo modo, quo possumus amare proximum propter Deum, quia formaliter, & ut quod amemus ipsum Deum; & sic imago Christi non adoratur latria, sed adoratione minori veneraria.

VIII. Adde ex Suar., quod in imagine Christi directe, & ut quod adorat Christus; & imago eadem adoratione solum concomitanter adorat; ergo bene stat, quod adoratio, qua imago Christi adoratur, sit inferior adoratione latriæ, qua adoratur Christus, cum hic principaliter, illa minus principaliter, & concomitanter adoretur.

## Q U Æ S T I O V.

### De Superstitione.

**E**xplicatis actibus virtutis Religionis, explicanda supersunt vitia eidem opposita; quæ quidem varia, & multa sunt, sed ad duo præcipua reducuntur, ad Superstitionem, & ad Irreligiositatem. Superstitio enim includit Idololatriam, Divinationem, Vanam observationem, Magiam, Maleficium; Irreligiositas vero includit Blasphemiam, Sacrilegium, Tentationem Dei, Perjurium, Adjurationem, Simoniam, &c.

Superstitio dicitur opponi virtuti Religionis per excessum, non quidem secundum substantiam, nunquam enim cultus per Religionem exhibitus potest esse nimius, sed secundum circumstantiam aliquam, vel personæ, quæ colitur, ut si colatur creatura cultu divino; vel modi, quo Deus colitur, ut si colatur Deus cæremoniis Judæorum, vel aliis, quam usitatis ab Ecclesia. Irreligiositas vero dicitur opponi virtuti Religionis per defectum, eo quod deneget Deo debitum cultum, aut illum despiciat: Per Blasphemiam profertur verba contumeliosa in Deum, aut in Sanctos: Per Sacrilegium violatur res sacra, & idem dicas de reliquis; De his omnibus singillatim agendum. quaestione sequenti; nunc vero de Superstitione in genere, & in specie.



## ARTICULUS I.

De Superstitione universim, ac in specie Primo de Idololatria.

- I. Superstitio est falsa Religio, qua vel creatura cultu divino, vel Deus cultu indebito adoratur. Utraque Superstitio, sive ratione rei culte, sive ratione modi, quo Deus colitur, plures sub se species continet.
- II. Cultu indebito Deus adoratur, tam si colatur cultu falso, quam si cultu superfluo.
- III. Quando nam jejunare diebus Dominicis dicatur Dei cultus superstitiosus, aut superfluus, aut falsus?
- IV. Cultus superstitiosus falsus ex genere suo est mortale; Superfluus vero secundum se est peccatum veniale.
- V. Idololatria proprie dicta habetur, quando quis Creaturae tribuit honorem Deo debitum.
- VI. Censura Bulla Cona tunc incurritur ob Idololatriam, quando baptizatus internam simul, & externam Idololatriam committit cum errore intellectus, & pertinacia voluntatis. Ignorantia invincibilis, qua excusat ab heresi, nequit ab Idololatria excusare.

I. **S**uperstitio idem est, ac falsa Religio, seu cultus vitiosus, quo vel colitur creatura cultu divino, vel Deus modo indebito. Unde duplex est Superstitio, altera ratione rei culte, altera ratione modi, quo Deus colitur. Prima continet sub se plures species, nam si colatur creatura cultu divino, talis Superstitio dicitur Idololatria; si colatur creatura, ut aliquid occultum revelet, dicitur Divinatio; Si ut juvet, & dirigat nostras operationes, dicitur Vana observatio; Si ut operetur mira, dicitur Magia,

ad quam reducitur maleficium.

II. Secunda Superstitio, videlicet colendi Deum modo indebito, habetur tam si colatur Deus cultu falso, quam si colatur cultu superfluo. Dicitur Deus coli cultu falso, verbi gratia, si adoremus Deum caeremoniis Judaeorum, perinde ac si non esset adhuc incarnatus, aut si falsis miraculis vellemus nostram fidem comprobare; aut exponendo falsas reliquias, ut adorentur; aut mutando formas Sacramentorum; aut admiscendo turpia divinis officiis, tanquam partem illorum. Dicitur vero coli Deus cultu superfluo, quando ponitur Religio in iis rebus, aut circumstantiis, in quibus non est ponenda; verbi gratia, in numero tot candelarum talis coloris, in tali situ, &c., vel variando caeremonias Ecclesiae, in missa addendo Alleluja, Credo, &c., quando non sunt dicenda. Eodem modo si quis, verbi gratia, putaret orandum esse ante solis ortum, aut si quis voveret in honorem Sancti Laurentii non edere carnes affas die festo illius, eo quod ille igne sit affatus; vel qui voveret in honorem Beatae Virginis indui vestibus albis die Sabbati, vel brutorum capita non edere in honorem Divi Joannis-Baptistae, eo quod illi caput obruncatum sit. Ratio est, quia nihil horum confert in honorem Sanctorum, si praecise in iis sistatur; Unde nisi intendatur propria mortificatio, &c., talia vota sunt irrita, ut notat Sanch. lib. 4. cap. 7.

III. Quæritur nunc primo, An jejunare diebus Dominicis sit cultus Dei superstitiosus?

Respondeo, Cajet. recensere talem cultum inter superstitiosos falsos. Navar., & Sayr. recensent inter superstitiosos superfluos; & D. Th. illum damnat; quia usus Ecclesiae est excipere in Quadragesima tale jejunium, necnon anticipare vigiliam incidentem



in diem Dominicum; sicut etiam interdicitur tale jejunium in Cap. *Tantumquam*, & in cap. *Ne quis jejuset, de Consecrat. dist. 3.*

Verum Sanch. lib. 2. cap. 3. distinguit; Nam si fiat in contemptum Resurrectionis Christi Domini, ut fiebat a Manichæis, aut cum scandalo, & errore, veluti reprobando Ecclesiæ consuetudinem, procul dubio est cultus falsus, & idcirco damnatus a jure, & a D. Th.: Si vero fiat cum singularitate, est cultus superfluus, & ideo secundum se peccatum veniale; unde qui voveret ordinarie diebus Dominicis, aut iis solum diebus jejunare, ad id non teneretur: Si demum fiat propter specialem devotionem, aut mortificationem, licitum est, & laudatur a Sancto Augustino, & Hieronymo, qui scribit Apostolos tale jejunium servasse; Unde votum sic jejunandi ob finem honestum, præciso scandalo, & singularitate, validum est, & honestum. Quare si quis voveat jejunare die festo alicujus Sancti, quocumque die incidat, tenetur jejunare, etiam si incidat in diem Dominicum. Potest tamen juxta Ecclesiæ consuetudinem tale jejunium transferre ad Sabbatum præcedens, quia sic votum commutatur in manifeste melius, conformando se universali ritui Ecclesiæ.

IV. Dico secundo, cultum supersticiosum modi indebiti falsum etiam ex genere suo esse mortale; Unde qui, verbi gratia, divinis officiis intermiscet turpem sonum, & cantica profana, peccat mortaliter non solum peccato scandali, sed etiam superstitionis; si scilicet velit tali cultu falso Deum colere. Quod si ea non intermiscet ad Deum colendum cultu falso, sed solum ob vanam delectationem, peccabit mortaliter, vel venialiter contra reverentiam Deo debitam, prout gravis, vel levis erit irreverentia; Si enim cantica profana intermi-

sceantur, irreverentia erit gravis, si solum vana admisceantur, erit levis.

Dico tertio, cultum supersticiosum superfluum secundum se peccatum veniale esse: Quare variare, verbi gratia, missæ ceremonias secundum se est veniale, nisi magna inversio ordinis contingat, quæ magnam includat irreverentiam.

V. Porro prima species superstitionis est Idololatria, quæ dicitur ab Idolo, quod est effigies falsi numinis, cui cultus latriæ Deo debitus exhibetur; Idololatria autem dupliciter sumi potest: Primo improprie pro quolibet peccato, cui homo adhæret tanquam ultimo fini; Unde ad Ephes. 5. Avaritia vocatur Idololatria, & ad Philip. 2. dicitur, *Quorum Deus ventris est.* Secundo proprie pro peccato, quo quis creaturæ tribuit honorem Dei. Rursus Idololatria proprie dicta subdividitur in Internam, per quam creatura existimatur digna honore Dei; & Externam, per quam tribuitur exterius creaturæ honor Dei.

VI. Quæritur nunc, An incurrat excommunicationem Bullæ Cœnæ quicumque Idololatra?

Respondeo, Idololatrias gentiles non esse capaces censuræ, cum non sint ingressi Ecclesiam per januam baptismi, dicente Apostolo, *Quid ad me de iis, qui foris sunt, judicare?* Baptizati vero si committant peccatum Idololatriæ solum internæ, neque ullam censuram incurrunt, cum Ecclesia non judicet de internis; Ipsa enim sensibilis, & visibilis est, & ideo solum propter peccatum externum, & sensibile minatur pœnas suas, videlicet censuras: Si vero committant peccatum Idololatriæ solum externæ, hoc est sine errore intellectus, verbi gratia, si adorent Idolum ob metum, mortis, aut dæmonem ad aliquem turpem finem assequendum, quin existiment idolum dignum honore Dei, neque cen-



furam incurrunt; quia talis Idololatria, quamvis sit verum peccatum, & crimen læsæ Majestatis Divinæ, est tamen solum apparens, & falsa Idololatria, unde non subjacet pœnis impostis Idololatriæ veræ.

Quare tunc solum censuræ latæ in Bulla Cœnæ incurruntur ab Idololatra, quando baptizatus internam simul, & externam Idololatriam committit, scilicet cum errore intellectus, (æstimando Deitatem esse in Idolo, seu in creatura) & simul cum pertinacia voluntatis, videlicet id sentiendo, etiamsi cognoscat id esse contra universalem Ecclesiæ sensum, & contra lumen rationis; ac demum id manifestando adoratione externa. Unde fit, posse quidem ignorantiam invincibilem excusare aliquando ab hæresi, ut si quis invincibiliter ignoret Mysterium Trinitatis; sed ab Idololatria excusare non poterit ignorantia, quia recta ratio, seu lumen rationis naturale evidenter manifestat non esse colendam creaturam loco Dei.

## ARTICULUS II.

## De Divinatione.

- I. Divinatio est prænunciatio rerum occultarum ope demonis facta.
- II. Divinatio habetur vel cum expressa, vel cum tacita demonis invocatione; Eaque haberi potest, etiamsi quis protestetur se nolle demonem invocare.
- III. Ars inveniendi furtum occultum, vel quid simile per Astrologiam est superstitiosa.
- IV. Divinatio per expressam demonis invocationem est multiplex, videlicet Oraculum, Præstigium, Necromantia, &c.: sicut est multiplex per demonis invocationem tacitam, ut Astrologia, Augurium, Omen, Chiromantia, &c.

V. Sortilegium divinatorium de se est mortale. Quid de Consultorio, aut Divisorio?

VI. Non datur materia parvitas in Divinatione. Multipliciter tamen sæpe a mortali excusatur Divinatio, videlicet ratione ignorantia, curiositatis, joci, &c.

VII. Eiusdem speciei sunt omnes divinationes, sive fiant cum tacita, sive cum expressa demonis invocatione: Sæpe tamen expressa invocatio annectitur aliis peccatis in Confessione explicandis.

VIII. Quandonam liceat somnia, motus animalium, aut astra observare?

IX. Physiognomia quomodo liceat? Non licet tamen Egyptios consulere, ut futuros eventus predicant.

I. **D**ivinatio idem sonat, ac divina actio; cum enim prænunciatio futurorum soli Deo competat, hinc prænunciatio futurorum, necnon rerum occultarum inordinate quæsitæ, seu ope dæmonis facta dicitur Divinatio, quæ altera species superstitionis est, cum a dæmone exposcatur id, quod proprium Dei est.

II. Quæritur primo, Quotuplex sit Divinatio?

Respondeo, Divinationem dupliciter evenire posse, Primo cum expressa dæmonis invocatione, & cum pacto explicite inito, ut contingit, quando divinator expresse intendit invocare dæmonem, vel quando sciens dæmonem per aliquod signum manifestare latentia utitur tali signo, ut sibi latentia manifestentur. Secundo cum tacita dæmonis invocatione, & cum pacto implicite contracto; ut contingit quando quis mediis vanis, quibus se immiscet dæmon, nititur adipisci notitiam rerum occultarum, quam humana arte comparare non potest. Ubi notandum, divinationem cum tacita dæmonis invocatione etiam contingere, quando quis



quis signis vanis utens expresse dicit, se nolle dæmonem invocare: Ratio est, quia dicta in hoc casu sunt contraria factis; cum enim serio usurpet ea vana signa, per quæ intendit adipisci notitiam rerum occultarum, quam siue dæmonis ope comparare non potest, consequenter implicite vult invocare dæmonem, quem constat libenter se immiscere huiusmodi vanis, & inutilibus signis; Neque enim Deus, aut Angeli talibus se immiscent.

III. Unde fit, modum divinandi thesaurum, vel inveniendi furtum occultum, aut alterius virginitatem per astrologiam esse superstitiosum; cum enim astra impedire libertatem non possint per suos influxus, sequitur, quod talis cognitio non nisi arte dæmonis comparari possit: Quare universim illa dicuntur signa vana, & inutilia, quæ nullam vim naturalem habent indicandi rem, cuius notitia desideratur.

IV. Divinatio per expressam dæmonis invocationem, si fiat per Idola, dicitur Oraculum; si per mortuorum apparentem resuscitationem, dicitur Necromantia; Si per somnia, dicitur Oniromantia; si per fittas, & apparentes figuras, dicitur Præstigium; si per signa apparentia in extis animalium, dicitur Aruspicium; si per figuram in terra, Geomantia; si per figuram in aqua, Hydromantia; si in aere, Aeromantia; si in igne, Pyromantia. Divinatio vero per tacitam dæmonis invocationem, si fiat per situs, & motus astrorum, dicitur Astrologia; si ex signis volucrum, aliorumque animalium, videlicet per talem situm, numerum, motum, passum, &c., dicitur Auspicium; si per cantus, vocelque avium, aliorumque animalium, dicitur Augurium; si ex humana voce casu facta, aut sternutatione, aut ex funeris occurso, &c., dicitur Omen; si ex lineamentis ho-

minis, aut manuum, aut pedum, aut vultus, aut totius corporis, dicitur Chiromantia, Pedomantia, Physionomia, Metoposcopia, &c., si demum ex tortuito eventu, verbi gratia, ex tactu taxillorum, libri apertione, dicitur Sortilegium.

V. Sortes autem aliæ dicuntur divinatory, quæ scilicet emittuntur ad aliquid occultum cognoscendum; aliæ Consultoriæ, quæ ad dignoscendum, quid agendum sit; aliæ divisorie, quæ ad cognoscendum quid cuique tribuendum sit in electionibus, controversiis, &c.; Sortes divisorie licitæ sunt; quia important merum contractum fortunæ, in quo partes æqualem subeunt conditionem lucrandi, aut perdendi: Sunt etiam licitæ aliquando sortes consultoriæ, quando videlicet necessitas cogat; (dummodo id non fiat in electionibus Ecclesiasticis, cum prohibeatur in cap. fin. de Sortileg.) & fiat debito modo, ne divina consilia convertantur ad res vanas, & negotia, ac lucra sæcularia; quamvis in hoc casu non nisi venialiter peccentur. Demum sortes divinatory ex se sunt mortale.

VI. Quæritur secundo, Utrum in divinatione detur parvitas materiæ, quæ scilicet excuset a mortali?

Respondeo cum Sanch., Valent., Bonac. negative. Ratio est, tum quia usurpatio cognitionis rerum occultarum Deo reservata est ex se res valde gravis; tum etiam quia per quancunque divinationem habetur consortium, & societas siue expresse, siue tacite cum dæmone Dei hoste; homo enim per divinationem subicit se disciplinæ diaboli, ut ab ipso occulta doceatur, ipsumque honorat, ejus documentis fidem præstando; quod certe redundat in Dei injuriam, & contemptum; Sicut in Republica societas, & commercium cum hostibus est crimen læsæ Majestatis. Adde, quod di-



vinator exponit se periculo apostasia; nam si quærit a diabolo notitiam certam de futuris liberis, tribuit illi, quod est proprium Dei.

Excusari tamen aliquando potest a mortali divinatio; primo ratione ignorantia, dummodo non sit affectata, vel crassa; quamvis enim vix dari possit ignorantia invincibilis in divinatione facta cum expressa dæmonis invocatione, facile tamen dari potest, quando fit cum invocatione tacita. Secundo, si quis joci causa utatur divinatione ad oblectationem, sciens ea media esse inutilia, sed ad videndum quid casu accidat; hæc enim potius est vanitas, quam superstitio. Tertio, si observentur sortes, auguria, somnia, &c., non adhibendo illis fidem, sed timorem aliquem concipiendo de futuro eventu; non enim intenditur ex iis aliqua prædictio, sed præcautio alicujus mali. Hinc fit, ut quamvis mortale sit universim ex somniis, auguriis, fortibus, aut aliis hujusmodi divinationibus dirigere operationes suas, semel tamen, aut iterum hæc observando aliquam operationem indifferentem omittere, erit dumtaxat veniale, ut advertit Sanch., Navar., Cajet. Et ratio est, quia in tali casu non habetur perfecta superstitio.

VII. Quæritur tertio; An omnes divinationes ex se sint ejusdem speciei?

Respondeo affirmative; sive enim cum expressa, sive cum tacita dæmonis invocatione fiant, non differunt specie. Ratio est, quia Tacitum, & Expressum, Incompletum, & Completum differunt inter se intra eandem speciem. Verum quia invocatio expressa dæmonis sæpe habet adjunctam vel hæresim, vel adorationem dæmonis, aut alia peccata, ideo in tali casu explicanda est in confessione. Non est tamen explicandum, an fiat divinatio per astra, vel per somnia,

Pars II.

vel per aerem, vel per aquam, quia id materialiter se habet.

VIII. Notandum autem hic, quod observare somnia, motus animalium, astra, &c. relate ad ea, cum quibus habent connexionem naturalem, non est superstitio ulla, sed honeste, & licite fit: Sic Medici solent ab infirmo somnia inquirere, ut humorem prædominantem explorent; Nam qui constant humoribus frigidis, & abundant pituita, solent ea somniare, quæ in aqua, vel nive solent evenire; qui abundant flava bile, solent videre incendia per somnium; qui atra bili abundant, somniant funera, fumum, caliginem; qui redundant semine, somniant, quæ provocant ad libidinem. Pariter nonnulla animalia solent prædicere terræmotus naturaliter: Astra etiam, quia influunt in sublunaria, solent significare plures naturales effectus; & idcirco Astrologi possunt licite inclinationes hominum conjicere ex astris; quamvis difficillimum sit scire punctum Cœli, in quo nativitas alicujus contingit: Verum ex astris velle cognoscere eventus liberos supersticiosum est; & idcirco sola astrologia naturalis licita est; unde dicitur, *Sapiens dominabitur astris*: Astrologia vero judiciaria illicita est, & omni jure prohibita; & ideo dicitur Hierem. 10. *A signis cœli nolite metueret, quia timent gentes; quoniam leges populorum vana sunt*; liberum enim arbitrium non pendet ab astris tanquam a causis naturalibus, ut effutiebant, qui propugnabant dari Fatum, hoc est immutabilem omnium eventuum dispositionem ab astris dependentem; ut proinde apte dixerit Augustinus, *Fatum non ponunt, nisi fatui*. Et Cicer. lib. 2. de Divinat. advertit, plures Astrologos promississe Pompejo, Cæsari, Crasso faultissima, & tandem domi nonnisi fenes mortuos cum summa gloria, ubi deinde

K

qui-



quilibet istorum immature, & infelicitate perit: Nec solum falluntur Astrologi in divinandis operationibus liberis, sed sapissime etiam in divinandis inclinationibus naturalibus; Nam Esau, & Jacob gemelli fuerunt, & pene simul nati sunt, diversissimas tamen inclinationes naturales habuerunt.

IX. Notandum etiam ex Physiognomia naturali, seu ex partium corporis dispositione, velle aliquam conjecturam accipere de inclinationibus animi licitum esse; Verbi gratia, ex lineis manuum conjicere ingenium, indolem, inclinationem ad luxuriam, ad maturitatem, &c.; at hinc praedictum futuros eventus liberos, verbi gratia, hominem futurum divitem, pauperem, in patibulo suspendendum, Episcopum, &c., est omnino illicitum. Quare graviter peccat, qui ab Aegyptiis petit bonam, vel sinistram fortunam; cum id naturaliter sciri non possit; si tamen id fiat curiositatis, & risus causa, & sine scandalo, non animo credendi, ut communiter fit, non nisi veniale peccatum erit.

### ARTICULUS III.

#### De Vana Observatione.

- I. In hoc differt Vana observatio a Divinatione, quod illa ordinetur ad aliquid obtinendum; hac vero ad aliquid cognoscendum.
- II. Saepè Vana observantia habetur solum cum tacita demonis invocatione, quamvis fiat protestatio, quod demonis concursus in ea re recusatur.
- III. Ea dividitur in Artem notoriam, in Observationem sanitarum, & Observationem eventuum. In quo haec differat a Divinatione?
- IV. Plura recensentur, quae non raro ponuntur, & tamen sunt superstitiosa.
- V. Quonam pacto possit quis aliquando

in his vanis observationibus a naturali excusari?

VI. Quanam observationes non sunt vanae, nec superstitiosae, sed licitae?

VII. Quid de unguento armario?

VIII. Unde dignosci possit, quod aliqua observatio non sit superstitiosa?

IX. Quid si dubitetur num effectus aliquis sit superstitiosus, an naturalis? Aut si dubitetur num effectus praeternaturalis sit a Deo, an a demone?

I. **V**ana observatio est pariter species superstitionis, sed differt a divinatione, quia haec refertur ad aliquid cognoscendum; illa vero ad aliquid obtinendum mediis inutilibus, & vanis. Quare Vana observantia est superstitio, qua mediis vanis procurantur commoditates, divitiarum, sanitas, benevolentia, & alia huiusmodi. Dicitur etiam Vana observatio, quando ex consideratione alicujus effectus casualis conjicit quis aliquid prosperi, vel adversi eventurum, & inde actiones suas moderatur, ut notat D. Th. quaest. 96. art. 1. Appellatur talis superstitio Vana observatio, vel quia effectum non consequitur; vel si consequitur, illum habet a demone, & sic plus incommodi habet, quam commodi.

II. Universim autem Vana observatio fit, vel cum expressa demonis invocatione, vel etiam cum tacita; ut si quis dicat aliqua verba tanquam habentia vim ad aliquem effectum, verbi gratia, ad movendum anulum, ut quota hora dici sit, cognoscatur, &c. Dicitur id fieri cum pacto demonis tacito, quia verba illa sine opere demonis talem effectum parere non possunt: Idque verum est, etiam si hoc fiat praemissa protestatione, quod nolis ad talem effectum demonem concurrere; Cum enim constet hoc esse superstitiosum, protestatio dicitur esse con-



contraria facto, ut notant Bonac., Valent., Sylvest. Similis superstitio exercetur a lusoribus, quando mutant locum ad vitandam malam fortunam; Sanch. tamen excusat istos a mortali, eo quod non videatur peccatum perfectum superstitionis, cum lusores non certo credant se mutaturos malam fortunam.

III. Quæritur primo; Quot sint species vanæ Observantiæ?

Respondeo esse tres. Prima est ars notoria. Secunda, observatio sanitatum. Tertia, observatio eventuum. Dicitur Ars notoria superstitio illa, qua quis credit se statim consecuturum scientiam per potionem, vel per bolum aliquem, vel mediis quibusdam jejuniis; hæc enim dicuntur media vana, & inutilia; quia neque a Deo, neque a natura habent parere talem effectum. Dicitur observatio sanitatum superstitio illa, qua adhibentur varia media ad curandos morbos hominis, vel animalium, ut gestare amuleta, ligaturas, involucria falsis characteribus signata ad vitanda vulnera, vel ne sanguis effluat, aut gestare imagines, tabulis characteribus signatas, certa cum fiducia non moriendi sine confessione; sunt enim hæc media vana ad hos effectus, ac vim non habent. Demum observatio eventuum est superstitio, qua ex consideratione alicujus eventus casualis fit conjectura de eo, quod futurum est, & inde operationes diriguntur; Differt hæc a divinatione, quia per divinationem quærentur media inutilia ad divinandum; per observationem vero eventuum signa vana diriguntur ad operationes, quibus possumus aliquid mali vitare, vel boni obtinere.

IV. Quæritur secundo; Quænam observationes censeantur communiter a Doctoribus vanæ, & superstitiosæ?

Respondeo, præter istas, quas innumus, censeri superstitiosas, Primo,

annulo suspenso intra vas velle dignoscere quota hora sit. Card. de Lugo testatur in Hispania annulum pulsare horas astronomicas, in Italia vero italicas; quod cum naturali causæ tribui non possit, procul dubio est superstitiosum. Secundo, dies aliquos habere faustos, verbi gratia diem Jovis, alios infaustos, verbi gratia Martis, & Veneris; vel habere infaustum numerum tredecim personarum simul prædentium propter facinus Judæ. Tertio, statuam alicujus Sancti demergere in flumen, ut pluat. Quarto, credere, quod non prosint orationes, nisi in tanto numero sine interpellatione dictæ, cum tot candelis, &c. Quinto, sceminarum carminaticum preces, & benedictiones esse sufficientes ad depellendos statim morbos; Vocantur istæ ab Hispanis las Empalmadoras, quia sæpe utuntur verbis Psalmorum; Verum quia nec præsumitur gratia iis gratis data, nec virtus supernaturalis præsumi debet, nisi probetur; & quia solent etiam superstitiosa, & vana admiscere, ideo communiter Doctores cum Sanch., & Fagund. docent permittendas non esse. Sexto, Mulierculas nocte Sancti Joannis Baptistæ aliquid precari, auditumque applicare, ut nomen futuri mariti audiant. Hæc, & similia, quæ passim a Doctoribus congeruntur, reputantur communiter superstitiosa, atque adeo a mortali excusari non possunt.

V. Potest tamen aliquando esse veniale, si scilicet adsit ignorantia invincibilis, & bona fides; vel si id fiat ex intentione dandi operam hujusmodi vanitatibus non tanquam efficacibus, sed ex quadam levitate, vel curiositate semel, aut iterum in re levi, ut dictum est de Divinatione: Quamvis enim communiter Doctores cum Sanch. putent, in his rebus non dari parvitatem materiæ; tamen Valent. disp. 6. quæst. 13. punct. 3. putat dari pos-



ri posse parvitatem materiae, quoties non intervenit pactum expressum cum daemone; ut si quis semel movere faciat anulum intra vas suspensum, quia ex hoc solo parvo commercio cum daemone non imminet notabile damnum salutis; Hoc tamen ipse non admiserim. Sanch. lib. 2. moral. cap. 40. num. 25., quamvis neget cum communi dari parvitatem materiae in his rebus, concedit tamen aliquod ex his esse veniale, si semel fiat ad experiendum effectum curiositatis causa; etenim cum actus non fiant serio, sed joco, & curiositate, vel ad experiendum, non tam erit superstitio, quam animi levitas, & ideo tantum veniale. Monet tamen Trull. id non esse facile permittendum, ne curiositatis quidem causa, propter periculum deceptionis a daemone.

VI. Quæritur tertio; Quanam observationes reputentur communiter a Doctoribus licitæ, & non vanæ, aut superstitiosæ?

Respondeo, non reputari superstitiosam; Primo artem inveniendi aquas in terra latentes, adhibita virga salicea, vel amygdalina, quia, ut notat Bonac., & Trull., effectus iste inclinationis virgæ, ubi absconduntur aquæ defluentes, reputatur naturalis. Secundo, observare lunam ad fructus colligendos, ad tabulas secandas, &c. Tertio, verba Sacra, aut reliquias usurpare sine ullis vanitatibus, sperando tantum a Deo effectum sine ulla infallibilitate. Quarto, eodem modo triginta missas celebrare in memoriam Sancti Gregorii, qui triginta diebus fecit orare pro defunctis. Quinto, ter, vel novies jumenta circumducere circa templum alicujus Sancti, vel die festo alicujus Sancti venam equis secare, dummodo speretur effectus tantum a Sanctis, nec reputentur istæ circumstantiæ efficaces, & infallibiles: Quamvis Sanch. notet, ista extir-

panda esse, eo quod superstitionem sapiant, ac sint præter modum ab Ecclesia usitatum honorandi Sanctos. Sexto, Sanch. excusat eos, qui sanant morsus canis rabidi solo halitu, aut sputo, aut tactu, eo quod putet iis forte inesse gratiam gratis datam, vel inesse naturalem virtutem a tali complexione, cum id passim ubique permittatur. Sic multæ familiæ habent vim ad curandos morsus venenosos sputo; Et septimus masculus, quando nulla fœmina intercessit, curare solet strumas saliva; sicut etiam Rex Gallia. Et Tambur. hic num. 31. refert, aliquos natos nocte Conversionis Sancti Pauli sputo, vel tactu sanare morsus venenatos. Septimo, certum est licere uti virtute rei naturalis, etiam si per superstitionem sit cognita; eo modo quo licite utitur meretrix pecunia illicite comparata. Ratio est, quia licet illa notitia male fuerit acquisita, peccatum tamen transit, & effectus ille naturalis nihil mali ab ea culpa contrahit: Eodem modo licitum est uti thesauro per superstitionem invento, si pecuniæ non sint apparentes, nec constet daemone illas ab aliis sustulisse.

VII. Circa unguentum armarium puto cum Trull., Bonac., & aliis, qui casum examinant, esse superstitiosum. Ratio est, quia non videtur posse dici talis effectus naturalis causatus per sympathiam, quando vulneratus longe distat a gladio, vel panno sanguine imbuto, cui unguentum, vel pulvis applicatur. Causæ naturales in majori distantia semper remissius operantur; hoc autem non accidit in hoc unguento; ergo non operatur naturaliter.

VIII. Quæritur quarto; Quanam regula generalis assignari possit ad dignoscendum, num aliqua observatio sit superstitiosa?

Respondeo ex Tambur., præsumi superstitiosam, & in ea pactum cum daemo-



## ARTICULUS IV.

## De Magia.

dæmone intercedere, quoties ad aliquem actum interponuntur verba non significativa, vel figuræ inutiles, vel falsitas, verbi gratia, quod Christus habuerit febrim; Vel conditiones vanæ tanquam necessariae, verbi gratia tot cruce in tali hora, situ, &c., Vel promissio effectus infallibilis ultra vires naturales mediorum.

IX. Difficultas est, Utrum quando dubitatur, an effectus sit a dæmone, vel a Deo, vel a causa naturali, teneamur abstinere ab iis mediis tanquam superstitiosis?

Respondeo, Lessium lib. 2. cap. 44. num. 46. putare, quod abstinendum sit, ne exponamur manifesto periculo superstitiosis; nisi forte id fiat cum expressa protestatione voluntatis contrariæ: Quod Tanbur. admittit, si aliquando propter notabilem necessitatem iis mediis utaris, protestando te nolle effectum, si a dæmone proveniat. Sanch. vero putat, quod si omnibus expensis dubium sit, an effectus procedat a causa naturali, an vero a dæmone, præsumendum sit, quod procedat a causa naturali, & sic sine ulla superstitione possis tali medio uti; quia in tali dubio stat in possessione libertas, & innumerae sunt agentium naturalium vires occultæ. Quod si certum sit talem effectum non esse naturalem, (ut esset subita sanatio, vel sanatio per verba Sacra) sed dubium sit a Deone, an a dæmone talis effectus habeatur, præsumendum, quod a dæmone; quia Deus effectus miros causat supernaturaliter, vel per Sacramenta, vel propter sanctitatem personæ operantis; unde effectus præternaturalis aliter procedens non nisi a dæmone est.

I. *Magia est ars operandi mira ope dæmonis. Differt Magia superstitiosa a Naturali; quia hæc operatur mira per causas naturales.*

II. *In quo differat Magia a Vana observatione, a Maleficio, & ab Incantatione?*

III. *Magia naturalis non est superstitiosa, sed Auctores, qui de illa pertractant, non raro plura superstitiosa permiscunt.*

IV. *Naturalis a superstitiosa Magia discerni facile potest ex conditione Causarum, Operationis, & Effectus. Quonam pacto philtrea amatoria ad amorem, ac libidinem alliciant?*

V. *Quanam arte dæmones familiares in annulis, aut phialis includantur?*

VI. *Num vis fascinandis sit naturalis, an superstitiosa?*

I. **M**agia ad Vanam observationem a nonnullis reducitur, sicut Maleficio ad Magiam. Etenim Vana observatio est superstitio, ut diximus, qua mediis vanis procurantur ope dæmonis commoditates, divitiæ, fanitas, benevolentia: Magia vero est ars operandi mira ope dæmonis per signa vana, & inutilia; sicut Maleficio est ars nocendi aliis per signa vana ope dæmonis. Quoniam vero Magia est ars operandi mira, idcirco duplex distingui solet Magia, altera Naturalis, altera Superstitiosa; illa operatur mira, & insolita per causas naturales; hæc vero operatur mira per causas morales, hoc est per signa vanâ, quibus positus dæmon allicitur ad operandum quæcumque Magus exposcit. Allicitur autem dæmon, tum quia his signis honoratur; tum etiam quia talia signa ex ejus instituto dependent.

II. Qua.



II. Quare Magia differt a Vana obseruatione, quia illa solum ordinatur ad facienda mirabilia; Quod si ordinetur ad facienda mirabilia mere propter ostentationem, dicitur absolute Magia; Si vero ad inferendum alteri damnum, dicitur Maleficium; Si demum solis verbis, & non aliis signis aliquid mirum per Magiam fiat, dicitur talis Magia Incantatio: Definitur enim Incantatio, quod sit Ratio operandi mira solis verbis.

III. Queritur nunc primo; An sola Magia superstitiosa sit prohibita?

Respondeo affirmative; Magia enim naturalis (qua verbi gratia per causas naturales statuat se salutant, sibilant, saltant, tonitrua excitantur, aut aliud mirabile fit) non est mala de se, cum sit pars scientiæ naturalis. De ea extant variæ regulæ, & exempla apud Joannem Baptistam a Porta apud Cardanum, & alios. Notat tamen Less. auctores Magiæ naturalis aliquando permiscere quædam superstitiosa; unde monet huiusmodi libros habendos esse suspectos, & tanquam periculosos a iuventute vitandos.

IV. Queritur secundo; Unde dignosci possit, opera magica esse superstitiosa, & non naturalia?

Respondeo cum Trull., Less., & aliis, tripliciter dignosci posse; Primo ex conditione causarum, quæ adhibentur, quando scilicet non habent vim naturalem ad talem effectum, ut solet accidere, quando expresse dæmon invocatur; aut quando admiscetur orationibus falsitas, ut Christum habuisse febrem; vel quando præter signum crucis intermiscantur verba inepta, imagines, signa, figuræ, &c., aut unctiones, & ligaturæ præter morem Ecclesiæ; Vel si apponantur circumstantiæ ridiculæ, verbi gratia, si talia verba debeant scribi manu sinistra, ab aliqua virgine, tali hora, &c. Secundo, ex conditione operationis, ut

si repente curetur homo, vel animal, si brevissimo tempore longum iter conficiatur; si hic pungatur imago cereæ Petri, & ille alibi doleat. Tertio, ex conditione effectus, si scilicet humanam industriam superet; ut si opera Magica excitent tempestates, terræmotus, si præstigiis illudant, si reddant hominem invisibilem, si divitias mari abditas, vel thesauros occultos offerant; (quamvis raro id permittat Deus, ne detur maximum incentivum ad malum; unde Magi fere omnes pauperes sunt, abjecti, & viles) Demum si incitent ad odium, ad amorem, ad libidinem; Quod præstant dæmones assidue representando phantasiæ objectum tanquam conveniens, vel disconveniens, & simul excitando humores ad affectum amoris, odii, vel libidinis.

Quare quando a Magis, vel a Sagis dantur philtrea, seu pocula amatoria, non sunt illa, quæ homines alliciunt, & veluti vim inferunt ad amorem, vel odium, sed iis positis, dæmon proponit phantasiæ objectum, & humores excitat, ut amor, vel odium sequatur.

V. Queritur tertio; Quanam arte dæmones, quos vocant Familiæres; includantur in annulis, speculis, vel vasculis, aut a corporibus ejiciantur, & iterum advocentur?

Respondeo cum Azor. & Fagund. cap. 41., id naturali arte fieri non posse; cum enim natura dæmonum sit longe superior humana, non possunt naturaliter ad id ab hominibus astringi: Quare id præstatur ex pacto cum illis in toto tacite, vel expresse, ut, verbi gratia, ad prolationem talium verborum, aut positionem signorum huius, vel illuc se conferant.

VI. Queritur demum, Utrum fascinationis vis sit naturalis, an superstitiosa?

Respondeo, communiter docere Do-



Doctores esse naturalem: quia aliquando ex vehementi cogitatione alicujus objecti immutantur spiritus, præsertim subtiliores, qui ad oculos permeant, & aerem ad certam distantiam corrumpunt; Unde inficiuntur corpora mollia puerorum, pullorum, arbutulorum, &c.; sicut scemina post menstruum inficit vicinum aerem, & labem in speculum causat. Verum Azor., & Trull. cum multis Medicis docent, non esse naturalem vim fasciandi, seu nocendi hominibus, vel belluis ex solo aspectu, aut commendatione apud alios; sed dæmonis malignitate aerem infici, & hominis, aut belluæ corpus lædi.

## ARTICULUS V.

## De Maleficio.

- I. Maleficium est ars nocendi aliis ope dæmonis. Dividitur in Amatorium, & Veneficum; quod appellatur Veneficum.
- II. Remedia adversus maleficium alia sunt naturalia, alia Supernaturalia, alia Moralia.
- III. Num liceat a Malefico petere, ut Maleficium dissolvat, si non constet, quod sine novo Maleficio possit illud dissolvere?
- IV. Quid si constet posse illum quidem sine novo Maleficio maleficium dissolvere, sed non esse illud dissoluturum sine novo maleficio?
- V. Licitum est dissolvere maleficium ponendo signa contraria, quibus positivis expiret pactum cum dæmone.
- VI. Idque verum est, etiamsi per accidens inde sequatur alteri damnum; dummodo illud non sequatur ex actione dæmonis positiva. Sed quid si de hoc dubitetur?
- VII. Quomodo gerere se debeat Confessarius cum Maleficio, Magis, & Incantatoribus?

I. Maleficium, ut diximus, est Ars nocendi aliis ope dæmonis; & ideo pars est Magiæ; Unde quando ligaturis, nodis capillorum, &c. aliquod malum aliis præstandum ope dæmonis intentatur, tale maleficium vulgo dicitur *Fatura*; Porro Maleficium si ordinetur ad carnalem amorem, vel odium excitandum, dicitur Amatorium; si vero ad inferendum damnum sive personæ, sive ejus bonis, dicitur Veneficum; unde hujusmodi Maleficium appellatur Veneficum.

II. Quæritur nunc primo; Quænam remedia adhiberi possint adversus effectus maleficii?

Respondeo ea esse triplicis generis, Naturalia, Supernaturalia, & Moralia: Dicuntur remedia moralia, quæ fiunt removendo magica signa, ad quorum præsentiam dæmon damnum infert, quod quomodo fieri possit, examinabimus quæsito 3.

Naturalia sunt, quæ sunt apta naturaliter ad curandos morbos causatos a maleficiis, quamvis parum ista proficiunt, quando morbi causantur arte Sægorum, quia possunt facile dæmonis ope vim medicamentorum impedire. Demum Supernaturalia, seu Ecclesiastica sunt, Primo, Exorcismi; etenim a Christo Domino tradita est Exorcistis potestas expellendi dæmones, quamvis ea non sit infallibilis, seu non semper cum effectu conjungatur, nisi adiunt conditiones a Christo requisitæ: Sicut de fide etiam est, habere Pontificem potestatem applicandi indulgentias pro defunctis, sed ut illis proficiant, requiruntur circumstantiæ debitæ; Et de fide est, quod quicquid orantes petimus, obtinemus; si tamen cum debitis requisitis oramus. Secundo, magna fides in protectione divina; quod colligitur ex illo Psalmo, *Qui habitat in adjutorio Altissimi*. Tertio, iterata susceptio Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; Sicut etiam Sacramen-



talium, necnon usus Agnorum Dei, signum Crucis, invocatio Christi Domini, & Beatissimæ Virginis, Angeli Custodis, Reliquiæ Sanctorum, & inter cætera Sacrificium missæ. Sicut autem remedia naturalia non statim curant morbos, sed frequentari debent, ut perfecte curent, ita remedia hæc supernaturalia; cum Deus dederit illis vim per modum causæ naturalis; Sicut etiam eodem modo causant gratiam ipsa Sacramenta, ita scilicet ut in subiecto magis disposito majorem gratiam causent, ut ignis, verbi gratia, in subiecto magis disposito majorem calorem.

III. Quæritur secundo; Utrum liceat petere a malefico, ut maleficium dissolvat?

Respondeo, & dico primo, a malefico quantumvis parato non potest peti, ut maleficium alio malefico dissolvat; quia nunquam peti potest directe, quod est intrinsece malum: Unde infert Sanch. lib. 2. Moral. cap. 41., nec licere petere a Malefico dissolutionem maleficium, quod potest modo licito dissolvi, quando talis modus a malefico ignoratur; quia in tali casu perinde esset, ac petere, ut alio malefico dissolvat. Quod si dubitetur, an Maleficus sciat modum licitum dissolvendi maleficium, communiter Doctores cum Suar., Sanch., Less. apud Trull. docent nec licere petere dissolutionem; tum quia præsumi debet, ut docet Sanch., quod Maleficus sciat dumtaxat modum dissolvendi superstitiosum; tum etiam quia petens in tali casu exponeret se periculo petendi rem illicitam; non est autem licitum operari cum dubio rei illicitæ, ut communiter Doctores. Verum Tambur. hic docet aliquando licere cum dubio hoc negativo petere dissolutionem maleficium; quia præsumi potest ex communiter contingentibus non ignorari a Malefico modum dissolvendi licitum;

nam, ut dicemus quæsto sequenti; communis modus dissolvendi licite maleficium est tollere signum dæmonis, ad cujus præsentiam dæmon ex pacto operatur. Addit Tambur. sententiam hanc non adversari opinioni communi; tum quia in tali casu dubium vinceretur a præsumptione orta ex communiter contingentibus; tum etiam quia communis sententia procedit, quando peteretur dissolutio maleficium ab alio Mago, qui cum non fuerit auctor hujus maleficium, non facile poterit, nisi novo maleficio illud dissolvere.

IV. Dico secundo; Licitum est petere a Malefico, ut dissolvat maleficium, non solum si certo constet, sed etiam si probabile sit ipsum scire illud dissolvere modo licito; idque verum est, etiam si certo cognoscatur Maleficium novo maleficio esse dissoluturum maleficium prius. Ita Sanch., Filliuc, Trull. contra nonnullos. Ratio est, quia sicut habens necessitatem potest petere mutuum ab eo, quem certo scit usuris exacturum; & petere juramentum ab illo, quem noscit juraturum per falsos Deos; quia petitur res indifferens, seu id, quod licite ab alio præstari potest; ita pariter in casu nostro. Dixi, etiam si tantum probabile sit maleficium scire modum dissolvendi licitum, quia universim, ut notat hic Tambur., operari cum probabilitate est operari cum prudentia, atque adeo sine culpa. Cavendum tamen est ex Sanch., ne petens cooperetur cum malefico in novo maleficio, verbi gratia, recipiendo medicinam &c.

Notandum etiam, quod si spes sit, ut petito remedio licito, Maleficus hoc adhibeat, & non superstitiosum, tenemur ex charitate illud petere. Demum nullatenus licet petere a dæmone, ut cesset vexare; quia talis petitio involvit societatem cum dæmone; Solum licitum est per imperium, & ob-jurgationem dicere, verbi gratia, Cessa



sa mala bestia abhinc malefacere.

V. Quæritur tertio; Utrum liceat dissolvere maleficium destruendo signa, quibus illud est annexum; aut ponendo signa contraria, honesta tamen, & indifferentia, quibus positus expirat pactum dæmonis?

Respondeo affirmative cum Less., Suar., Sanch. apud Trull. Ratio est, quia sic nec pactum cum dæmone, nec amicitia captatur, sed solum evetuntur signa illa, quæ erant occasio mali. Quare si dæmon cum Malefico fecit pactum nocendi Maleficiato, nisi signet se signo Crucis, vel nisi lavet frontem, potest ille licite munire se Cruce, aut frontem lavare, ne lædatur a dæmone, animo tollendi signum illud, non vero animo sanandi medio invento a dæmone: Similiter si verum est, quod quando Venefica te tangit, te inficiat, sed desinat inficere, si illam repercutias, poteris illam repercutere. Propter eandem rationem licite Judices lavant maleficos torquendos, & pilos illis radunt, ne arte dæmonis insensibiles fiant ad tormenta; sic enim dumtaxat tollunt signum dæmonis latens sub pilis; vel quia pactum fuit cum dæmone, quod ad tonsionem pilorum cessaret conventio. Pariformiter qui audiit a Mago se convenisse cum dæmone, quod quidam thesaurus custodiretur, & nemini permitteretur, nisi illi, qui in tali loco bene potaret, poterit bene potare in eo loco, & deinde sibi thesaurum arripere.

VI. Ex quibus infert Filiuc., posse signa magica destrui, etiamsi redundaret damnum in maleficum, quia quilibet habet jus sibi consulendi, etiamsi per accidens sequatur alteri damnum. Notat pariter Trull., quod infectus a Saga, verbi gratia, sciens nocumentum deliturum, si porrigat illi panem, (for-

te propter Eucharistiæ Sacramentum) possit quidem panem porrigere, dummodo porrigendo panem dæmon desinat tantum nocere. Quod si porrectio panis sit novum signum, quo posito dæmon per actionem novam positivam, & per favorem succurrat, procul dubio non licet panem porrigere. Si tamen de hoc dubitetur, nec licet, ut communius docent; aut ad summum in casu necessitatis licet cum expressa protestatione, quod nolis effectum positivum a dæmone: Less. enim lib. 2. cap. 44. num. 46. hæc habet: *Non est licitum uti remedio, de quo dubium est, an contineat tacitam dæmonis invocationem; hoc enim est se exponere manifesto periculo superstitionis; nisi forte id fiat cum expressa voluntatis contrarie protestatione.*

VII. Quæritur ultimo; Quid faciat Confessarius cum Maleficis, Magis, & Incantatoribus?

Respondeo, debere examinare illos de genere superstitionis, an scilicet fuerit cum expressa, vel tacita dæmonis invocatione, & de aliis peccatis admixtis, puta hæresis, idololatriæ, luxuriæ, injustitiæ, &c. Si deinde maleficus pactum inivit cum dæmone, debet illud dissolvere; non est tamen necesse, ut chirographum malefico restituatur a dæmone; quia per pœnitentiam sufficienter recedit a pacto: Si injustitia præcessit, imponi debet restitutio; si hæresis formalis, & externa sit tali peccato conjuncta, non nisi a Pontifice absolvi poterit. Si vero adoratio dæmonis non stet cum hæresi, seu cum hoc, quod dæmon existimetur dignus adoratione, talis superstitionis poterit a quolibet Confessario absolvi, nisi in aliqua Diœcesi sit ab Episcopo sibi reservata.



## Q U Æ S T I O VI.

## De Irreligiositate, &amp; in specie de Sacrilegio, Blasphemia, &amp; Tentatione Dei.

**D**iximus in principio quaestionis superioris, virtuti Religionis opponi per defectum Irreligiositatem, quæ plura sub se vitia continet: Omissis aliis, videlicet Perjurio, & Adiuratione, de quibus infra cum de Juramento, necnon Simonia, de qua cum de Restitutione in particulari, agendum hic superest de Sacrilegio, Blasphemia, & Tentatione Dei.

## ARTICULUS I.

## De Sacrilegio.

- I.** Sacrilegium est rei Sacrae lesio. Triplex autem est, Personale, Locale, & Reale: Specialiter autem in Confessione aperienda sunt Sacrilegii species.
- II.** Probabiliter tres ista Sacrilegii species sunt atomæ, non subalterna; itant de consilio, non de precepto explicandus sit in confessione modus Sacrilegii, tanquam circumstantia aggravans.
- III.** Quanam Persona dicatur Sacra, itant eam ledens Sacrilegium committat?
- IV.** Per lesionem Personæ Sacrae quadrupliciter committitur Sacrilegium; injiciendo manus violentas, perducendo ad tribunal saculare, subji-ciendo oneribus vectigalium, & per actiones venereas.
- V.** Novitius non habens votum castitatis non est sacrilegus, si carnaliter peccet. Quid de habente hoc votum, si alios inducat ad peccandum carnaliter? Quid de Sacerdote Græco, si peccet contra castitatem?
- VI.** Communius docent contra nonnullos, fractionem cujuscumque voti esse sacrilegam.
- VII.** Quare non sint sacrilega omnia peccata Personæ Sacrae, sed solum peccatum contra castitatem?
- VIII.** Quare percussio Clerici habentis primam Tonsuram, & Novitii sit sacrilega, & non sit sacrilegum peccatum istorum contra castitatem?
- IX.** Quinam dicatur locus sacer, cuius violatio sit Sacrilegium?
- X.** Latius patet locus sacer relate ad effectum gaudendi immunitate, quam relate ad effectum constituendi furtum, verbi gratia, sacrilegum.
- XI.** Locus sacer violatur per illas dumtaxat actiones, quæ in locis Sacris intuitu Religionis prohibentur, puta per effusionem sanguinis, vel seminis, si delicta sint publica, per extractionem violentam e loco Sacro, per mercatus, convivias, furta, &c.
- XII.** Est sacrilegum furtum sacri de sacro, Sacri de non Sacro, & non sacri de Sacro, si res non sacra sit in Ecclesia custodia causa, aut illi commodata.
- XIII.** Num sit Sacrilegium furari aliquid e Sacristia? Non est sacrilegium furari aliquid e Claustris Religiosorum, aut ex Oratoris prioratis. Quid de furto in Oratoris Xenodochiorum, & Eremitiorum?
- XIV.** Nomine rei Sacrae veniunt Sacramenta, ornamenta Ecclesie benedi-
- r. Ita,



*Eta, bona Ecclesia, & similia. Non tamen Tempus, & locus; unde de se non est Sacrilegium peccare die festo, aut in Ecclesia.*

XV. *Est Sacrilegium concupiscere copulam habendam in Ecclesia; sed non est Sacrilegium in Ecclesia concupiscere copulam habendam extra Ecclesiam. Actus turpes si in Ecclesia committantur, explicandum est in Confessione.*

XVI. *Multipliciter Sacrilegium reale committi potest; praesertim si quis abutatur aut rebus, aut verbis sacris, si irreverenter officium recitetur, si imagines Sacrae, vel Reliquia male habeantur, &c.*

I. **S**acrilegium idem sonat, ac sacre rei lesio, seu violatio. Dicitur autem res sacra, quae ad cultum Dei consecrata est, sive ex lege Divina, sive Ecclesiastica: Quia tamen triplex genus rerum Deo consecrantur, videlicet Personae, loca, & aliae res, ideo triplex genus Sacrilegii datur, nempe Personale, Locale, Reale, seu violatio personae Sacrae, loci sacri, & alterius rei sacrae: Unde specialiter in Confessione aperiendum est, personae, an locus, an alia res sacra violata sit? cum species peccatorum ex Trident. aperiendi debeant in confessione.

II. Quæritur tamen primo; An hæc divisio Sacrilegii in has tres species sit divisio in species subalternas, hoc est, quæ continent sub se alias species, an vero in infimas, & atomas?

Respondeo, Suar. lib. 5. de Sacram. cap. 5., Less. lib. 2. cap. 47. dub. 3., Filliuc. putare, divisionem hanc esse in species subalternas; Unde fit, in confessione non solum explicandum esse, num persona, aut locus, aut alia res sacra laesa sit, sed etiam modum particularem Sacrilegii; verbi gratia, num persona sacra violata sit per percussione, aut per fornicationem; num locus per ef-

fusionem sanguinis, aut feminis; num res sacra violata sit per violationem Sacramentorum, & praesertim Eucharistiae, aut aliarum rerum Sacrarum?

Verum D. Th. 2. 2. quæst. 99. art. 3., Cajet., Trull. hic putant probabiliter divisionem illam Sacrilegii esse in tres species ultimas; Unde fit, modos prædictos Sacrilegii differre tantum numero; sicut differt sacrilegium commissum contra Petrum a commissio contra Paulum; vel saltem differre secundum circumstantiam aggravantem. Ratio D. Th. est, quia solum habitudo ad sanctitatem istarum specierum est simpliciter diversa; Nam persona dicitur sacra, quia est subiectum sanctitatis; locus dicitur Sacer, quia continet personas, & res sacras; res aliae dicuntur Sacrae, quia ad sanctitatem ordinantur. Adde, quod si istae species non essent infimae, difficillimum esset assignare species infimas in confessione explicandas; unde quamvis consilium sit explicare modos illos significatos Sacrilegii, in quantum sunt sacrilegi, & virtuti religionis opponuntur, possunt tamen citra culpam reticeri.

III. Quæritur secundo; Quid veniat nomine personae Sacrae, & quot modis lædatur?

Respondeo, personam sacram dici, quæ vitæ statu, vel per votum, vel per sacrum Ordinem Deo specialiter est consecrata: Tales sunt Clerici omnes, & Religiosi, ac Religiosæ, etiam si nondum professionem emisissent. Quare si huiusmodi personae lædantur, quatenus Sacrae, seu quatenus in Dei cultum destinatae sunt, sacrilegium committitur: Et quia Ecclesia intuitu virtutis Religionis prohibuit, ne in eas violentæ manus injiciantur, ne ad secularia iudicia pertrahantur, ne vectigalibus, & tributis subiciantur, ideo Sacrilegium committitur eas in his actionibus offendendo, quia offenditur



Deus in personis sibi specialiter dedicatis.

IV. Quadrupliciter itaque committitur Sacrilegium per læsionem personæ Sacræ. Primo, per violentam manuum injectionem. Secundo, per usurpatam jurisdictionem quoad forum, seu si ad sæculare tribunal pertrahantur. Tertio, si subjiciantur oneribus vestigialium. Quarto, per actiones venereas; itaut qualibet persona habens votum castitatis sacrilegium committat, si carnaliter peccet, sive corpore, sive etiam mente, quia abutitur persona Deo per tale votum dicata, tam corpore, quam anima.

V. Novitius tamen non habens votum castitatis, si carnaliter peccet, sacrilegium non committit: Sicuti nec committit Sacrilegium, qui habens votum castitatis inducit alios ad peccandum carnaliter, apud Tambur. lib. 2. Methodi Confess. cap. 6. §. 5. Et ratio est, quia per votum castitatis videtur homo se obligare tantum ad non peccandum contra castitatem, seu ne ipse in sua persona delectationes venereas admittat, non vero ne alios in easdem inducat; propriam enim, non alienam castitatem promittit. Putat etiam Tambur. in Decalogum hic, Sacerdotem Græcum non esse sacrilegum, si peccet contra castitatem; quia non constat emitti a Sacerdotibus Græcis votum ullum castitatis.

VI. Dubium est, Num habens votum, verbi gratia, jejunandi, obediendi, &c., sit etiam sacrilegus, si non jejunet, obediat, &c. Affirmant communius cum Less., Cajet., Valent.; quia per quodcumque votum tam persona relate ad illam operationem, quam res, quæ promittitur, Deo specialiter dicatur. Sed probabiliter negant Pal., & Tambur. hic ex Suar. tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 3. cap. 3.; quia nihil sa-

crum violatur; sed solum peccatur contra fidelitatem Deo debitam per promissionem, seu votum: Quare ex Suar. sola violatio voti solemnissimæ castitatis est sacrilega, quia per tale votum dumtaxat persona ex ordinatione, & acceptatione Ecclesiæ Deo specialiter dicatur anima, & corpore: Jejunium vero, quod promittitur per votum, non dicitur res Deo dicata, sed solum promissa; unde qui violat votum jejunandi, non peccat contra virtutem Religionis, peccat tamen peccato perfidiæ contra Deum explicando in confessione, seu contra fidelitatem Deo debitam; Et idem putat Suar. dicendum de violante votum simplex castitatis. Communius tamen docent, ut diximus, omnem voti fractionem esse sacrilegam; & Sanch. lib. 7. de Matrim. disp. 27. probabiliter docet, votum simplex castitatis a voto solemnissimæ non differre specie; Unde satis est in confessione dicere, commissum esse peccatum contra votum castitatis, vel cum habente votum castitatis, non explicando Sacerdotium, aut professionem.

VII. Ex dictis inferitur primo, Quare si Sacerdos furetur, blasphemet, &c., non sit sacrilegus? Contra vero si violet votum castitatis? Disparitas est, quia persona per votum specialiter Deo dicatur relate ad operationem, quam vovet, & ideo violando votum violatur persona sacra, quatenus sacra est: At furando, blasphemando, &c., solum læditur jus naturale, & divinum, non vero persona sacra, quatenus sacra est; aliter omnia peccata Sacerdotum essent Sacrilegia: Verum quidem est, quod Sacerdos sit sacrilegus, si in mortali celebret, vel Sacramenta suscipiat, aut conferat; id est tamen propter irreverentiam gravem, quam irrogat rebus sacris, atque adeo tale sacrilegium non est ratione personæ, sed ratione rei Sacræ.

VIII.



VIII. Inferitur secundo disparitas, quare percussio Clerici etiam habentis primam tonsuram, & novitii nullum habentis votum sit sacrilega; Et contra fornicatio eorundem non sit sacrilega? Ratio est, quia persona etiam per primam tonsuram, & per novitiatum sacratur Deo, juxta institutiones Ecclesiasticas, itaut per percussionem censeatur persona sacra violari: Contra tamen juxta institutiones Ecclesiasticas non censetur per primam tonsuram, aut per novitiatum ita sacrari Deo persona, ut committat sacrilegium, si fornicetur. Et per hæc etiam patebit, quare effusio sanguinis, vel seminis facta in loco Sacre sit sacrilegium; non vero blasphemia, aut aliud enorme peccatum non specialiter ab Ecclesia prohibitum, si in loco Sacro committatur?

IX. Quaritur tertio; Quanam loca dicantur Sacra, & quomodo violentur?

Respondeo, nomine loci Sacri, quoad hunc effectum constituendi sacrilegum peccatum in eo commissum, venire solum Ecclesias, Cæmeteria, Monasteria, Hospitalia, & Oratoria auctoritate Episcopi approbata, in quibus tam sacrificium Missæ, quam alia divina officia celebrantur.

X. Notandum tamen, quod nomen Ecclesiæ in favorabilibus, seu relate ad effectum gaudendi immunitate, importet etiam Ecclesiæ fabricam, parietes, turres, tectum, januam, scallas, atrium, claustrum, & ambitum exteriorum: in odiosis tamen, seu relate ad effectum constituendi, verbi gratia, furtum sacrilegum, nomen Ecclesiæ importat solum Ecclesiam cum suis cappellis, & cæmeterio, ut notat Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 15. num. 23.

XI. Violatur autem locus sacer per illas tantum actiones, quæ jure Canonico intuitu Religionis in locis Sacris

prohibentur.

Primo itaque committitur sacrilegium per violationem loci sacri, quoties injuriose effunditur in loco Sacro sanguis, vel semen, juxta explicanda in de Matrimonio. Ubi notat Tambur. lib. 2. Meth. Confes. cap. 6., hujusmodi delicta, ut sint sacrilega, debere esse publica, & notoria; quia intantum committitur Sacrilegium, inquantum polluitur Ecclesia, & indiget reconciliatione; sed non polluitur Ecclesia per hæc delicta, nisi sint publica, & notoria; ergo si sint occulta, non sunt sacrilega. Ita Pont., Vasq. contra Suar., Sanch., Bonac., qui putant esse sacrilega, etiam si sint occulta.

Secundo, si locus sacer destruat, spoliatur, incendatur, &c.

Tertio, per Sepulturam vel excommunicati vitandi, vel non baptizati, etiam si infantis, modo parentes saltem fideles non sint, ex Sayr.

Quarto, per extrationem violentam personæ a loco Sacro.

Quinto, si in Ecclesia turpes ludi exercentur.

Sexto ex Suar. apud Trull., si in Ecclesia fiant mercatus, deambulationes, conclamationes, secularia concilia, convivia, strepitus judiciorum secularium, (non tamen Ecclesiasticorum, quæ præsumuntur pietatem concernere) & alia hujusmodi, quæ divinum cultum impediunt; Quamvis ex D. Th. in necessitate ea liceant aliquando, verbi gratia, ob multam pluviam, ob solis æstum, si alius locus opportunus ad se recipiendum absit; dummodo a strepitu, & immodesta comotatione absteatur; Immo nec videtur grave peccatum aliqua particularis comestio moderata, & honesta in loco Sacro facta sine necessitate, dummodo fiat sine tumultu, clamore, & scandalo, ut dicitur de deambulationibus, & parla-

men-



mentis, quia non videtur gravis injuria irrogari sanctitati loci.

XII. Septimo, Sacrilegium ratione loci sacri committitur per furtum rei etiam profanæ ibi commissum: Etenim ex cap. *Quisquis inventus* 17. quæst. 4. sacrilegium est non solum furtum Sacri de Sacro, & Sacri de non Sacro, sed etiam non sacri de sacro, seu rei profanæ de loco sacro. Notat tamen Tambur. lib. 2. Methodi Confess. cap. 8. cum Lug., Pal., Azor. contra Suar. Vasq., Laym., Bonac. non esse sacrilegium quodlibet furtum rei profanæ, seu non sacræ in Ecclesia commissum, sed solum quando res non sacra est in Ecclesia custodiæ, aut securitatis causa, vel est Ecclesia commodata, itaut Ecclesia de re illa teneatur; quia tunc aliquo modo ad Ecclesiam pertinet. Unde non committit Sacrilegium, qui crumenam divitis in Ecclesia furatur, aut gladium parochi, quem parochus possidet nomine suo, non Ecclesiæ: Committit vero (ut communiter docent contra Fagund. in secundum præceptum Ecclesiæ lib. 2. cap. 5. num. 21.) duplex specie sacrilegium, reale scilicet, & locale, qui rem sacram de loco sacro furatur, verbi gratia calicem in Ecclesia, vel in Cæmeterio, aut in Sepultura sub Ecclesia, quæ etiam venit nomine loci sacri.

XIII. Dubium tamen est; An sit sacrilegium locale, si quis furetur aliquid e Sacristia?

Sanch. loc. cit. num. 31. contra aliquos Neotericos putat, nomine loci sacri non venire Sacristiam, quia est extra Ecclesiam. Illud certum est, non esse sacrilegium locale furari aliquid in Claustris Religiosorum, quamvis gaudeant immunitate; Immo nec in Oratorio domus privata, in quo de licentia Episcopi celebratur; quia hujusmodi Oratoria privata non veniunt nomine loci sacri, ne in favo-

rabilibus quidem, cum non gaudeant immunitate; possunt enim ad nutum fundatoris in profanos usus converti. Demum de Oratoriis Xenodochiorum, & Eremitiorum, quæ auctoritate Episcopi sunt erecta, quæ non sunt benedicta, aut consecrata, dubium est apud Doctores, an veniant nomine loci sacri? Sanch. num. 39. affirmat, quia ad profanos usus converti nequeunt, & gaudent immunitate, quamvis in eis divina officia non celebrentur.

XIV. Quæritur quarto; Quid veniat nomine rei sacræ, per cujus violationem committitur Sacrilegium?

Respondeo, venire, Primo Sacramenta. Secundo Vasa sacra, quæ sunt instrumenta rebus sacris administrandis, necnon imagines Sacras, & Reliquias Sanctorum, ad quæ reducuntur verba sacra. Tertio ornamenta Ecclesiæ, vel Ministrorum; quæ scilicet per specialem benedictionem, vel consecrationem divino cultui deputantur, unde horum omnium profanatio, vel furtum est sacrilegium; Sicut etiam destructio irreligiosa templi, ejusque profanatio, vel abusus ad choreas, ad obscenas comædias, &c., necnon abusus Sacramentalium, puta aquæ lustralis, vel candela, aut rami benedicti. Quarto demum nomine rei sacræ veniunt bona Ecclesiæ, decimæ, primitiæ, &c. quia hæc suo modo sacrata sunt, & ad cultum Dei deputantur, quatenus destinantur sustentationi eorum, qui Dei cultui inserviunt, unde eorum pariter furtum sacrilegium est.

Contra vero nec tempus, nec locus veniunt nomine rei sacræ, quamvis divino cultui specialiter dicentur; unde peccans die festo, aut hebdomada Sancta, vel peccans in Ecclesia non committit ex hoc capite sacrilegium; eo quod non est specialiter prohibitum intuitu Religionis peccatum



tum tali tempore, vel tali loco: Effet folum sacrilegium ratione temporis facti, si dies festi violentur operibus servilibus; & aliis prohibitis, ut notat Trull. ex Les.

XV. Est etiam sacrilegium ratione loci, si quis, verbi gratia, concupiscat copulam habendam in Ecclesia; quamvis non sit sacrilegium concupiscere in Ecclesia copulam habendam extra Ecclesiam. Et ratio disparitatis est, quia in primo casu objectum actus interni est sacrilegium; in secundo casu circumstantia loci non fert secum speciem sacrilegii. Ita Doctores communius; Quamvis Suar. tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 7. putet, non solum pollutionem occultam; sed etiam tactus impudicos habere specialem malitiam in confessione aperendam, si in Ecclesia committantur, non quidem ex ullo precepto Ecclesie, sed ex vi legis naturalis prohibentis fieri in Ecclesia; actus turpes ob reverentiam loci sacri.

XVI. Ex dictis sequitur, sacrilegium reale esse suscipere, vel administrare Sacramenta in mortali. Secundo, abuti sacris vasibus, puta uti calice consecrato ad bibendum. Tertio, abuti sacris verbis ad superstitiones, ad facetias, ad amatoria, ad stabi- liendas hæreses. Quarto, Sacrilega est omnis irreverentia, quæ committitur in recitando divino officio, vel in sacris ceremoniis obetundis, quamvis sæpe a Sacrilegio lethali ex materia parvitate irreverentia isthæc excusetur. Quando tamen Sacerdos (quod utinam nunquam accidat) ut brevi Missam absolvat, notabiliter obtruncat verba, & ceremonias confundit, irreverentia certe non est levis, nec sacrilegium veniale. Quinto, male habere imagines, & reliquias, puta illas inhoneste pingendo, vel istas dispergendo, ne colantur. Sexto, invasio bonorum, vel juriam

Ecclesiasticorum, retentio legatorum Ecclesie, &c.

## ARTICULUS II.

## De Blasphemia.

- I. Blasphemia proprie solis verbis, non vero factis contumeliosis exhibetur contra Deum, aut Sanctos, sive mente, sive ore, sive scripto.
- II. Non datur materia parvitas in blasphemia, etiamsi joci gratia proferratur.
- III. Ex consuetudine sine plena advertentia blasphemare non vacat culpa lethali.
- IV. Blasphemia hereticalis continet hæresim, seu quod articulo fidei directe opponitur; secus vero Blasphemia simplex. Hereticalis aut tollit a Deo quod habet, aut per contumeliam tribuit Deo, quod non habet.
- V. Simplex Blasphemia est quadruplicis generis, Enunciativa, Detestativa, Irrisoria, & Juratoria.
- VI. Probabiliter non differunt specie Blasphemia in Deum, & Blasphemia in Beatam Virginem, & in Sanctos; nisi proferrantur in Sanctos ob propriam eorum excellentiam.
- VII. Qui maledicit creaturis, in quantum Creature Dei sunt, profecto blasphematur; sicut qui rebus sacris maledicit: Quid si quis creaturis irrationabilibus maledicat? Et quid si tempori, pluvie, ventis?
- VIII. Discutuntur plures formulae, quæ frequenter usurpantur, num sint Blasphemia.
- IX. Quid de formula illa conditionata, Deum abnego, si res non ita se habet? Quid de illa, Per vitam Dei? aut de illa alia, Corpo di Dio con voi?

X. In



- X. *In dubio, an formula aliqua sit Blasphemia, non est talis censenda.*  
 XI. *Blasphemi denunciandi sunt (si Blasphemia sit haereticalis) intra sex dies a noticia, sub pena Excommunicationis latae sententiae.*

I. **B**lasphemia est convicium, seu verbum contumeliosum, quod jacitur contra Deum, aut Sanctos, sive mente, sive ore, sive scripto proferatur. Ita communiter. Putant tamen nonnulli, etiam factis, vel signis posse blasphemiam committi, puta conculcando imagines, infrendendo dentibus in Deum, expuendo in caelum; sed hoc negat Bonac. ex Suar., & Lefs.; quia blasphemia opponitur laudi Dei, quae solis verbis mente, vel ore, vel scripto exhibetur; unde blasphemia in solis verbis, non in factis proprie consistit.

II. Hinc sequitur primo, blasphemiam opponi virtuti Religionis; quia haec divinum honorem, & laudem tuetur, quam blasphemus offendit derogando illi, vel diminuendo.

Sequitur secundo, peccatum hoc ex genere suo esse mortale, & solum ratione inadvertentiae posse esse veniale, non vero ex levitate materiae, puta ratione levitatis, & joci. Ratio est, quia nulla respectu Dei dari potest levis contumelia, & gravis est ex se deordinatio, etiam per jocum blasphemare, ac Deum inhonorare. Putat quidem Villalob. apud Trull. cum Dian. part. 5. tract. 5. resol. 3. probabiliter in hoc dari posse parvitatem materiae, ut si quis velit facetiam confirmare verbis Sacrae Scripturae. Sed communiter rejicitur, quia vel hoc fit sine contemptu, & est sacrilegium veniale, non blasphemia; vel fit cum contemptu, & est blasphemia mortalis, quia est gravis irreverentia.

III. Hinc etiam fit, quod qui ex

habitu, & consuetudine sine plena advertentia ad Dei inhonationem solet blasphemare, teneatur sub mortali conari ad talem habitum evellendum; tum quia aliter est in mortali periculo, & proxima occasione blasphemandi: tum etiam quia gravis deordinatio est Deum sic inhonorare.

IV. Quæritur nunc primo; Quotuplex sit blasphemia?

Respondeo, aliam esse simplicem, aliam haereticalem. Haereticalis dicitur, quae continet haeresim, seu quae alicui articulo Fidei directe opponitur, ut, Abnego Deum, Abnego crucem Christi, Beatam Virginem, Deus est injustus, dæmon est omnipotens. In quibus casibus blasphemus, si credat, quod ore profert, erit pariter haeticus, & ut talis judicandus; scilicet vero si id non credat, cum non habeat errorem circa fidem. Simplex vero blasphemia dicitur illa, quae errorem circa fidem non continet, ut solent esse, quae dicuntur per modum optandi, imperandi, imprecandi, &c. verbi gratia, Maledictus Deus, displiceat Deo, quod vulgo dicitur, A dispetto di Dio; vel si quis irreverenter nominet membra Christi Domini, vel pudenda Sanctorum, ut notant Suar., Sanch. apud Trull., quia sic intendit facere illos contemptibiles propter tales partes naturales.

Sequitur ex dictis primo, duobus praesertim modis blasphemari, vel scilicet tribuendo Deo per contumeliam id, quod non habet, eique repugnat, ut appellando Deum injustum, crudelem, &c.; vel tollendo Deo id, quod habet, & illi essentia liter convenit, ut dicendo, non habere providentiam, omnipotentiam, dæmonem esse omnipotentem, &c.

Sequitur secundo, blasphemiam esse detestari divina, vel Deum maledicere, illique mala imprecari. Ratio est,



est, quia tribuitur Deo id. quod non habet, eique repugnat, ut si dicatur, Maledictus sit Deus, Pereat, Velit nolit, hoc erit, &c.; Vel si quis juret per vitam, aut per caput Dei, aut Sanctorum, quia ex Azor. sensus est, quod Deus, aut Sancti amittant vitam, si res non ita est.

Sequitur tertio, blasphemiam esse exprobrare Deo ea, quæ habet, seu tribuendo illi ea, quæ habet, sed irreverenter, ut jurare per corpus, aut sanguinem Dei ex indignatione; sicut etiam jurare per falsos Deos: Seclusa tamen indignatione contra Deum, & contemptu, non est blasphemiam jurare per corpus Dei, scilicet Christi Domini.

Sequitur quarto, esse blasphemiam ea, quæ sunt propria Dei communicare creaturæ, ut vocare dæmonem omnipotentem, fœminam amatam vocare Deam; aut jurare per falsos Deos, cum sic tribuatur illis infallibilis veritas, quæ soli Deo convenit.

Sequitur quinto, esse blasphemiam dicere, Pereat, qui me sustentat, intelligendo Deum; sicut etiam dicere, Perdat te sanguis Christi, Occidat illum Sanctus Franciscus; Sanguis enim Christi Domini, & Sancti ad salvandum nos, non ad perdendum sunt parati; unde magna afficiuntur contumelia per talem formulam, ut notat Laym. apud Tambur.

V. Sequitur ultimo, blasphemiam simplicem, seu non hæreticalem esse quadruplicis generis: nam vel est Enunciativa, ut Ad injuriam Dei hoc faciam; vel Detestativa, ut, Pereat Deus, Maledictus sit Deus, Displiceat Deo; vel Irrisoria, ut Vah qui destruis templum Dei; vel Juratoria, ut Pereat Deus, si ita non est, vel si hoc non erit.

VI. Quæritur secundo; An differant inter se specie blasphemiam in Deum,  
Pars II.

in Beatam Virginem, & in Sanctos?

Respondeo, Saur., Sanch., & alios apud Tambur. in Methodo Confessionis lib. 2. cap. 3., probabilius putare, quod specie differant, quia blasphemiam in sanctos præter propriam malitiam blasphemiam, habet etiam malitiam contra Duliam, (quæ est honor specialis debitus Sanctis) sicut blasphemiam contra Beatam Virginem continet malitiam contra Hyperduliam: Etenim per blasphemiam in Sanctos non solum Deus, sed etiam ipse Sanctus injuria afficitur; Econtra per Blasphemiam in Deum soli Deo irrogatur injuria; ergo blasphemiam in Deum, & in Sanctos differunt specie.

Sed probabile etiam est, quod docet Azor., & alii apud Dian. part. 1. tract. de Circumst. resol. 50. non differre specie; sicut non differunt specie juramentum per Deum, & juramentum per Sanctos. Ratio est, quia cum omnes communiter honorent Sanctos non ob præcisam eorum propriam excellentiam, sed quatenus ad Deum ordinantur, ideo nec illos injuria afficiunt, nisi quatenus ad Deum referuntur; Unde ab uno Deo omnes blasphemiam specificantur. Quare juxta hanc sententiam satis est in confessione dicere, Blasphemavi, non explicando an contra Deum, vel contra Sanctos, aut alias creaturas verbum contumeliosum sit prolatum, nisi forte alicubi sola blasphemiam contra Deum esset reservata.

Quamvis quando blasphemiam fuerit hæreticalis, debeat exprimi hæc nova species peccati; sicut etiam si blasphemiam ex odio formali Dei, vel ex desperatione proferatur. Verum si proferatur in Sanctos ob propriam eorum excellentiam, & non quatenus ad Deum referuntur, debet in confessione id exprimi, quia tale peccatum est contra virtutem Duliam, non Religionis.

VII. Quæritur tertio, Utrum com-  
M mit-



mittatur blasphemia non solum conviciando Sanctos, sed etiam maledicendo aliis creaturis?

Respondeo cum Bonac., & Less. cap. 45. dub. 5., puram maledictionem creaturarum sine ordine ad Deum non esse proprie blasphemiam, (quamvis sit peccatum mortale contra charitatem, si conjungatur cum desiderio notabilis damni; sit vero solum veniale, si tantum ex passionis, & iracundiae impetu imprecemur alicui grave damnum) Est autem blasphemia maledicere creaturis, ut creaturae Dei sunt, seu per ordinem ad Deum; sicut etiam blasphemando res sacras; quia per hujusmodi maledictionem tribuitur per contumeliam Deo id, quod non habet, eique repugnat, aut tollitur a Deo, quod essentialiter habet; cum talis maledictio redundet in Deum auctorem creaturarum. Sicut enim Deus in creaturis honoratur, ita inhonorari potest per maledictionem creaturarum, in quantum creaturae Dei sunt, aut per blasphemiam rerum sacrarum.

Hinc sequitur, ut notant Sayr., & Suar., committi blasphemiam spernendo Sanctos; nam sicut in Sanctis laudatur Deus, ita in illis potest Deus contumelia affici, & blasphemari; & ideo diximus, blasphemiam in Sanctos, aut in alias creaturas non differre specie a blasphemiam in Deum. Demum maledicere creaturis irrationabilibus secundum se non est mortale; immo potest nec esse veniale; si enim possumus illas occidere, quidni, & malum imprecare? Si tamen creaturae irrationales considerantur, in quantum sunt hominis, esset mortale illis maledicere; non secus ac maledicere ipsi homini, ut si quis velit arborem incendi, equum occidi ex odio hominis: Si vero maledicatur tempus pluvia, ventus, &c., quatenus illis Deus utitur ad nos pu-

niendos, esset profecto blasphemia: Quod si non sit indignatio contra Deum, sed contra creaturas, non erit blasphemia; ut si dicatur, Maledicta hora qua mei parentes me genuerunt, haec enim indignatio est contra parentes, atque adeo est peccatum contra pietatem, leve, vel grave, prout leviter, vel graviter laedit observantia erga illos.

VIII. Queritur quarto, Quanam formula usurpari solita nullam contineant blasphemiam, quanam vero dubium est, an contineant; & quomodo istae interpretandae?

Respondeo, non reputari a Doctoribus blasphemiam, Primo, si dicatur, Hoc est verum, sicut est verum evangelium; vel, sicut est verus Deus; quia communiter volumus per haec verba indicare similitudinem quandam, quod sicut unum est verum, ita & aliud. Esset vero blasphemia, si vellemus veritatem creatam defectibilem cum divina indefectibili aequiparare. Secundo, quando dicitur, *Potenza di Dio*, *Potenza di Dio*; Haec enim verba solum important quoddam lignum admirationis contra rem, quae inopinato accidit. Tertio, *Pejerans* non est blasphemus, cum nihil tribuat, aut tollat a Deo in ejus convicium; nam pejerans non petit, ut Deus firmet falsitatem, ut censet Pal. tom. 3. disp. 2. punct. 2. §. 3., sed enunciative tantum profert cum temeritate illud falsum a Deo confirmari, non optative. Quarto, non est blasphemia dicere, sic tandem fato futurum erat, si non intelligatur fatum Gentilium fatuorum, sed sola necessitas talis eventus consequens ad Dei praevisionem.

Dubium tamen est primo, An qui nolens dicere blasphemiam hanc, (Santo diavolo) dicat, *Santo dia*, vel *Santo diamant*, etiam blasphemet? Respondendum tamen, quod si animo nolit diabolo sanctitatem appingere, vere



verè non blasphemet, ut Tambur. cum doctis viris ab ipso consultis censet; quia idcirco dicit, dia, vel, diammant, ne blasphemiam proferat. Idem dicendum contra Bonac. de eo, qui diceret, nego Di, quia non vult dicere, Dio; quamvis in tali formula scandalum facilius adfit.

IX. Dubium est secundo de blasphemia conditionata, verbi gratia, Renego Deum, si ita res non est, Deus est injustus, si te non occiderit &c., Sanch., & Pal. putant has esse blasphemias; Quod tamen negant Sal., & Tambur., quia non videtur fieri sensus, quod fides in Deum, vel iustitia Dei pendeat a veritate rei creatæ, aut a futuro eventu, quod sane esset blasphemia; sed sensus videtur esse, quod sicut certum mihi est ex Dei gratia nunquam me Deum renegaturum, ita certum est, quod assero; & sicut certum est, Deum non esse injustum, ita certum mihi est te esse occidendum, per similitudinem quandam, non per æquiparantiam, ut diximus de illa formula, Hoc est verum, sicut est verus Deus: nec est sensus, ut putat Pal., quod Deum renegaturus sim, si res ita non sit, aut quod Deus erit injustus, si non occideris.

Dubitatur tertio; an sit blasphemia dicere, Per vitam Dei, vel Sanctorum? Affirmat Decian., qui putat ejus sensum esse, amittant Deus, vel Sancti vitam, si res ita non est; Sed communiter cum Sanch. negant; quia sensus est, Sicut Deus vitam habet, ita verum est, quod dico.

Dubitatur ultimo; An sit blasphemia dicere ex indignatione contra hominem, vel jumenta (Corpo di Dio con voi, Ah Sangue di Dio?) Communiter negant, quia tota indignatio est in creaturas, & nihil Deo tribuitur, vel tollitur per convicium; Est tamen peccatum veniale irreligiosita-

tis contra secundum præceptum Decalogi, ut notat Laym., quando solum indignatio fertur in creaturas; Quod si indignatio ferretur etiam in Deum, esset profecto blasphemia, quia in actu exercito significaretur, Deum esse dignum nostra indignatione.

X. Regula generalis est, ex Bonac., Pal., Tambur., quod quoties aliqua verba sumi possunt in utramque partem, pro blasphemia scilicet, & non blasphemia, non sint sumenda pro blasphemia; quia in dubio non sunt accipienda, ut sonent delictum, cum delictum non præsumatur, nisi clare constet.

XI. Quæritur ultimo; An blasphemii sint corrigendi, & denunciandi?

Respondeo, audientem blasphemos ex præcepto naturali teneri illos corrigere, si possit absque gravi incommodo, & sit spes fructus; quamvis non expediat id fieri, dum blasphemii sunt in ira, quia magis irritarentur: Tenetur etiam audiens denunciare blasphemias hæreticales Inquisitoribus, vel Ordinario; blasphemias vero simplices judici sive Ecclesiastico, sive Saculari, cum sint mixti fori, ex decretis Pii I., & Julii III.; Quamvis hæc decreta relate ad blasphemias simplices propter desuetudinem non videantur obligare, ut notat Pal.: Blasphemi vero hæreticales intra sex dies a die notitiæ denunciandi sunt sub pœna excommunicationis lata sententiæ impositæ in Edicto Sanctæ Inquisitionis.

### ARTICULUS III.

#### De Tentatione Dei.

*I. Tentatio secundum se alia est Probationis, alia Inductionis. Ad primum genus spectat tentatio Dei, quippe quæ est Probatio alicujus divini Attributi modis indebitis.*

M. 2.

III.



II. *Expressa Dei tentatio habetur, si directe intenditur experimentum de aliqua Dei perfectione. Tacita vero habetur, quando sine tali expressa intentione aliquid ad id ordinatur.*

III. *Tentatio Dei ex genere suo est peccatum lethale; cum gravem irreverentiam erga Deum imponet.*

IV. *In lege veteri praecipiebantur a Deo nonnullae purgationes, itaut miraculis innocentia alicujus detegeretur; At in nova lege prohibentur.*

V. *Tentat Deum, qui miraculum ab eo petit cura necessitatem, aut Dei impulsu; Sicut etiam qui ex curiositate vult experiri opus aliquod supernaturale.*

VI. *Poterit aliquando Tentatio Dei a mortali excusari, si aut desit plena deliberatio, aut desit materia parvitas.*

I. **T**entatio in genere dividitur in tentationem Probationis, & Inductionis. Tentatio probationis est dictum, vel factum ad capiendam experientiam, verbi gratia, ad explorandam alicujus probitatem, scientiam, potentiam, veracitatem, &c. Tentatio inductionis est ipsa provocatio, seu inductio ad malum: Quare primo genere tentationis dicitur Deus tentasse Abraham, Tobiam, Job, & alios Sanctos, ut eorum virtutes manifestaret. Secundo vero genere tentationis tentant nos diabolus, & concupiscentia; unde Jacobi 1. dicitur, *Deus intentator malorum est, ipse autem neminem tentat; Unusquisque vero tentatur a concupiscentia sua.*

Tentatio Dei sumitur juxta primam significationem; unde definitur a D. Th. 2. 2. quaest. 97, quod sit probatio, seu experientia alicujus divini attributi (puta scientiae, potentiae, bonitatis, aut divinae voluntatis) in-

debitis modis. Quare Tentatio Dei est actus contra Religionem, ut docent D. Th., Suar., Bonac.; quia importat irreverentiam contra Deum vel de ipsius perfectionibus experimentum capere indebitis modis, hoc est absque justa causa, relictis mediis a Deo institutis; Ut si imperitus vellet absque justa causa concionari nulla praevia praeparatione, sperans a Deo suggerenda sibi verba ad rem. Aliqui vero cum Azor., Reginad. lib. 2. cap. 34. putant, tentationem Dei opponi virtuti Spei, quia tentans Deum sperat aliquid a Deo modo indebito; non dicitur tamen sperari aliquid modo indebito, quando ex inspiratione, vel impulsu Dei speratur aliquid per media extraordinaria; ut fecit Gedeon Judicum 16., Elias 3. Regum 18., Abraham Genes. 15., atque adeo illi non tentavere Deum, sed ejus se voluntati conformarunt.

II. Dividitur Tentatio Dei in Expressam, & Tacitam, seu Interpretativam. Expressa dicitur, dum aliquid fit ea intentione, ut experientia capiatur de aliqua divina perfectione; Verbi gratia, si quis petat miraculum sine necessitate ad confirmandos articulos fidei; vel si velit se praecipitem agere de turri, ut experiatur, an a Deo adjuvetur. Tacita vero dicitur, quando aliquid fit sine tali expressa intentione capiendi experimentum de perfectionibus divinis; Nihilominus quod fit, vel dicitur, ad nihil aliud ordinatur, quam ad capiendum tale experimentum; Ut si quis velit ad imitationem Christi Domini abstinere ab omni cibo toto tempore quadragesimali; aut si omissis scalis velit e turri descendere, sperans se a Deo incolumem servandum; Vel si praetermissis mediis naturalibus vellet sola oratione bona temporalia obtinere; aut si aegrotus curari vellet nullo adhibito remedio naturali. Verum si aliquando du-



ductis necessitate nil illis remanet, nisi Deum exorare, non est hoc tentare Deum; nam Paralipomenon 2. dicitur: *Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.*

III. Quæritur nunc; An tentatio Dei ex genere suo sit peccatum mortale?

Respondeo affirmative cum communi; Est enim contemptus, & gravis irreverentia erga Deum, vel quia conjungitur cum dubitatione de ejus perfectionibus, & sic continet etiam infidelitatem; vel quia importat indebitam, & præsumptivam divinæ voluntatis investigationem per media ipsius providentiæ repugnantia.

Quare committitur peccatum mortale Tentationis Dei in sequentibus casibus. Primo, quando experimentum conjungitur cum manifesto periculo gravis damni; ut si quis gravi morbo laborans respuat medicinas, sperans a Deo sanitatem; vel quando quis duellum acceptat ad ostendendam suam innocentiam, putans a Deo servandum in signum suæ innocentiae, ut olim erat in usu: Proinde in cap. *Mendam*, & cap. *Consuluisi*, & cap. *Monomachiam* 2. *quest.* 5. prohibentur illæ probationes tunc usitatæ, scilicet ferri candentis, vel ferventis aquæ, vel duelli ad explorandam veritatem aliquam, vel innocentiam alicujus.

IV. Neque dicas, quod Numer. 5. præcipiebatur, mulierem de adulterio suspectam aquis amaris purgari; & quod Deus variis miraculis similes purgationes confirmarit, ut refert Delrio lib. 4. de Magia,

Nam respondetur, in lege veteri id Deum expresse voluisse, & præ-

cepisse; in legem autem nova tale præceptum ceremoniale cessasse: Unde nunc tale experimentum non est licitum. Deinde verum est aliquando Deum confirmasse miraculis similes purgationes, sed id accidit, vel quando ex divino instinctu nonnulli ad id compulsi sunt, vel quia, ut notant Suar., & Sanch., quanvis homines tunc peccarint peccato tentationis Dei, voluit Deus miraculis vel confundere calumniatores, vel favere innocentiae eorum, qui calumniam patiebantur.

V. Secundo, est peccatum mortale tentationis Dei, quando experimentum conjungitur cum scandalo; ut quando quis publice petit miraculum absque necessitate, aut impulsu Dei speciali ad confirmandam fidem.

Tertio, quando fit experimentum ad videndum aliquod opus supernaturale ex curiositate; tunc enim agitur cum Deo tanquam cum curiosorum fautore, & consequenter magna illi irrogatur injuria, ut notant Less., & Suar.

VI. In duobus tamen casibus peccatum tentationis Dei poterit esse veniale. Primo, si non intercedat plena deliberatio; quod habetur in qualibet materia peccaminosa. Secundo, si detur materiæ parvitas, verbi gratia, si quis levi morbo affectus vane speret a Deo sanitatem, relictiis mediis naturalibus: Quod si renuat medicinam, non quia vane sperat a Deo sanitatem, sed quia vult imitari Christum Dominum patientem, aut carnem domare, non dicitur tentare Deum, dummodo probabile mortis periculum non incurrat.



## Q U Æ S T I O VII.

## De Secundo Decalogi Præcepto

*Non assumendi in vanum Dei Nomen .*

**P**rogredimur ad explicandum secundum Decalogi præceptum, quod habetur Exod. 20. his verbis: *Non assumes nomen Dei tui in vanum.* Et sensus est, non jurandum esse usurpando Dei nomen in vanum, hoc est, Primo, pro re inani, futili, & nullius momenti. Secundo, in vanum, hoc est sine necessitate. Tertio, in vanum, hoc est mendaciter: Dicitur etiam in vanum nomen Dei usurpare, qui male vovet; ideo hic de juramento simul, & de voto agendum, ac de eorum contrariis, videlicet de Perjurio, Adjuratione, & Perfidia. Incipientes autem a juramento, inquiremus. Primo, Quid, & quotuplex sit juramentum? Secundo, Quam sint conditiones requisitæ ad jurandum? Tertio, de Materia juramenti. Quarto de juramenti obligatione. Quinto, Quomodo celebriora quædam juramenta interpretanda sint? Sexto, Quomodo tollatur juramenti obligatio? Septimo, de Perjurio, & de assuetu ad jurandum. Demum, de Adjuratione. In quæstione deinde sequenti disputabimus de Voto.

## ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Juramentum?

- I. Juramentum est Divini testimonii invocatio ad fidem faciendam; seu Invocatio Dei in testem. Invocatur autem Deus in testem vel explicitè, vel implicitè; ut quando juratur per Creaturas, quatenus in iis Deus relucet.
- II. Juramentum fieri potest verbo, nutu, facto, scriptura, & mentaliter.
- III. Jurans per falsos Deos vere non jurat.
- IV. Num sint juratoria hæc verba, *Per fidem meam, Per conscientiam meam, Per fidem boni Christiani, Sacerdotis, &c.*
- V. In dubio num formula sit juratoria, quid in foro externo judicandum, & quid in interno?
- VI. Jurans per suam barbam, vestem,

aut alias res viles, in quibus divinitas specialiter non relucet, vere non jurat.

VII. Quid si quis usurpet formulas juratorias, nesciat tamen, quid sit juramentum, ut pueri, rudes, & muliercula? Quomodo Confessarii cum istis se gerere debent?

VIII. Hæc verba, *Coram Deo loquor, Deus videt meam conscientiam, enunciative prolata non sunt juramentum; secus vero prolata invocative.*

IX. Rustici passim dicentes, *Per Deum, Per Corpus Christi, raro jurant, sed vel blasphemant, si adversus Deum indignentur, vel peccant contra charitatem, si adversus homines indignentur.*

X. Jurans, *Per hanc Crucem, nullam signando Crucem, vere non jurat.*

XI. Juramentum aliud *Afferorium, aliud Promissorium, quod vel est*

Ab-



*Absolutum, vel Conditionatum, vel Penale.*

XII. *Per Iuramentum Invocatorium, seu Contestativum Deus invocatur ut testis; Per Execratorium, seu Imprecativum invocatur etiam ut Vindex: Omnia autem iuramenta censentur esse ejusdem speciei.*

XIII. *Iuramentum Comminatorium (puta, Per Deum te occidam) vel reducitur ad Promissorium, vel ad Execratorium.*

**Q**Uæritur primo; Quid sit Iuramentum?

Respondeo ex D. Th. 2. 2. quæst. 89. cap. 1. Iuramentum derivari a jure, quia instar juris, ac legis habendum est; Diciturque etiam Sacramentum, eo quod sit actus Religionis, & rei sacræ attestatio; Quare definitur, quod sit *Divini testimonii invocatio ad fidem faciendam*; Et brevius, quod sit *Invocatio Dei in testem*: Quare duo ad iuramentum requiruntur, & quod Deus invocetur, & quod invocetur in testem. Aliquando tamen Deus explicite invocatur, ut quando juratur per ipsum creatorem; Verbi gratia quando dicitur, Testis est mihi Deus, Vidit Dominus, Facio Deum testem, Sic me Deus adjuvet, Invoco Trinitatem, Per Christum, &c.; Aliquando invocatur implicite, ut quando juratur per creaturas, quatenus in ipsis relucet divinitas, dicendo, verbi gratia, Per Sanctos, Per Evangelia, Per cælum, &c.: Nec differt specie hoc duplex genus iuramenti, ut communiter docent Doctores, quia per utramque idem divinum testimonium invocatur.

II. Præterea Iuramentum fieri potest non solum verbo, sed etiam nutu, ut si tibi dicatur, An juras per Deum? & tu annuas; Necnon factò, ut si alicui deferatur liber Evangeliorum ad jurandum, & is illum tangat; Vel si

subscribat scripturæ jusjurandum continenti; Ac demum sola mente; Unde iuramentum promissorium sola mente factum obligat ex virtute Religionis, quamvis non obliget ex virtute justitiæ, nisi illud per signum externum constet parti acceptanti, juxta dicenda in de contractibus.

III. Ex dictis sequitur primo, iuramentum per falsos Deos vere non jurare; quia non invocatur verum Deum in testem; Quare solum ex conscientia erronea poterit obligari vi talis iuramenti, quatenus putat se vere jurasse; quod si talem errorem deponat, nullatenus tenetur vi talis iuramenti; nisi forte nomine Jovis, verbi gratia, voluisset verum Deum insipienter invocare.

Sequitur secundo, Jurantem, Per hæc Evangelia, si putet illum librum esse Evangeliorum, cum tamen non sit, vere obligari vi iuramenti; quia vere intendit jurare per Evangelia.

IV. Sequitur tertio, Jurantem, Per fidem suam, fide boni Christiani, aut Sacerdotis, per conscientiam suam, in Veritate, &c., si intendat per ea verba jurare, hoc est Deum in testem vocare, verum iuramentum efficiere, ut docet Sanch. lib. 3. cap. 2.; Sicut etiam si per fidem intelligat fidem catholicam. Quod si is intendat solum propriam fidem, & conscientiam, vel veritatem humanam invocare in testem, tunc profecto non juravit: Et sane Bonac. cum Sanch., Lessi. putat hujusmodi formulas non adhiberi ad jurandum.

V. In dubio tamen, an adhibueris ad jurandum quæcumque verba protuleris; sicut etiam in dubio, an habueris animum te obligandi, & in dubio an tua verba invocationem Dei (quæ est de essentia iuramenti) saltem tacite contineant, in foro externo standum pro communi verborum acceptance; in foro interno judicari potest te



te non jurasse, juxta probabilem sententiam: Sicut in dubio similis voti censendum est te non vovisse, ut probabiliter putat Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. *Votum*, Caram., & De Leon. contra Sanch.

VI. Sequitur quarto, jurantem, per suam barbam, per equum, per vestem, &c., nec jurare; quia non censetur invocari Deus invocando tales viles creaturas; Contra vero si invocentur creaturae, in quibus specialiter relucet divinitas; ut quando per Crucem, per reliquias, per lucem, per solem, per animam, per vitam, per salutem, per imagines juratur. Quod si adducatur in testem creatura aliqua, expresso nomine Dei in obliquo, ut Per arem Dei, per ignem Dei, &c., semper habetur juramentum. Quare tribus modis adduci potest creatura in testem, Primo, inquantum illa est testis infallibilis veritatis; & sic est blasphemia. Secundo, inquantum relucet in illa specialiter Deus; & sic est juramentum. Tertio, secundum dignitatem, quam habet in se, non vero per ordinem ad Deum; ut per meam conscientiam, fide boni Sacerdotis, & sic non est juramentum.

VII. Sequitur quinto, quod si quis usurpando formulas juratorias velit jurare, nesciat tamen, quod jurare sit Deum in testem invocare, ut communiter nesciunt pueri, & mulierculae, atque adeo id non intendens, vere non jurat. Ita Tambur. hic: Et ratio est, quia cum talis voluntas jurandi non dirigatur a praecognitione, qua sciatur quid sit juramentum, vere, & efficaciter juratoria esse non potest; Quamvis si velit jurare juxta modum ordinarium, quo alii jurant, implicite habet intentionem invocandi Deum in testem, & sic vere jurat, quando formulae sunt juratoriae: Quando tamen formulae non sunt juratoriae, si quis intendat facere, quod alii fa-

ciunt per similes formulas, neque jurat, ut patet.

Sequitur sexto, aptam esse pro Confessariis regulam allatam a Tambur., quod quando penitentes fatentur se cum mendacio jurasse per animam, per conscientiam, per coelum, non sint statim de perjurio damnandi, sed si rudes sint, rogandi, num per ea verba intenderint vere jurare, & Deum invocare, vel se juxta consuetudinem graviter obligare, an vero ea verba protulerint materialiter, aut non intendendo positive Deum implorare ut testem, aut praescindendo ab imploratione, vel non imploratione Dei; Si enim positive noluerint implorare Deum, peccarunt quidem jurando sine animo jurandi; per hoc autem non peccarunt peccato perjurii, & fortasse aliquando sive ex inadvertentia, sive ex alio capite solum venialiter; Si vero praescindebant a tali invocatione, certe non jurarunt, nec pejerarunt. Verum si poenitentes non sint rudes, & adhibeant juramentum, quo clare Deus invocatur, ut Per Deum, per Beatam Virginem, saltem in consilio cognoscendo invocationem Dei, tunc vere jurant; Quamvis nonnulli apprehendant tantum in his juramentis aliquam rationem mali praescindentem a peccato mortali, & veniali; in quo casu probabile est tantum veniale committi.

VIII. Sequitur septimo, quod haec verba, Coram Deo loquor, Deus scit, Deus videt meam conscientiam, si proferantur enunciative, non sint juramenta, ut patet; At invocative prolata sunt juramenta; quia per illa invocatur Deus ut testis. Notat etiam Bonac. ex Sanch., quod tales formulae prolatae a viris jurare solitis praesumenda sunt juramenta, nisi aliter constet de animo jurantis; quia verba praesumuntur prolata juxta consuetudinem: Si vero proferantur in judicio, aut



aut in causa damnum tertii respiciente, intelligenda sunt juxta communem audientium sensum; quia jurans sic tenebatur illis uti, ne alios deciperet, vel damnificaret.

IX. Sequitur octavo, quod dicens ex ira, ut solent rustici, Per Deum, Per Corpus Christi, &c., non intendens Deum in testem adducere, vel aliquid confirmare, vere non jurat; nam potius hic intendit malum imprecari, vel iram, aut tedium patefacere, quam jurare.

Diximus autem articulo secundo quaestionis antecedentis ex Laym., in his casibus committi peccatum blasphemiae, si proferantur haec verba ex indignatione contra Deum; secus vero si ex indignatione contra creaturas; Quod si per modum juramenti proferantur, erunt peccatum Irreligiositatis contra secundum praecipuum Decalogi, non tamen erunt blasphemiae.

X. Sequitur nono ex Bonac., & Suar. tom. 2. de Relig. lib. 1. cap. 2., quod si quis dicat, Per hanc Crucem, & consulto nullam faciat Crucem, non jurat; quia cum nullam crucem faciat, nullam crucem adducit in testem, nec habet proinde animum jurandi, sed decipiendi.

XI. Queritur secundo; Quotuplex sit Juramentum?

Respondeo, praeter vulgares divisiones in simplex, & solemne, (quod scilicet fit coram testibus, & notario cum aliqua juris forma, & tactu Evangeliorum) in Judiciale, & Extrajudiciale, in Absolutum, & Conditionatum, dividi primo in Assertorium, & Promissorium. Assertorium est, cum Deus assumitur in testem alicujus veritatis assertae, sive de praeterito, sive de praesenti: Promissorium est, per quod juramus aliquid nos facturos, quod vel absolutum est, ut Juro me iturum Romam, vel conditionatum, verbi gratia, Si convalescam;

*Pars II.*

vel poenale, verbi gratia, Sub poena solvendi centum, nisi ivero.

XII. Dividitur secundo in Invocatorium, seu Contestativum, quod scilicet fit per simplicem contestationem Dei, ut Juro per Deum; & Execratorium, seu Imprecatorium, per quod nosmetipsos, vel aliquid nobis carum divinae ultioni subicimus, si non sit verum, quod asserimus; Verbi gratia, Deus annihilet me, vel filios meos, si hoc non est ita. Quare per Invocatorium Deus solum invocatur ut testis; per Execratorium Deus invocatur etiam ut vindex. Proinde dubium est apud Doctores, Num quando falso sic juratur, praeter peccatum perjurii contra Religionem, sit conjuncta alia species peccati contra charitatem sui, vel proximi?

Communius cum Suar. contra Bonac., & Less. negant; quia non solet quis amico suo, vel sibi ea ex animo imprecari, sed potius cogitat Deum ea non esse facturum. Quare juramentum quodcumque, quovis modo fiat, communiter censetur esse ejusdem speciei; unde in confessione non est opus exprimere, num juramentum fuerit assertorium, num promissorium, num execratorium, ut communiter docent apud eundem Bonac. quaest. 1. punct. 2.

XIII. Demum datur juramentum comminatorium, ut si quis dicat, Per Deum te puniam, te occidam, sed hoc a nonnullis reducitur ad promissorium cum Busemb.; ab aliis cum Trull. ad execratorium.

## ARTICULUS II.

De Conditionibus requisitis ad licite jurandum.

*I. Tres sunt juramenti liciti comites, Veritas, Justitia, & Judicium; jurari enim nequit, nisi de re, quae satis probabiliter putatur vera; i-*

N *tem*



- tem de re honesta, & ex necessitate. Si quis juret se venialiter peccaturum, num peccet mortaliter?
- II. Gravius peccatum est jurare se mentiturum sine animo ponendi mendacium, quam jurare cum tali animo.
- III. Pejerat, qui rem dubiam asserit cum juramento.
- IV. Ad licite jurandum privatim satis est certitudo moralis de rei veritate; at ad jurandum in judicio requiritur notitia de visu, & praesentia.
- V. Quamvis jurans se positurum rem levem graviter peccet, si tunc non habeat animum illam ponendi, non peccat tamen graviter, si deinde illam non ponat.
- VI. Mater, qua juramento comminatorio jurat se punituram filium, peccat graviter, si non puniat, quando punitio est justa, & gravis.
- VII. Non dicitur esse universim juramentum falsum, sed temerarium, quando quis jurat se positurum rem illicitam, puta homicidium: Sicut etiam quando quis jurat se, verbi gratia, patrassse homicidium, ordinando hoc peccatum jactantia ad alios scandalizandos.
- VIII. Si Sortes puset aliquid esse verum, quod tu scis esse falsum, non poteris inducere illum ad jurandum hoc, quod materialiter est falsum.

I. **T**Res condiciones requiruntur, ut liceat jurare, Veritas, Justitia, & Judicium. Dicitur enim Jerem. 4. Jurabis, vivit Dominus, in Justitia, in Judicio, in Veritate. Veritas consistit in hoc, quod jurans non levi, sed valde probabili conjectura pariente certitudinem aliquam moralem arbitretur verum esse, quod jurat. Justitia consistit in hoc, quod non fiat de re illicita; peccas enim graviter, si jures, verbi gratia, te for-

nicaturum, ex defectu justitiae in juramento; Si tamen jures te paraturum peccatum veniale, aut te non servaturum consilia Evangelii, peccatum erit leve, juxta probabilem sententiam Suar., Valent., Sanch., & aliorum apud Bonac., eo quod non fiat gravis irreverentia Deo vocando illum in testem in tali casu: Quamvis Less. dicit lib. 2. cap. 42. dub. 4. communem sententiam esse, quod sit mortale. Judicium consistit in hoc, quod fiat cum necessitate; unde si quis juret in re levi, qua non indiget confirmari juramento, peccabit ex defectu judicii; quamvis tale peccatum sit solum veniale, nisi adsit contemptus, aut periculum pejerandi.

II. Ex defectu tamen veritatis semper juramentum est mortale, sive res sit levis, sive gravis, tam in juramento assertorio, quam in promissorio, si scilicet non habeas animum ponendi, quod spondes; unde si jures te mentiturum, non habens animum mentiendo, procul dubio erit mortale; Si vero habens animum mentiendo adducas Deum in testem talis veritatis, probabile est, quod sit solum veniale; quia non adducitur Deus ut approbator mendacii, sed solum ut testificans veritatem talis tui propositi mentiendo. Ex quo sequitur, minus malum esse jurare se commissurum veniale animo illud exequendi, quam animo non exequendi, ut notat Sanch. hic.

III. Queritur nunc primo; An peccet etiam mortaliter, qui rem dubiam jurat?

Respondeo affirmative; Eodemque modo pejerat, tam qui jurando asserit tanquam certam rem dubiam, quam qui tanquam dubiam asserit rem certam: Pejerat proinde qui jurat se facturum aliquid, quod dubitat, an sit facturus; In confessione tamen factus est dicere, Toties falsum juravi, quia



quia omnia hæc peccata ejusdem sunt rationis.

IV. Dubium tamen est, quamnam diligentiam adhibere debeat jurans ad cognoscendam rei veritatem, ne sit perjurus?

Respondeo, diversam adhibendam esse diligentiam pro diversitate materiæ, ut notat Bonac. ex Sanch.: Profecto ad quodvis juramentum requiritur certitudo moralis veritatis rei; nam licet, verbi gratia, probabile sit, Sacerdotem solitum quotidie celebrare hoc mane celebrasse, non poteris tamen id jurare, nisi habeas certitudinem moralem, verbi gratia, ex relatione alicujus fide digni. Verum licet ad juramentum privatum satis sit certitudo moralis ista, verbi gratia, quod rem audieris a persona fide digna; at ad jurandum in judicio rem ita esse, id non est satis; In judicio enim jurari tantum potest, quod novimus de visu, & præsentia; ut præcipit Callixtus. Papa in cap. *Testes 3., quest. 9.*: Et ratio est, quia testis de auditu in judicio non probat semiplene, sicut testis de visu; Si tamen in judicio hoc ipsum juret, scilicet rem accepisse a viro fide digno, non peccat.

V. Quæritur secundo; Quodnam peccatum committitur ab eo, qui non adimplet, quod jurans promisit?

Respondeo, si promisit aliquid grave, verbi gratia se ingressurum in Religionem, peccare mortaliter id non ponendo: Si vero promisit rem levem, puta recitaturum, Ave, communiter Doctores apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 7. docent contra Cajet., & Less. cap. 42. dub. 5. esse veniale: Sicut enim violatio voti in re parva est veniale, ita violatio juramenti promissorii; nam per juramentum Deus in testem adducitur solum veritatis præsentis, seu quod detur de facto animus ponendi, quod promittimus; non vero in testem veritatis futurae,

seu quod ponetur, quod promittimus; unde qui non adimplet juramentum, non est mendax, sed infidelis; non secus ac qui non adimplet votum; & ideo tam in violatione voti, quam in violatione juramenti promissorii in re parva levis irreverentia irrogatur Deo.

VI. In juramento tamen comminatorio, quando, verbi gratia, mater jurat se punituram filium, si id faciat ex passione, & vindicta inordinata, certe non tenetur punire; quia juramentum non obligat ad faciendum malum, cum non sit vinculum iniquitatis: Si vero punitio sit justa, erit peccatum grave, si ea non ponatur, quando res est gravis, leve vero, quando res est levis, dummodo tamen causa punitiois, ac circumstantiæ, ut diximus, maneant invariata; nam si punitio erat justa, quando cum juramento fuit promissa, & deinde posita emendatione, & poenitentia delinquentis, aut intercessione facta ab amico, punitio non est requisita a culpa, certe mater ad illam non tenetur; quia juramentum, sicut & votum, habet semper tacitam illam conditionem, *Nisi causa varietur*: Demum foemina, quæ jurat se fracturam brachia puero, tenetur solum moderate illum castigare, quia illa locutio est hyperbolica.

VII. Quæritur tertio; Quodnam peccatum sit juramentum adhibere tanquam medium ad malum; Verbi gratia, si quis juret se habere animum fornicandi; vel si quis juret Petrum esse adulterum, adhibendo juramentum, ut Petrus occultus adulter infametur?

Respondeo, peccatum hoc non esse proprie, & stricte perjurium, quia supponitur jurari verum, sed est peccatum grave ex defectu justitiæ in juramento requisitæ; eo quod gravis irreverentia fit adducere Deum ad confirmandam iniquam actionem; Si vero materia esset levis, peccatum esset veniale, & tale juramentum vocatur a Doctoribus



Temerarium, quia temere prolatum. Qui vero ob jactantiam, & ut credatur, jurat se commississe, verbi gratia, homicidium, neque perjurium committeret, neque juramentum temerarium, eo quod non assumeret juramentum tanquam medium ad confirmandam iniquam actionem, nec invocaret Deum ut testem peccati, sed solum ut testem veritatis; quare solum committeret peccatum mortale jactantiae, nisi talem hanc jactantiam ordinaret ad alios scandalizandos; sic enim juramentum esset temerarium. Ita Tambur. ex Pal., & Suar.

VIII. Quæritur ultimo; An sit peccatum inducere aliquem ad jurandum falsum, quod is credit esse verum; Verbi gratia, si quis putet te esse Romanum, cum sis Neapolitanus, poteritne illum inducere ad jurandum, quod tu sis Romanus?

Respondeo, id affirmare Hurt., & Dian. part. 5. tract. 7. resol. 14. cum Tambur. cap. 1. §. ult. post fuse discussam hanc questionem. Verum Lugo aperte negat, cum Suario, Azorio, Pontio apud eundem Dianam. Ratio est, quia sicut non possumus inducere infantem ad blasphemandum, ebrium ad fornicandum, nec servum ad laborandum die festo, quem ille putat esse feriatum; ita in casu nostro non possumus inducere ignarum ad pejerandum, seu ad jurandum, quod tantum materialiter falsum est.

### ARTICULUS III.

#### De Materia Juramenti.

- I. Juramenti promissorii materia debet esse res licita, possibilis, honesta, & non indifferens, nec impeditiva majoris boni.
- II. Si jures in obsequium Dei te ducturum Uxorem, ad id non teneris; Secus vero si id jures in gratiam

famini, quam vis ducere.

III. Qui rem bonam, puta jejuniis, jurat ob finem malum, ad illam non tenetur; Secus vero si illam jurat ob finem bonum, quamvis hic per peccatum assequendus sit.

IV. Secunda sponsalia jurata, etiam dissolutis prioribus sponsalibus, non obligant.

V. Promissio facta pro turpi facinore patrando, num eo patrato obliget?

VI. Promissio prodiga num obliget ad totum? num ad partem, in qua non sit prodigalitas? Num simpliciter non obliget?

VII. Juramentum non obligat ad ponendum, quod lege etiam civili vetatur; obligat tamen ad id, quod lege civili non prohibetur, sed permittitur in favorem jurantis.

VIII. Juramentum de non acceptando Episcopatum, si fiat ex affectu humilitatis, validum est; secus vero si fiat ad declinandam curam Episcopales.

I. **C**ertum est, materiam juramenti promissorii debere esse rem licitam, possibilem, honestam, & non impeditivam majoris boni. Quare juramentum de re illicita est illicitum, & non obligatorium; Juramentum vero de re impossibili cognita ut tali est temerarium, & graviter peccaminosum; quia non stat cum animo exequendi, quod juratur. Juramentum de re indifferenti neque est obligatorium; Verbi gratia, de non fricando barbam, de non transeundo per talem viam, nullo adhibito fine honesto, vel de non ludendo in tali domo, vel cum tali persona, eo quod infeliciter luseris. Ratio est, quia Deus non obligat ad aliquid vanum, & otiosum; nisi tamen res indifferens fiat bona ex aliqua circumstantia, vel sit in favorem Tertii.

II. Neque demum est obligatorium jura-



juramentum faciendi, quod est impeditivum majoris boni, nisi sit factum in gratiam alterius: Verbi gratia, si jures inire matrimonium, quod est impeditivum status perfectioris, videlicet calibatus, non teneris: Si vero promittas alicui scemina matrimonium, & jures, teneris; Et disparitas est, quia promissio facta homini respicit, quod est homini gratius, licet sit impeditivum majoris boni; Promissio vero facta Deo respicit, quod est gratius Deo; Quod autem est impeditivum majoris boni, non est gratius Deo; & ideo ad id non obligat juramentum.

III. Sequitur ex dictis primo, invalidum esse juramentum, si Amasius, & Amasia jurent se turpiter alios non cognituros; cum enim hoc fiat, ut magis foveant inter se amorem, juramentum est de peccato mortali; atque adeo de re illicita: Et universim quoties juratur, aut vovetur aliquid ob finem malum, qui sit finis rei promissæ, juramentum, & votum sunt irrita, ut late explicat Tambur. lib. 3. cap. 15. §. 2.: Quare si jures, aut voveas jejunium, vel eleemosynam, ut duellum acceptetur, vel ut possis uferas accipere, non teneris jejunare, &c. Contra vero si jures, aut voveas jejunium, ut ex duello incolumis evadas, vel ut ex concubina filium reportes, teneris ad jejunium; quia finis intentus non est peccatum, quamvis per peccatum assequendus sit.

IV. Sequitur secundo, juramentum de facto alieno, puta quod filius ingressurus sit Religionem, esse illicitum; nisi forte intendas, quod quantum est in te facturus sis, ut filius talem statum libere amplectatur. Ratio est, quia non est materia tibi possibilis electio libera status faciendi ab alio.

Sequitur tertio, illicitam, & invalidam esse promissionem juratam factam contra priorem promissionem licitam; Verbi gratia, secunda sponsalia jurata

facta contra priora sponsalia non obligant; cum sint de re illicita, idest contra jus prioris sponsæ. Immo si priora sponsalia aliqua ratione dissolvantur, adhuc secunda remanent invalida, juxta regulam illam juris in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod a principio non subsistit.*

V. Sequitur quarto, eum, qui juravit tradere meretrici, aut sicario pro turpi facinore pecuniam, ante paratum facinus teneri contractum rescindere, ne alter ad peccatum incitetur; eo tamen secuto teneri solvere, quod promisit; quia promissio solvendi post culpam est de re licita: Ita communius contra nonnullos apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 27.

VI. Sequitur quinto, promissionem prodigam juratam non obligare quoad eam partem, in qua est prodigalitas, quia non est de re licita. Ita Sot. contra Cajet. apud Dian. loc. cit. Probabile tamen putat Tambur. cap. 3. §. 5. talem promissionem ad nihil obligare, quia facta est per modum unius, & indivisibiliter; unde cum tota materia sit inhonesta, promissio simpliciter non obligat. Sanch. vero lib. 3. disp. 9. num. 28. contra communio-rem putat, promissionem prodigam obligare ad integram solutionem; quia quamvis peccarit, saltem venialiter, qui prodige promisit, at non peccat solvendo, cum in tali solutione adsit justitia, eo quod sit solutio debiti jam contracti.

VII. Sequitur sexto, non solum juramentum factum contra legem naturalem, aut divinam, aut canonicam non obligare, cum sit de re illicita; sed nec obligare juramentum contra legem civilem, quæ spectat bonum publicum, & commune; verbi gratia, juramentum factum a Clerico de renunciando privilegio fori, vel juramentum de extrahendis frugibus, equis, armis contra leges id prohibentes



tes propter commune bonum.

Utrum autem obliget iuramentum contra legem civilem, quae spectat primario ad bonum privatum ipsius jurantis, & non vergit in praedictum tertii? Afirmat universim Sanch., quia quilibet potest cedere juri suo; Propterea quamvis lex civilis irritet donationes inter conjuges, & contractum minoris sine Curatore, nec non promissionem, qua foemina obligat se non regressuram amplius ad bona paterna; at iuramentum contra has leges obligat; Unde fit quod donatio inter conjuges jure civili irrita, iuramento firmata sit valida.

Verum Tambur. cap. 3. §. 5. ex Pal. distinguit; Nam vel tales leges aliquid prohibent, aut praecipunt; vel solum permittunt: Contra leges prohibentes, aut praecipientes, docet iuramentum non obligare, contra permittentes vero obligare: Verbi gratia, prohibet lex civilis, ne fundus dotalis a muliere alienetur, & permittit, quod fundus alienatus non repetatur, ideo si mulier juret alienare, non tenetur; si juret vero non repetere fundum alienatum, tenetur. Eodem modo lex civilis prohibet, ne ludens pecunia credita solvat, quod amittit: Quare si quis juret solvere, non tenetur; Si vero solvit, & juret non repetere, tenetur; quia id lex permittit. Jurans autem solvere ufuras, aut pecuniam latroni tenetur; quia leges id permittunt solventi, & solum prohibent usurario, & latroni.

VIII. Sequitur ultimo, iuramentum de non acceptando Episcopatu, factum vel ex consideratione propria insufficientia, vel ex affectu humilitatis, esse validum: Contra si fiat ex fuga incommodi, quod debet subire Episcopus in pascendo grege. Ratio est, quia in hoc secundo casu iuramentum esset de re impeditiva majoris boni, ex D. Th. 2. 2. quaest. 185. art. 1.; In primo vero casu

non sic; & ideo Professores Societatis tale votum emittunt; nec dici potest esse invalidum, quando tale institutum a Pontificibus approbatum est, & illud impugnantem excommunicantur.

#### ARTICULUS IV.

##### De Juramenti Obligatione.

- I. Qui jurat sine animo jurandi, secundum se peccat graviter: sicut etiam qui jurat sine intentione se obligandi.
- II. Quando non possit sine mendacio, & perjurio quis jurare, utendo a quoque cautione, aut restrictione non pure mentali, sive locutione materiali?
- III. Iuramentum, sicut & votum, non obligat, si dolus, aut error dans illi causam, versetur circa substantiam rei, aut circa circumstantias notabiles, quae in ipsam rei substantiam redundent; secus vero si versetur circa circumstantias parvi ponderis.
- IV. Est pariter invalidum iuramentum, & votum, si error dans causam contractui versetur circa causam finalem, (quod verum est, etiam si error sit concomitans,) non tamen si error incidat in contractum, & versetur circa causam impulsivam.
- V. Error tamen circa qualitates magni ponderis, & circa causam finalem non invalidat Professionem Religiosam; sicut nec matrimonium, aut susceptionem Ordinis Sacri, nisi exprimitur.
- VI. Qui juravit, vel vovit, & dubitat an habuerit animum se obligandi, probabiliter obligatur. Qui tamen juravit se non lusurum, praescindendo a lusu moderato, vel immoderato, poterit lusu moderato ludere.
- VII. Iuramentum metu extortum obligat pro foro interno, non pro externo. Et nisi a Praelato ex justa causa relaxetur, poni debet, quantumvis arduum sit, quod juratum est, si circa



culpam poni potest.

VIII. *Matrimonium, & votum extorta metu gravi injusto ideo sunt irrita, quia jure Ecclesiastico irritantur; juramentum tamen hujusmodi ab Ecclesia non irritatur.*

I. **Q**uæritur primo; An obliget juramentum factum animo ficto? Respondeo, & dico primo, juramentum sine animo jurandi, si intendat rem falsam confirmare juramento, peccare graviter, ut notat Bonac. quest. 1. punct. 7., & Trull. lib. 1. cap. 1. dub. 10. ex Lessi. Ratio est, quia externo actu adducit Deum in testem falsi, quod est gravis irreverentia; non secus ac exterius sacrificare Idolo. Et eodem modo peccat graviter, qui jurat sine animo jurandi, quando rationabiliter exigitur juramentum; quia intercedit gravis deceptio contraria fini juramenti. Si vero jurans non intendat referre juramentum ad rem illam falsam, sed velit vel æquivocare, vel loqui materialiter, non erit mortale, quando non exigitur juramentum rationabiliter, sed per injuriam extorquetur, & falsitas est omnino occulta, ut docent nonnulli apud Lessi. cap. 42. dub. 3.

Dico secundo, jurantem sine animo jurandi, vel cum expressa intentione non se obligandi peccare quidem graviter, ut diximus, quia deest veritas præfens; jurat enim se facturum, quod non intendit facere: Verum non obligatur vi juramenti; deficiente enim intentione jurandi, non habetur juramentum, & deficiente intentione se obligandi, nec obligatur; quia Deus non acceptat juramentum, nisi secundum hominis intentionem. Ita communiter apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 33. Cogitur tamen iste in foro externo juramentum servare, & tenetur etiam in conscientia, si adsit scandalum, aut si intercedat damnum tertii.

Ratio est, quia si adsit scandalum, tenemur illud vitare, & si interveniat damnum tertii, tenemur illud refarcire; eo quod per talem fictionem delinquatur contra justitiam.

Ex dictis sequitur, quod promissio liberalis jurata ficte, secluso scandalo, aut damno, non pariat obligationem executionis, neque ex capite Religionis, quia non interfuit juramentum; neque ex virtute justitiæ, quia promissio ista ficta non peperit ullum damnum proximo, quamvis afferat cessationem lucri: Contra vero si quis ficte promisit cum juramento matrimonium, quia talis contractus est onerosus, tenetur uterque ex justitia ponere verum consensum, atque adeo decipiens tenetur ad matrimonium, ut dicemus in de sponsalibus cum Vasq. disp. 6. n. 36., Pontio, Ledesma apud Sanch. lib. 1. disp. 10.; Etenim in omnibus contractibus onerosis, ubi alter ex sua parte implevit, tenetur alter implere, quamvis ficte contraxerit, eo quod teneatur ex justitia vere contrahere. Quare cum mulier jam impleverit tradendo jus ad corpus, tenetur fictus promissor implere eam ducendo. Sanch. loco laudato n. 26. speculative loquendo putat probabilius esse, quod secluso damno non teneatur fictus promissor matrimonii illud implere. At disp. 11. n. 3. docet, semper ex hac ficta promissione sequi notabile damnum alteri vere promittenti, ac proinde in praxi ad matrimonium obligari.

II. Quæritur secundo; An possimus jurando uti æquivocatione, vel restrictione mentali?

Respondeo, damnatam esse ab Innoc. XI. propos. 26., ex qua sequitur, jurantem cum restrictione pure mentali mentiri, & esse perjurum. Quamvis autem non liceat uti restrictione pure mentali, possumus tamen aliquando uti licite æquivocatione in ju-



juramento, aut restrictione non pure mentali, prout explicavimus in Trutina exponendo hanc thesim proscriptam; quando scilicet adest iusta causa: Verbi gratia, quando juramento promittimus aliquid latroni; vel quando quis a suo iudice non interrogatur iudice; aut quando habet iustam causam non ferendi testimonium in iudicio, vel quia timet sibi grave malum, vel quia crimen est occultum; si tunc cum juramento neget tale crimen, non mentitur, nec est perjurus, quia respondet ad mentem interrogantis, juxta explicata loco laudato, & ita respondendo non jurat falsum: Eodem modo qui obiter pertransit e loco peste infecto, itaut constet nullum omnino esse periculum, quod pestem contraxerit, poterit ex Tolet., Bonac., & aliis apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 30. cum juramento negare, quod e tali loco (idest peste infecto) veniat, quia respondet ad debitam intentionem interrogantis; Sicuti si habeas penes te centum aureos Titii, & alter petat a te mutuos centum, sine mendacio dicis, Te non habere nummos, quia cum non sint tui illi, quos habes, bene respondes ad mentem interrogantis. Sic ex Tambur. lib. 3. cap. 4. cum communi Doctorum excusatur, qui cum juramento negat, se commississe homicidium, quod sine culpa commisit; necnon qui negat adulterium, quod commisit occulte; sic enim jurare cum æquivocatione non est pejerare, nec uti restrictione pure mentali, sed ad mentem boni, & iusti iudicis respondere. Pariter Clericus interrogatus in porta Civitatis, num ferat secum aliquid spectans ad gabelam, potest cum juramento negare; cum non teneatur gabellam solvere, Sic Confessarius interrogatus, an audierit peccatum in confessione, potest cum juramento negare, & iterum interrogatus, an in tali responsione

utatur æquivocatione; potest etiam negare; quia in tali casu vel respondet ad mentem debitam interrogantis, negando se habere scientiam de tali re communicabilem; vel loquitur tantum materialiter. Sic qui aliquid abscondit ad sui sustentationem, interrogatus a iudice, potest cum juramento negare, quod aliquid absconderit; Et pœnitens temere rogatus, an tale peccatum confessus sit, potest negare, ut notat Henr. lib. 6. de Pœnit. cap. 19. Sicut etiam adultera, si a marito rogetur, an adulteraverit, ex Navar., & Laym. Similiter si pauper excusetur a solvendo debito propter paupertatem, & a iudice iniquo prematur ad solutionem, interrogatus a tali iudice, potest jurare se nihil debere, nec pecuniam a creditore accepisse, quia respondet ad mentem debitam interrogantis, dum dicit se non accepisse pecuniam, ita scilicet ut statim debeat solvere. Ita Sanch. lib. 3. cap. 6. num. 32. Et qui fiste matrimonium promisit, potest interrogatus a iudice negare, quod promiserit. Sicut etiam qui reperto cadavere interrogatur, an gladius ibi inventus sit suus, vel an illac transferret, poterit negare, si ea petantur tanquam indicia homicidii, quod vere non commisit, ut notat Less. lib. 2. cap. 31. num. 14.

Admittit etiam Sanch. loc. cit., Bonac., Sylvest., & alii apud Trull. dub. 15. num. 12., & Dian. part. 2. tract. 6. resol. 30. quod si quis petat a te pecuniam mutuam, aut librum, potes cum juramento negare, quod habeas, si scilicet non potes commode mutuare, quia sic respondes ad mentem debitam petentis.

Rogabis, mortaliterne, an venialiter peccet, qui joco utitur restrictione non pure mentali, vel æquivocatione jurando sine necessitate; Verbi gratia, qui dicit Pontificem fuisse suspensum, intelligendo ejus imaginem,

Re-



Respondeo, Armil., Sayr., Navar., Tolet., & alios apud Bonac. putare, quod peccet mortaliter, qui jurat in re falsa. Mihi tamen videtur distinguendum; nam si utatur restrictione pure mentali, peccat mortaliter, quia vere mentitur, & est perjurus, juxta thesim damnatam ab Innoc. XI.; Si vero utatur æquivocatione, aut restrictione non pure mentali, quatenus ex circumstantiis colligi facile potest, quod non sit sermo de persona, sed de imagine Pontificis; cum non mentiat, nec juret falsum, dicendum, quod solum venialiter peccet, si non temere, sed ex aliqua causa id fiat.

III. Quæritur tertio, An juramentum, vel votum dolo, aut errore emissum obliget?

Respondeo, recolendum esse, quod dolus, & error alius est in substantia rei; alius in qualitatibus: Alius dat causam contractui, seu versatur circa causam finalem, quo scilicet deprehenso contractus, & juramentum secundum prudentem æstimationem non fieret; Alius incidit in contractum, seu versatur circa causam impulsivam, quo scilicet deprehenso adhuc fieret contractus, & juramentum, licet diversimode. His positis

Dico primo, si dolus, aut error sit circa substantiam rei, verbi gratia, si quis juret se daturum rem aliquam, quam putat vitream, & reperit esse gemmeam, juramentum non obligat, quia scilicet deficit consensus, seu intentio jurandi; nihil enim est magis contrarium consensui, quam talis error: Sic qui vovet ingredi Religionem, ignorans illam esse perpetuam, nulliter vovet, quia talis error pertinet ad substantiam rei.

Dico secundo: Est pariter nullum juramentum, & votum, quoties error est circa qualitates, seu circumstantias, & accidentia, quæ sint tanti ponderis, ut in ipsum voti objectum, & substan-

*Part II.*

tiam videantur redundare. Ratio est, quia talis error videtur potius esse circa substantiam, quam circa circumstantias: Exempli gratia, si quis voveret peregrinationem ad loca Sancta, putans quod ea non longe distent; si deinde deprehendat ea longissime distare, non tenetur tali voto: Contra vero si circumstantiæ sint parvi ponderis, votum est validum; verbi gratia, si voveas dare elemosynam Titio, quem putas Sacerdotem, cum tamen non sit.

IV. Dico tertio, est etiam invalidum juramentum, & votum, si error det causam contractui, seu si versetur circa causam finalem; ut si quis juret se empturum domum, quam putat aptam ad habitandum, & deinde comperiat illam esse in fundamentis vitiosam; Sic qui juravit stare contractui venditionis, & postea deprehendit se notabiliter læsum in defectu pretii, juramentum non obligat, & potest æqualitatem pretii sibi procurare; juramentum enim factum fuit cum errore circa causam finalem, ideo enim juravit, quia putavit contractum fuisse justum. Idque verum est ex Suar., Sanch., Bonac. disp. 4. quæst. 1. punct. 8. contra Trull. cap. 1. dub. 2., etiam si talis error sit concomitans, seu etiam si verum esset, quod deprehenso tali errore adhuc jurasset; etenim consensus ille conditionatus non ponit obligationem absolutam, ut communiter dicunt Doctores in simili de Matrimonio; si enim error sit circa substantiam, verbi gratia contrahendo cum Lia, quam puto Rachelem, matrimonium est invalidum; etiam si verum sit, quod si cognoscerem illam esse Liam, adhuc contraherem.

Ubi notandum, quod non solum juramentum, & votum, sed etiam omnes contractus (excepto matrimonio) sunt invalidi, si dolus, & error sit circa causam finalem; non quidem jure

O

natu-



naturæ; nam sic neque matrimonium esset validum, sed jure positivo, ut dicemus suo loco.

Dico quarto, quando error incidit in contractum, & est circa causam impulsivam, seu est talis, ut adhuc eo deprehenso communiter soleant homines jurare, vovere, contrahere, in tali casu juramentum, votum, & contractus cum tali errore præstita sunt valida, cum non desit consensus sufficiens.

Dico quinto cum Tambur. cap. 3. §. 5. ex Pal.; Quando error est tantum circa qualitates in Professione religiosa, sicut etiam in matrimonio, & in iis, quæ pertinent ad statum aliquem perpetuum assumendum, videlicet in susceptione Sacrorum Ordinum, &c., nisi quis expresse dicat se nolle vovere, aut contrahere non posita tali qualitate, votum, & contractus sunt valida, etiam si qualitates sint magni ponderis, & error sit circa causam finalem. Unde si quis promittat cum juramento matrimonium puellæ, quam putat virginem, nobilem, divitem, nisi expresse dicat se nolle contrahere sine his qualitatibus, contractus, & juramentum obligant, etiam si desint tales qualitates. Sic qui ære alieno gravatus, aut laborans morbo gallico, si interrogatus a Prælo, occultat debita, aut morbum, & profitetur, Professio religiosa est valida, quamvis Prælati illum non acceptasset, si ejus debita novisset; ut præcipit Clemens VIII., qui sustulit ab his incapacitatem ad profitendum impositam a Sixto V. Eodem modo Episcopus quamvis prohibeat, verbi gratia, excommunicatum ordinari, tamen si illum ordinat, valide ordinat, nisi expresse dicat, Ordino te, si non es excommunicatus; Et qui profitetur in Religione Minimorum ignorans illos abstinere ab esu carniæ, valide profitetur, nisi aliud exprimat. Ratio horum omnium est, quia ex con-

muniter contingentibus præsumitur, quod absolute ponatur consensus in his casibus pertinentibus ad statum perpetuum assumendum, nisi expresse ponatur conditio contraria.

VI. Quæritur quarto, An teneatur implere juramentum, vel votum, qui postquam juravit, dubitat, an habuerit animum se obligandi?

Respondeo, Sanch., & Bonac. cum communi affirmare; tum quia possessio stat pro juramento; pro illo enim stat possessio, pro quo stat juris præsumptio; Tum etiam quia probato facto præsumitur intervenisse omnia requisita ad factum, ex cap. *In præsentia, de Probation.* Verum Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 2. V. *Votum* ex Caram., & Leon. putat non esse improbable, quod non tenearis; quia dum dubitatur de substantia promissionis, possidet libertas in foro interno, quamvis in foro externo possideat juramentum. Quæ sententia magis habet locum, si juramentum fuit emissum ex metu gravi, ut notant nonnulli apud Sanch., quia non præsumitur in tali casu animus se obligandi. Præterea Tambur. lib. 3. cap. 3. §. 5. docet, quod si jurasti non ludere, nihil cogitando, an de ludo immoderato, & periculo dumtaxat, an etiam de moderato intellexeris, non tenearis abstinere a ludo moderato, quia ex leg. *Quicquid, de Verbor. significat.* interpretatio juramenti ita fieri debet, ut minorem, quæ fieri potest, obligationem inducat.

VII. Quæritur quinto, An juramentum metu extortum obliget?

Respondeo cum communi apud Less. cap. 42. dub. 6. contra nonnullos, obligare in foro interno, si factum sit animo se obligandi; quia tenemur efficere, ut verum sit, quod juramus, ne Deus adducatur in testem falsi; Et quamvis promissio per vim extorta, utpote non sufficienter libera, ex se non ob-



obliget juxta multorum sententiam apud Trull. hic dub. 12., obligat tamen ratione juramenti in foro interno; Quamvis in foro externo tale juramentum non obliget, quia presumitur non esse factum animo jurandi, ex cap. *Verum, de Juram.*

Hinc sequitur primo, quod qui juravit solvere usuras, teneatur vel illas solvere, vel petere relaxationem juramenti, ex cap. *Ad audiendam, de iis qua vi*; Quamvis si solvat, possit illas in judicio repetere, vel si id non possit, per occultam compensationem.

Sequitur secundo, quod si quis promiserit sine juramento per gravem metum, verbi gratia redire in carcerem, non teneatur; eo quod promissio non fuerit sufficienter libera; si vero juraverit, teneatur redire, non solum si carcer sit justus, quod omnes concedunt; sed etiam si sit injustus, & periculosus, videlicet vel tyranni, vel judicis incompetentis, nisi relaxationem obtineat, aut nisi tempore juramenti fuerit inscius tanti periculi; cum juramentum, & votum habeant semper tacitam illam conditionem, nisi notabilis mutatio superveniat, aut de novo appareat. Ita Less., Suar., & alii communius contra Navar., Vasq., Reginald., qui putant in tali casu non teneri; quia nemo potest se ipsum occidere, sed quisquis tenetur propriae vitae consulere: Immo nonnulli apud Tambur. putant peccare, si redeat, quia opus est temeritatis sine necessitate offerre se morti. Ad quod tamen respondent Suar., & Less., quod licet nemo possit immediate se ipsum occidere, potest tamen ex justa causa exponere se periculo mortis, ut in hoc casu; justa enim causa est, ut fidelitas, & veritas juramenti servetur: Quod confirmatur a Laym., quia Princeps peccat permittendo Hebraeis sine necessitate libertatem suo-

rum rituum; at si id juravit, obligatur juramentum servare, (non secus ac obligatur vi juramenti usuras solvere, qui juratus illas promisit) ne cum damno commercii fides humana rumpatur; ita in casu nostro.

VIII. Oppones: Matrimonium, sicut & votum factum metu gravi injuste incusso ad illud extorquendum est irritum; ergo etiam simile juramentum.

Respondeo, concessio antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia Ecclesia matrimonium, & votum irritavit, non tamen juramentum, ut notat Sanch. lib. 3. de opere morali cap. 2. Cum enim votum fiat Deo, & juramentum homini, facilius oritur scandalum, si juramentum homini factum non servetur, quam si non servetur votum factum Deo; & ideo votum meticulosum, non juramentum irritatum est ab Ecclesia: Quamvis Sot., & alii apud Sanch. lib. 4. de Matrim. disp. 5. contra communioem putent, votum meticulosum non solum jure Ecclesiastico, sed etiam naturali esse irritum; Sylvest. vero, & Suar. lib. de Voto cap. 8. putant solum votum solemne professionis, & simplex Religionis metu extorta irritari ab Ecclesia. Sed communior sententia apud Bonac. disp. 4. quaest. 2. punct. 3. docet, omne votum meticulosum ab Ecclesia irritari; tum quia si irritatur votum solemne, a fortiori irritatur quodvis votum simplex, quod non adducit obligationem adeo gravem; tum etiam quia in cap. *Cum dilectus, de iis qua vi*, decernitur votum fuisse validum; quia non fuit factum per metum gravem; ergo a contrario sensu votum factum per metum gravem non est validum.

Demum inquirendum esset, An juramentum confirmet contractus, ita ut contractus de se invalidi, aut rescindendi vi juramenti, tribuant alte-



ri jus iustitiæ. Verum quia quaestio hæc perplexa nimis ab auctoribus agitur, ut notat Tambur. lib. 3. cap. 3. §. 6., ideo commodius de hoc Deo dante cum de Contractibus nonnulla dicemus; & fuse de hoc diximus in primo ex Opusculis Theologico-Moralibus de Principiis Moralitatis.

## ARTICULUS V.

Quomodo quædam celebriora Juramenta interpretanda sint.

- I. Prima regula servanda, quod juramentum, quantum fieri potest, minus obliget servata verborum proprietate. Altera, quod cadens supra promissionem, hujus naturam sequatur.
- II. Juramentum de non ludendo secundum se intelligitur de ludo illicito.
- III. Qui jurat se soluturum debita intra mensem, prorogato tempore de consensu creditoris, non tenetur amplius vi juramenti.
- IV. Juramentum Medicorum de non visitandis post tertium diem infirmis, nisi confessionem præsiserint, quomodo intelligendum est?
- V. Si quis jurat se ducturum Bertam divitem, & sanam, non tenetur eam ducere, si incidat in gravem agritudinem, & paupertatem.
- VI. Qui promittit aliquid Tutio cum juramento, non tenetur, si ille fiat ingratus, aut frangat fidem datam.
- VII. Si quis juratus promittat aliquid absenti, potest promissionem revocare, antequam acceptetur. Pariformiter discurrendum de pluribus aliis juramentis, quæ passim fiunt.

I. **U**niversim duæ regulæ hac in re assignantur. Prima est, quod in dubio, seu quando non constat de mente jurantis, juramentum interpretandum sit, itaut, quantum fieri pos-

sit, minus obliget servata verborum proprietate. Secunda regula est, quod juramentum cadens supra propositum, vel promissionem habentem tacitam conditionem, vel ex mente jurantis, vel ex consuetudine jam recepta, vel ex dispositione legis, explicandum sit eo modo, quo ipsa promissio explicatur, idest cum eadem conditione: Etenim juramentum sortitur naturam actus, supra quem cadit, ex leg. 1. cod. de Non numerata pecunia; & cum juramentum sit accessorium, sequi debet naturam principalis, ex reg. 42. juris in 6.

II. Ex prima regula infertur primo ex Sanch. apud Bonac. punct. 17., quod in dubio de mente jurantis juramentum non ludendi interpretandum sit de ludo illicito, non de licito, qui recreationis causa suscipitur.

III. Infertur secundo ex Less. cap. 42. num. 57. contra Sanch., & Bonac., quod si jurasti solvere intra mensem, prorogato termino a creditore, non teneris amplius ex vi juramenti, sed solum ex vi pacti: Sicut etiam compromissarii, qui jurant se non recepturos a sententia certa die ab Arbitris danda, prorogata die de consensu partium, non tenentur amplius vi juramenti, ut putat Azor. contra eodem.

IV. Infertur tertio, juramentum Medicorum de admonendis infirmis, ut confiteantur, & de non visitandis illis post tertium diem non facta confessione, Primo non obligare, ubi usû non est receptum hoc decretum Pii V.; quia juramentum censetur factum de servando decreto, quatenus obligat. Secundo, ubi est receptum, obligat medicos, si speretur, immo etiam si dubitetur, quod admonitio sit profutura, secus vero non obligat, quia nemo obligatur ad inutile, ut dicitur cum de correctione fraternæ. Tertio, obligat solum dum morbus est



est gravis, vel periculum est, ut fiat gravis; quamvis universim talis censetur esse, quoties cogit infirmum jacere in lecto, ut patet ex ipso decreto, nisi tamen ex podagra, verbi gratia, decumbat. Quarto, satis est, si admonitio fiat per alios. Quinto, non obligantur Medici infirmum deserere cum gravi ejus damno; quia præceptum humanum non obligat contra charitatem, quæ præcipit, ut ægro subveniatur; Præsertim quia fieri potest, ut infirmus si convalescat, resipiscat: Quod si non imminet ægro grave mortis periculum, si deseratur, deseri debet, ut apte notat Suar. apud Bonac. punct. 16.

V. Ex secunda regula inferitur primo, quod si jurasti ducere Bertam sanam, divitem, bonæ famæ, Virginem, &c., non tenearis, si incidat in infirmitatem incurabilem, in paupertatem, fornicationem, &c., quia sponsalia habent hanc tacitam conditionem; ergo etiam juramentum adjectum sponsalibus.

VI. Secundo, qui promisit aliquid Titio cum juramento, non tenetur, si Titius fiat ingratus, aut si mutuam repromissionem frangat; quia ex Molin., Sanch., Bonac. loc. cit. tale juramentum habet hanc tacitam conditionem, nisi fueris ingratus, aut fidem frangas.

Tertio, qui urbanitatis causa juravit non bibere, non sedere, &c., nisi alter prius bibat, sedeat, &c., non tenetur, si a socio cogatur, quia subest hæc tacita conditio, ut notat Sanch.; Quamvis Lessl. cap. 42. num. 22. putet, juramentum hoc fieri in favorem socii, & ab eo relaxari, dum prior bibere non vult.

VII. Quarto, qui promisit aliquid absenti cum juramento, potest promissionem revocare, antequam acceptetur, (nisi fiat per modum voti) quia promissio habet hanc tacitam con-

ditionem, si acceptetur: Ita Lessl. loc. cit., & Sanch. contra Suar. apud eundem Bonac.

Quinto, si facta pace cum inimico jurasti te illi non nociturum, intelligitur ex causa præterita, seu nisi ipse novam causam dederit.

Sexto, si jurasti servare secretum, intelligitur, nisi vergat in damnum alterius.

Septimo, si jurasti te puniturum filium, intelligitur, nisi ob aliam causam aliud visum fuerit; videlicet vel quia veniam petit, vel quia alter intercedit, vel quia damnum majus sequitur ex punitione, &c.

Octavo, si jurasti te soluturum alteri centum, quæ mutuavit, intelligitur, nisi aliunde satisfeceris, vel compensaveris; unde poteris uti compensatione, quia compensatio est quædam solutio, & vera satisfactio.

Nono, si jurasti facere quicquid alter petierit, intelligitur dummodo non petat aliquid immoderatum, aut illicitum, ut petit ab Herode puella saltans. Ultimo, si jurasti judici te dicturum quæ novisti, non teneris occulta pandere.

## ARTICULUS VI.

### Quomodo tollatur juramenti obligatio?

- I. Juramenti obligatio impeditur aut per legem irritantem contractum, aut per legem prohibentem contractus jurati executionem.*
- II. Tollitur vero juramenti obligatio aut per cessationem causa principalis, aut per mutationem materia, aut per irritationem, aut per commutationem, aut per relaxationem. Et eadem est ratio de Voto.*
- III. Cessat juramenti, & voti obligatio, si superveniat notabilis mutatio, qua prævisa non jurasses, aut vovisses.*



- visses. Sed quid si dubietur, an sit huiusmodi mutatio, qua supervenit?
- IV. Quinam possint, & quomodo iuramenta, ac vota irritare?
- V. Quid intersit inter irritationem, & dispensationem voti, ac relaxationem iuramenti?
- VI. Quanam vota, aut iuramenta filiorum possit Pater irritare? Num etiam id possit mater? Quanam servorum iuramenta possit Dominus irritare?
- VII. Quanam possit Uxor iuramenta Maritus irritare, aut Uxor Mariti?
- VIII. Superiores Regulares quanam vota, & iuramenta subditorum irritare possint? Pontifex Regularium vota potest irritare, secularium vero potest solum dispensare. Quid hac in re possint Abbatisse? Quid de novitiis?
- IX. Quinam possit iuramenta relaxare, ac vota dispensare? Et quanam causa ad id requiratur?
- X. Voti vinculum est fortius vinculo iuramenti; unde reservato voto, verbi gratia castitatis, non eatenus reservatur tale iuramentum.
- XI. Qui potest vota, & iuramenta commutare, non eatenus potest dispensare in illis; quamvis e converso qui potest dispensare, potest etiam vota iurata commutare.
- XII. Ipse vovens, & iurans potest votum, & iuramentum, si non sint reservata, commutare in melius, & probabiliter etiam in evidenter aequale; iurans tamen, aut vovens in favorem alterius nequit ea, si sint acceptata, commutare.
- I. **O**bligatio iuramenti potest primo impediri, ne inducatur, & secundo potest inducta tolli. Dupliciter impeditur, ne inducatur, Primo, per legem irritantem contractum,

aut iuramentum, ut Trident. sess. 24. cap. 5., irritat renunciationem iuramentum factam ante duos menses præcedentes professionem. Secundo, prohibendo executionem contractus; iuramentum enim non potest obligare ad id, quod lege prohibetur: Sic aliqui cum Less. cap. 42. num. 55. putant, impediri obligationem pœnæ conventionalis sponsalibus appositæ, & iuramento firmatæ. Ex quo patet, Principem sæcularem posse indirecte irritare vinculum iuramenti, prohibendo scilicet executionem alicujus contractus, cui adjectum est iuramentum.

II. Deinde obligatio iuramenti semel inducta potest quadrupliciter tolli, cessatione videlicet, seu mutatione materiæ, Irritatione, Commutatione, & Relaxatione, sive hæc fiat ab homine, in cuius favorem iuratur, sive a superiore tollente ex justa causa obligationem; Nam quod in votis dicitur dispensatio, in iuramentis dicitur relaxatio. De his omnibus sigillatim agendum: Et quoniam eadem est ratio de iuramento, ac de voto, ideo de utroque hic erit sermo.

III. Quæritur itaque primo; Quomodo cesset iuramenti, & voti obligatio?

Respondeo cessare primo, si cesset causa principalis, ob quam factum est; Verbi gratia, si iurasti non ingredi talem domum, quia ibi Berta erat tibi occasio peccandi, mortua Berta, cessat obligatio iuramenti. Secundo, cessat etiam per mutationem materiæ, videlicet si superveniat, aut de novo appareat notabilis mutatio, & difficultas, quæ si prævisa fuisset, iuramentum, seu votum prudentis arbitrio non fuisset factum; ut si quis verbi gratia iuraverit jejunare die Sabti, & postea agrotet. Ita D. Th. & alii apud Trull. lib. 2. cap. 2. dub. 8.

Quando autem dubitatur, an si prævisa fuisset talis difficultas, adhuc

fa-



factum fuisset juramentum, vel votum, tunc ex Sanch. apud Trull. dub. 28. adimplendum est; quia stat possessio pro illo. Verum Bonac. disp. 4. quæst. 2. punct. 7. censet in tali casu judicandum in favorem voventis; quia in dubio nemo præsumitur velle seipsum posita notabili mutatione obligare.

IV. Quæritur secundo; Quomodo irritentur Juramenta, & Vota, & a quibus?

Respondeo, juramenta, & vota irritari, quando ea non approbantur a superiore, a quo indigent approbari, ut robur accipiant. Quare potest juramenta, & vota irritare, itaut nunquam reviviscant, quicumque habet potestatem dominativam vel in rem promissam, vel in personas jurantes, etiam si careat potestate spirituali: Unde fit posse Patrem (etiam sine culpa veniali, ut communiter docent contra Sayr., & Sanch.) irritare vota filii, Virum vota Uxoribus, Dominum servi, Prælatum Regularem vota suorum subditorum, excepto voto ætioris Religionis, & Pontificem omnium Regularium. Si tamen Superior approbavit juramenta subditorum, valide quidem poterit deinde illa irritare, sed illicite, nisi detur justa causa: Quamvis probabiliter ex Suar. contra Sanch. apud Trull. dub. 20. raro id fit peccatum mortale, nisi scandalum, aut contemptus adsit.

V. Ex quo patet discrimen inter irritationem, & dispensationem, seu relaxationem; hæc enim causam requirit, unde cognosci debent in particulari vota, ut possint dispensari, & juramenta relaxari: Contra vero possunt simpliciter omnia omnino vota, & juramenta subditi indiscriminatim irritari a Superiore, quamvis ea in particulari non cognoscantur.

VI. Loquendo in specie primo de votis, & juramentis filiorum, certum est Patrem posse irritare omnia vota

filiorum impuberum, ex cap. *Mulier* 21. quæst. 2., idque propter imbecillitatem ætatis: Quare etiam votum ingrediendi Religionem irritari potest; etiam votum factum ante pubertatem, sed implendum post pubertatem, nisi post pubertatem ratificatum sit: Contra vero non potest Pater vota personalia filiorum puberum irritare, nisi forte hujusmodi vota repugnarent domesticæ gubernationi, & potestati Patris; ut si filius vovent peregrinationem longam, aut multa jejunia cum periculo morbi; immo etiam jejunium unius diei, si proinde Pater cogeretur parare alios cibos a communibus. Potest tamen pater vota realia filiorum puberum irritare, (nisi filii habeant bona castrensia, vel quasi, aut sint emancipati) Sicut etiam irritare potest vota mixta, exempli gratia de peregrinando &c., in quibus admiscetur expensæ reales labori personali; nisi forte filius intendat peregrinari mendicando. Si tamen filius habeat bona castrensia, (parta scilicet occasione belli, ut sunt stipendia militum, spolia, &c.) vel quasi castrensia, (quæ scilicet acquiruntur ratione beneficii, officii publici, aut artis liberalis, non vero mechanicæ, ut videre est apud Less. c. 4. dub. 3.) vota realia de iis expendendis non possunt a Patre irritari; cum habeant filii de iis liberam potestatem disponendi, sicut quando sunt emancipati. Nec potest Pater irritare vota realia puberum exequenda tempore, quo erunt sui juris.

Secundo, Mater non potest vota filiorum irritare vivente Patre, aut saltem Avo, Tutore, aut Curatore; quia in jure nullam tunc in filium habet potestatem: Si tamen his omnibus filius sit destitutus, potest Mater, & ea mortua, Avia.

Tertio, Dominus potest irritare vota mancipii, quæ illius obsequio præ-



præjudicant, ut votum peregrinationis, religionis, &c. Unde non potest irritare votum castitatis, orationis moderatae, &c. Votum autem Religionis, & quodcumque aliud ante servitutem emissum remanet suspensum tempore servitutis. Si tamen tempore servitutis emissum sit, & tempore servitutis sit etiam exequendum, semel irritatum non reviviscit; Si vero post servitutem exequendum sit, (ut si voveat servus ingredi Religionem post servitutem) certe ad id tenetur, cum non præjudicet subjectioni, ut docent communiter.

Uxor autem Domini, quia non habet bonorum omnium administrationem, vota servorum irritare non potest.

VII. Quarto, Maritus potest omnia vota, & juramenta uxoris irritare, quæ matrimonio sunt incommoda, & domesticæ gubernationi. Vota vero non præjudicantia, ut orandi, non mentiendi, &c. communiter docent, quod non possit irritare: Quamvis probabiliter putet Pal., Bonac., Azor., quod possit; sicut Pater potest omnia vota filii irritare; Nam Genes. 3. dicitur de uxore: *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*; unde etiam potest irritare vota tempore conjugii emissæ, sed implenda mortuo marito, verbi gratia votum non iterum nubendi, aut castitatis, &c., ut notat Sanch. lib. 4. cap. 31., & Dian. part. 4. tract. 4. resol. 110. Votum non petendi debitum ab uxore emissum potest irritari a marito absque ulla causa, si sine sua licentia factum sit; si vero de sua licentia, valide potest sine causa irritari, sed illicite irritatur. Quod tamen non militat in simili voto viri emissæ de licentia uxoris, ut mox dicemus.

Quinto, Uxor potest irritare solum vota mariti sibi præjudicialia, ut votum castitatis, longæ peregrinationis,

immoderatae abstinentiæ, aut elemosinæ. Ratio est, quia vir non subicitur uxori quoad voluntatem, sed quoad materiam per votum promissam. Si vero vir de licentia uxoris emisit votum sibi præjudicans, verbi gratia non petendi debitum, nec licite, nec valide poterit ab uxore irritari, ut communiter docent apud Tambur. contra Trull. cap. 2. dub. 33. Ratio est, quia intantum potest uxor irritare vota mariti, inquantum sibi præjudicant, non quia habet potestatem dominativam in illum; atqui per licentiam datam cum suo præjudicio jam renunciavit; ergo non potest amplius irritare: Quod idem docent Doctores de votis servorum de licentia Domini emissis.

VIII. Sexto, Superiores Regulares possunt irritare omnia vota subditorum, non secus ac Pater filiorum imuberum; quia subiectam sibi habent eorum voluntatem. Solum irritare non possunt vota constituenta statum religiosum, ut patet; quia sic haberent potestatem destruendi suam potestatem; Nec votum assumendi Religionem strictiorem, ex cap. *Licet, de Regularibus*.

Nomine autem Superioris Regularis venit etiam Summus Pontifex, qui proinde irritare potest regularium vota; Reliquorum vero fidelium vota, & juramenta Pontifex solum potest dispensare, non irritare; Et ratio est, quia solum Religiosi per votum obedientiæ illi tanquam capiti subiciuntur; potestas autem irritandi consequitur ad votum obedientiæ; potestas vero dispensandi ad potestatem jurisdictionis. Abbatissæ juxta Sanch., & Suar. possunt etiam irritare vota subditarum, quia pariter subditæ emittunt vota obediendi Abbatissis; Et quamvis careant ista jurisdictione spiritali, adhuc vota Monialium irritare possunt, ex Suar. apud Trull., sicut pot-



potest Pater irritare vota filiorum. Azor. tamen, & Pal. solum concedunt Abbatissis, quod possint irritare vota præjudicantia gubernationi domus.

Relate ad Novitios, non possunt Superiores eorum vota irritare, ex Suar., Sanch., Pal. apud Tambur., cum votum obedientiæ non emiserint; Omnia tamen vota novitii tempore novitiatus suspenduntur, si præjudicant probationi, & commutari possunt in professionem religiosam. Immo ex Less. disp. 40. num. 8. possunt dispensari a Prælato regulari, qui erga illum habet potestatem quasi Episcopalem, cum non deceat ad Episcopum recurrere. Demum si Superior dedit facultatem votendi subdito, non potest licite sine causa tale votum irritare; potest tamen licite successor, quia non amisit jus suum.

IX. Quæritur tertio; Quinam possint juramenta relaxare, & vota dispensare?

Respondeo, relaxationem juramenti vel fieri per condonationem factam ab eo homine, in cujus favorem juratur; ut si juraveris dare centum Petro, & ille remittat; Vel fieri a Superiore tollente ex iusta causa obligationem, eo modo quo vota dispensantur. Certum autem est, ad hanc relaxationem, seu dispensationem requiri justam causam, non solum ut licite, sed etiam ut valide fiat. Est autem iusta causa ad dispensandum, & a fortiori ad commutandum Ecclesiæ utilitas, Dei honor, bonum jurantis, magna ejusdem fragilitas, per quam timetur juramentum, aut votum sæpe violandum; Item jurantis inconsideratio, levitas, inconstantia, timor, vel alia animi perturbatio in jurando.

Notandum ulterius, juramentum aliud fieri in purum obsequium Dei per modum voti; ut si alicui jures te nunquam lufurum, pejeraturum,

*Pars II.*

&c.; Aliud vero in commodum, lufurum, vel obsequium alterius; ut si jures dare centum Titio, solvere usuras, &c. His explicatis

Dico primo, juramenta, & vota in utilitatem alterius facta ne a summo quidem Pontifice regulariter dispensari possunt, si sint acceptata, nisi forte aliquando bonum commune dispensationem requireret. Ratio est, quia non potest Pontifex privare homines jure suo; per hoc autem, quod acceptata sit promissio jurata, jam ex iustitia debetur, quod juratum est. Ita Cajet., & Abbas: Dixi, Regulariter, nam dispensari possunt a Papa, Primo, si juramentum fraude, vel metu sit extortum; ut si jurasti dare centum latroni. Secundo, si adsit iniustitia; ut si jurasti solvere usuras. Tertio, in pœnam justam, & debitam ei, in cujus favorem juramentum est præstitum; ut quando vi, vel fraude extorquetur juramentum.

Dico secundo, juramenta, & vota prædicta, si non sint acceptata, poterunt ex iusta causa a Superiore dispensari, vel commutari. Ratio est, quia non posita acceptatione, nondum ab altero est acquisitum jus. Idem dicitur de juramentis, & votis acceptatis ab eo, in cujus favorem emittuntur, quando principaliter, & ultimate emittuntur in obsequium Dei, & minus principaliter in favorem alterius: Verbi gratia, si jurasti dare dotem Bertæ, itaut præcise in honorem Dei promiseris talem favorem Bertæ. Ita Dian. part. 6. tract. 6. resol. 61., Fagund., & alii cum Tambur. lib. 3. cap. 17. Ratio est, quia in hoc casu acquiritur jus ab acceptante dependenter a beneplacito Dei; cum non sit ipsi principaliter directa promissio jurata; atque adeo si ponatur aliquid Deo gratius, non fit contra juramentum: Præsertim quia semper votum, & juramentum principaliter

P. fa.



factum in Dei obsequium habet illam tacitam conditionem, nisi voluero hoc votum in melius commutare; ergo tale votum poterit etiam propria auctoritate in melius commutari.

Dico tertio cum Pal. apud Tambur. lib. 3. cap. 3. num. 45. Quando iuramentum non confirmat contractum, (qui scilicet contractus jure civili est irritus) licitum est petere relaxationem, & facillimo negotio dari debet a Praelato, non solum si in eo appareat turpitudine ex parte recipientis, ut in iuramento de solvendis usuris, sed etiam in aliis, ut in iuramento de solvenda pecunia credita ludo amissa. Nam ex hoc iuramento, ut supponimus, nullum jus consurgit creditori; Causa autem iusta, ut relaxetur, est, ne homines assuescant contra legum dispositiones operari, seu ne alia via frustretur effectus per legem intentus, ut notat Sanch. lib. 3. cap. 12.

Dico quarto, Omnia iuramenta, & vota in obsequium Dei praestita, & quae jus iustitiae in altero non praesupponunt, dispensari possunt a Papa; Etiam votum solemne Religionis, ut communiter docent apud Trull. dub. 38. contra D. Th. 2. 2. quaest. 88. art. 2. Saepe enim in talibus votis Papae dispensarunt; debuit quippe talis facultas a Deo conferri Pontifici; cum ea aliquando opus sit.

Dico quinto, Possunt etiam Episcopi eadem vota, & iuramenta dispensare, & commutare, nisi a Papa sibi reserventur. Ratio est, quia talis potestas tradita est a Christo Domino Apostolis, eorumque successoribus pertinens ad externam Ecclesiae gubernationem, sicut est potestas excommunicandi, &c., Unde debetur Episcopis, nisi sit illis limitata a Pontifice; ut de facto limitatur relate ad illa quinque vota Castitatis perpetuae, Religionis, & trium peregrinationum, Romanae,

Compostellanae, & Hierosolymitanae, quae Pontifici reservantur; quando sunt absoluta, & perfecta, & non sub poena, vel sub conditione emissa, ut infra dicemus cum de voto.

X. Dubium tamen est, An sicut votum castitatis est Pontifici reservatum, ita pariter sit reservatum iuramentum, quo quis jurat se castitatem servaturum? Sanch., & alii apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 69. affirmant. Sed Laym., Pelliz., & alii apud Tambur. probabiliter negant, quia solum ea quinque vota, non vero iuramenta reservantur; Diversum autem est vinculum voti a vinculo iuramenti; immo illud est majus, quia importat irreverentiam simul, & infidelitatem erga Deum, iuramentum autem solum irreverentiam, ut notat D. Th. 2. 2. quaest. 89. art. 8., Unde reservato voto castitatis non sequitur, quod sit etiam reservatum iuramentum: Contra vero, quia vinculum iuramenti est minus arctum, quam voti; & iuramentum promissorium est affine voto, idcirco Suar., Sa., & alii probabiliter docent, quod cui conceditur facultas dispensandi, vel commutandi vota, ei pariter concedatur facultas relaxandi, vel commutandi iuramenta, atque adeo vota jurata, quae emittuntur per haec verba, Voveo, & iuro me hoc facturum, &c.

Dico sexto, Vicarii Generales Episcoporum non possunt ex officio in votis dispensare, ut notat Sanch. lib. 2. disp. 40. Nec possunt Parochi, cum non habeant jurisdictionem in foro externo. Episcopus tamen in casu necessitatis potest in voto castitatis dispensare, puta si imminet ex mora periculum incontinentiae, aut gravis damni, nec sit facilis aditus ad Pontificem; ut Sanch. lib. 8. disp. 9.

Dico ultimo, facultas dispensandi in votis etiam Episcopo reservatis concessa est a Martino V. Confessariis  
Be.



Benedictinorum, atque adeo eam habent omnes Regulares cum iis communicantes. Immo Societati nostræ concessit Gregor. XIII. facultatem commutandi omnia vota etiam jurata, exceptis illis quinque; Et circa hanc facultatem dicitur in nostris privilegiis V. *Commutatio, Communicatur omnibus Confessariis pro sola foro conscientia*; Commutatio tamen fieri non potest in præjudicium tertii.

XI. Quæritur ultimo, Quinam possit juramenta, & vota commutare?

Respondeo, quod cum minor causa requiratur ad commutandum, quam ad dispensandum quia plus est dispensare; ideo quicumque habet potestatem dispensandi, habet etiam commutandi; etenim commutatio tanquam pars minor in dispensatione continetur. Contra vero qui habet privilegium commutandi, non habet eatenus dispensandi.

XII. Dubium est, An possit ipse jurans, & vovens commutare sibi votum, & juramentum?

Respondeo, posse etiam sine ulla causa commutare in opus evidenter melius. Ratio est, quia non dicitur promissum infringere, qui illud commutat in melius; Potest etiam probabiliter commutare in opus evidenter æquale, itaut constet non esse minus. Ita Henr. apud Tamb. contra Suar. Sanch., & alios communius. Ut autem in æquale commutet, Less., & Tambur. aliquam saltem levem causam requirunt, Villalob. nullam apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 25.

Excipe tamen primo vota, & juramenta in favorem alicujus principaliter præstita, & acceptata; quia homini non semper est gratius, quod est melius. Si tamen principaliter sit præstitum juramentum in obsequium Dei, & minus principaliter in favorem alterius, diximus cum Dian. part. 6. tract. 6. resol. 61. probabiliter pos-

se commutari in opus Deo gratius; Verbi gratia, si vovisti dare dotem Berta principaliter propter obsequium Dei, poteris hanc dotem dare alteri magis indigenti, quæ scilicet non solum a miseria, sed etiam a peccato tollatur. Excipe etiam quinque illa vota reservata, quia eo ipso, quod votum reservatur, subditur arbitrio superioris; Quamvis ex cap. *Scriptura, de Voto*, omnia vota etiam reservata commutari possunt in ingressum Religionis.

Notandum hic, quod qui non habet facultatem dispensandi, sed solum commutandi, si commutet in notabiliter minus, graviter peccat; Verbi gratia, si jejunium mutaretur in quinque Pater, & Ave: Sic etiam peccat graviter habens facultatem dispensandi, si aut dispenset, aut commutet in notabiliter minus sine justa causa, itaut etiam dispensatio sit nulla; commutatio vero ex Sanch. lib. 4. cap. 51. sit valida, quamvis vovens contrahat obligationem gravem supplemendi id, quod deest ad æquandam materiam subrogatam pro re promissa. Non est tamen necesse, quod habens facultatem commutandi commutet semper in æquale; poterit enim ex justa causa commutare in minus, habens proportionem cum re promissa, ut docet Less., & alii, & ipsa praxis confirmat. Ratio est, quia cum probabiliter possit votum propria auctoritate commutari in evidenter æquale, facultas superioris commutandi, ne sit frustratoria, debet posse etiam in minus, dummodo non notabiliter.

Dubium est secundo, An facta commutatione liceat ad prius votum redire?

Respondeo, certum esse, quod possit, si commutatio facta sit in minus, vel in æquale; si tamen facta sit in majus, affirmat etiam Sanch. lib. 8.



de Matr. disp. 9. contra Filliuc. Ratio est, quia commutatio facta est in favorem ipsius voventis, cui potest ipse renunciare; Si tamen commutatio in melius facta sit ob majorem Dei cultum, cum sit facta in favorem Dei, non est licitum ad prius votum redire. Illud demum certum est, quod si commutatio fiat in opus, quod deinde vovens implere non potest, ad nihil amplius teneatur: Verbi gratia, si votum peregrinationis mutetur in jejunia, & propter ægritudinem deinde non possit jejunare, nec ad jejunia tenetur, nec ad peregrinationem, nec ad aliud.

### ARTICULUS VII.

De Perjurio, ac de assuetu ad jurandum.

- I. *Perjurium presse sumptum est juramentum, cui deest veritas; late vero sumptum est, cui deest iudicium, & iustitia, seu necessitas, & honestas. Est perjurium peccatum gravius homicidio.*
- II. *Estque pariter peccatum gravius homicidio, nullum tempus velle dicare divino cultui.*
- III. *Consuetudo conjungendi juramentum cum mendacio sub mortali tollenda est. Immo mortaliter peccat, qui cum hac consuetudine inadvertenter jurat cum proximo periculo pejerandi; etiamsi tunc juret verum.*
- IV. *Quanam remedia adhiberi possint ad evellendam jurandi consuetudinem?*
- V. *Ut mortaliter peccet, qui assuetus juramenti hic, & nunc jurat, debet advertere ad obligationem, quam habet evellendi talem consuetudinem, aut ad periculum proximum pejerandi. Quonam pacto hac peccata in confessione aperien-*

da? Et quando negari debet ab solutio?

I. **P**erjurium proprie, & prout in jure sumitur, est Juramentum, cui deest aut veritas asserta in assertorio, aut veritas rei promissa in promisorio: Late autem sumptum significat omne juramentum, cui deest aliqua ex iis tribus conditionibus, videlicet vel veritas, vel iudicium, vel iustitia. Est autem Perjurium peccatum gravius homicidio, ex D. Th. & Sor. contra alios; tum quia opponitur præstantiori præcepto primæ tabulæ; tum quia est directe contra charitatem Dei; homicidium vero contra particularem proximi iustitiam.

II. Neque dicas, quod pariter peccatum contra tertium præceptum, videlicet die festo laborare, esset peccatum gravius homicidio.

Nam respondent Sylvest, & Sor., quod vel observantia diei festi sumitur, quatenus est de jure positivo, nempe prout est talis diei determinatio, & sic est minus grave homicidio; Vel sumitur quatenus est de jure divino præcipiente, quod aliquo tempore vacetur Deo; & sic qui per totam vitam nullum tempus divino cultui dicaret, committeret peccatum gravius homicidio.

III. Circa consuetudinem jurandi, cum hæc facilet, & ponat hominem in proximo periculo jurandi; si sit solum consuetudo jurandi, sed non mentiendi, non tenemur sub mortali illam extirpare, quia per illam non versamur in proximo periculo peccandi graviter, seu pejerandi: Contra vero si sit consuetudo conjungendi juramentum cum mendacio. Qui vero habet consuetudinem tam jurandi, quam mentiendi, non tamen conjungendi juramentum cum mendacio, si quoties jurat, advertenter ju-



jurat, & procurat non conjungere cum juramento mendacium, neque tenetur sub mortali talem consuetudinem extirpare. Secus vero si inadvertenter jurat, ita scilicet ut sit in proximo periculo pejerandi. Unde fit, ut notant Suar., & Sanch. apud Trull. dub. 20., quod hic peccet mortaliter, quoties jurat inadvertenter, etiamsi verum juret; quia jurat cum proximo periculo pejerandi; Etenim *Qui amat periculum, peribit in illo*, debet tamen ad hujusmodi periculum advertere, ut peccet mortaliter.

IV. Remedia autem ad extirpandam aliquam consuetudinem sunt, firmiter proponere, frequentius confiteri de singulis actibus malis, vel aliquam eleemosynam largiri, vel orationem recitare, &c., & ante cubitum advertere quotidie ad profectum in ea re factum; & efficacius remedium esset mordere linguam statim postquam lapsa est in juramentum. Quare qui nullum adhibet remedium ad consuetudinem evellendam, absolvi quidem poterit prima, secunda, tertia, & ad summum quarta vice, si vere doleat, & proponat remedia adhibere, sed si nunquam propositum fervet, non est deinde absolvendus.

V. Quia tamen revera non peccatur mortaliter, quoties juratur sine advertentia ulla neque ad perjurium, neque ad periculum pejerandi, sed solum quando assuetus juramento advertit se graviter obligari ad evellendam consuetudinem, & omittit remedia opportuna, ideo cum difficile sit has advertentias numerare, satis est in confessione aperire tempus durationis talis consuetudinis peccaminosa.

## ARTICULUS VIII.

## De Adjuratione.

- I. *Adjuratio vel est Imperativa, ut erga demones, vel Obscraiiva, ut erga Deum.*
- II. *Obscraiiva est actus latria, si fiat invocatione Dei; Est actus Dulia, si fiat invocatione Sanctorum; Et Hyperdulia, si Beata Virginis. Quando autem fit per alias creaturas, non est actus Religionis.*
- III. *Creatura irrationales adjurantur improprie, quatenus obediunt Creatori.*
- IV. *Per orationem petimus aliquid a Deo; Per Adjurationem petimus aliquid propter Deum.*
- V. *Differt Adjuratio a juramento; quia per illam adducitur Deus, non ut testis, sed ut ejus amore, vel timore aliquid obtineatur. Requirit tamen Adjuratio tres illos juramenti Comites, Veritatem, Justitiam, & Judicium.*
- VI. *Quibus liceat demones adjurare adjuratione imperativa? Num etiam laicus possit exorcizare publice citra mortale?*
- VII. *Vis expellendi demones per exorcismos est ex opere operato.*
- VIII. *Privata Adjuratio adversus demones cuilibet est licita.*
- IX. *Quid possint, aut non possint Exorcista a damone interrogare?*
- X. *Videtur mortale creaturas irrationales exorcizare directe. Indirecte adjurari possunt, vel adjuratione deprecativa, prout moventur a Deo, vel imperativa, prout moventur a damone.*

I. **A** Djuratio ex D. Th. 2. 2. quaest. 90. est actio, per quam aliqua persona inducitur ad aliquid faciendum, vel imperando, ut adjurari



ri debent daemones; vel obsecrando invocatione alicujus rei Sacrae, ut cum ad Roman. 12. dicit Apost. *Obsecro vos per misericordiam Dei*; & quando orat Ecclesia dicendo, *Per Christum Dominum nostrum*; Sic etiam cum dicitur, fac hoc per amorem, quem erga Deum geris, per vitam tui Patris.

II. Hinc sequitur primo, Adjurationem aliam esse Imperativam, ut cum daemone imperamus, ne noceant per virtutem Sanguinis Christi; Aliam vero Deprecativam; Quae si fiat invocatione rei Sacrae, est actus Religionis; itaut sit actus latria, si fiat invocatione Dei, aut eorum, quae ad Deum pertinent; sit vero actus Hyperduliae, si quid obsecramus, vel daemone; aut aliis creaturis imperamus per Beatam Virginem; sit actus Duliae, si per Sanctos; Quod si fiat per creaturas, ut per vitam tui patris, talis adjuratio non est actus Religionis.

III. Sequitur secundo, adjurari posse omnes creaturas, quibus aliquid possumus imperare, aut deprecari, atque adeo omnes creaturas rationales: Creatura vero irrationales improprie adjurantur, quatenus scilicet audiunt vocem Creatoris, & illi physice obediunt; ut quando dicitur monti, In nomine Christi transfer te hinc ad alium locum.

IV. Sequitur tertio, In hoc differre Adjurationem ab Oratione, quod per Orationem aliquid a Deo petimus; per Adjurationem vero petimus aliquid propter Deum.

V. Sequitur quarto, differre etiam a Juramento, quia in juramento Deus adducitur ut testis; in Adjuratione vero adducitur Deus, seu res sacra, ut ejus amore, vel timore res petita obtineatur. Exigit tamen adjuratio eodem modo tres illos comites, sicut juramentum, nempe Veritatem, Justi-

tiam, & Judicium, ne temere contra virtutem Religionis exerceatur: Veritatem quidem exigit, quia per Deum verum debemus adjurare, non per falsos, aut per daemone; Nec debet intermisceri in adjuratione mendacium; quare peccaret etiam contra Religionem (quamvis ex Sanch. venialiter tantum) pauper fictus petens per amorem Dei eleemosynam: Exigit etiam justitiam, quia res, quae petitur, debet esse licita; unde peccaret graviter contra Religionem, qui peteret ab alio peccatum grave per Beatam Virginem, exempli gratia: Demum exigit judicium; quia debet fieri cum necessitate, & cum debita reverentia.

VI. Queritur nunc primo; An omnibus liceat adjurare daemones adjuratione imperativa?

Respondeo, & dico primo, adjurationem publicam, & solemnem non licere, nisi Exorcistis, qui sunt ministri Ecclesiae ad id destinati. Exorcizare enim graece idem est, ac Adjurare: Convenit tamen, quod qui exorcizat, sit Sacerdos prudens, & doctus; Quamvis Tambur. contra Tancredi probabiliter putet, quod si laicus publice exorcizat, praefixo scandalo, non nisi venialiter peccet: Sicut enim laicus exercet munus Acolythi serviendo missae, ita in necessitate posset laicus exercere munus Exorcistae; cum cuilibet fidei a Deo data sit potestas expellendi daemone; dicitur enim Marci ult. *Signa eos, qui crediderint; &c. in nomine meo daemonia ejicient.*

VII. Ubi notandum, quod potestas exorcizandi daemones, & expellendi non fundatur in Sanctitate ministri, sed in invocatione divini Nominis, & in Sanctitate Ecclesiae, in cujus persona ministri exorcizant; Sicut nec efficacia Sacramentorum pendet a ministri sanctitate: Quare exorcismi habent ex opere operato vim expellendi daemones; sicut Sacramenta vim conferendi



rendi gratiam; ut docet D. Th. 3. part. quæst. 71. art. 3. Impeditur tamen sæpe huiusmodi effectus, vel ob modicam ministri fidem, ut notat Valent, vel quia effectus non est infallibilis, sed ex congruitate quadam, ut Sanch. lib. 2. Moral. cap. 42.; Unde tunc in nomine Christi dæmonia ejiuntur, quando id expedit; non enim semper ob culpam dæmoniaci dæmon non expellitur, sed etiam ex occulto Dei iudicio, vel ob utilitatem animæ, vel propter exemplum aliorum &c.: Sic ut Sacramentum Extremæ Unctionis, quamvis institutum sit ad conferendam etiam corpori salutem, non semper tamen illam confert, sed quando expedit ad salutem animæ.

VIII. Dico secundo, Adiuratio privata contra dæmones cuilibet est licita; quia de omnibus fidelibus dictum est, *In nomine meo dæmonia ejiunt*. Quare cuilibet potest privatim dæmonem adiurare; sicut cum tentatur, potest per Deum, per Sanctos adiurare illum imperatice, ne noceat; ut Sanch. loc. cit.

IX. Hic autem notandum, Exorcistis non licere quodcumque a dæmone interrogare, sed solum quæ ejus expulsiōe corpore obsessi conducunt, puta ejus nomen, causam ingressus, quot sint, aut aliquam veritatem ad gloriam Dei, & in adiutantium utilitatem: Quod tamen a solis Sanctis vi-

ris, & prudentibus faciendum esse docent Doctores; Si tamen res curiosæ, & inutiles interrogentur, vel vanum aliquod petatur, puta ut moveat ingentem lapidem, &c., ubi semel, aut iterum id fiat, erit solum veniale, ob actus imperfectionem, ut docet Navar., & communiter contra Pal. tom. 3. tract. 14. disp. 4.; Erit tamen mortale, si longi sermones de his rebus miscantur, aut si fiat cum intentione addiscendi a dæmone, aut fidem certam illi dandi.

X. Quæritur secundo; An Creaturæ irrationales adiurari possint, puta grandines, locustæ, tempestates?

Respondeo cum Sanch. loc. cit., & Trull. non posse adiurari directe, quasi vero ipsæ se moveant, & malum causent, & a timore Dei, per quem adiurantur, abstineant a nocendo; Hoc enim vanum esset, & ex Navar., Bonac. contra Suar., & Sanch. esset peccatum mortale, propter irreverentiam contra exorcismos Ecclesiæ, eo quod vane adhiberentur: Quia vero creaturæ irrationales ab alio moventur ad nocendum, scilicet vel a Deo, vel a dæmone, ideo indirecte adiurari possunt adiuratione, quæ relate ad Deum moventem sit deprecativa, relate ad dæmonem sit imperativa, eo modo quo utitur Ecclesia in Exorcismis.

QUÆ.



## Q U Æ S T I O VIII.

## De Voto.

CUM Votum sit juramento promissorio valde affine, plurima diximus quaestione superiore ad Votum pertinentia agentes de juramento; hic pauca, quæ supersunt, explicabimus, inquirendo prius, Quid, & Quotuplex sit Votum? Deinde, ejus materiam, & obligationem. Demum, Quonam pacto tolli possit Voti obligatio, præsertim per dispensationem.

## ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Votum?

- I. Votum est promissio deliberata facta Deo de meliori bono.
- II. Differt a proposito, quippe quod non est obligatorium, saltem sub gravi.
- III. Si votum fiat cum semiplena deliberatione, non obligat. Quid si dubitetur, an deliberatio fuerit plena?
- IV. Ad votum sufficit voluntas implicita illud emittendi; ut in suscipiente Ordines Sacros; Qui si nolit voverè castitatem, adhuc ad illam obligatur, saltem ex statuto Ecclesiæ, & est sacrilegus, si adversus illam peccet.
- V. Qui invalide suscipit Ordines Sacros, ad castitatem non tenetur: Secus vero qui invalide in Religione profectur.
- VI. Soli Deo votum fieri potest, Deipara vero, & Sanctis, quatenus Deus in iis inhabitat.
- VII. In quo sensu votum est de meliori bono?
- VIII. Vinculum voti est fortius vinculo juramenti promissorii.
- IX. Votum invalidum per ratificationem non revalidatur, si ejus invaliditas ignoretur. Quid si quis dubitet, an voluerit per ratificationem novum votum emittere?
- X. Multipliciter dividitur votum; præsertim in Solemne, & Simplex: So-

lemne emittitur in susceptione Ordinis Sacri, & in Professione Religiosa, & irritat matrimonium; Quod pariter irritat Votum simplex in Societate Jesu.

- XI. Per votum pœnale, puta non blasphemandi sub pana jejunandi, ut plurimum duo promittuntur Deo; Id tamen pendet ex intentione votantis.

I. **O** Uæritur primo, Quid sit Votum, & in quo differat a proposito, & a juramento promissorio?

Respondeo, Votum ex D. Th. esse promissionem Deo factam voluntariam, & deliberatam de bono meliori.

II. Unde sequitur primo, quod quamvis omne votum sit propositum, seu deliberata voluntas aliquid faciendi, tamen non omne propositum est votum; cum non omne propositum sit promissio, seu voluntas se obligandi Deo: Quare qui non observat votum in materia gravi, est perfidus, seu violat fidem, & promissionem datam, & peccat mortaliter; qui vero propositum non observat, est solum inconstans, & peccatum mortale non committit: Immo dubium est apud Doctores, an peccet venialiter? Affirmat enim Pal., quia est levitas animi, saltem sine causa, a bono proposito se avertere: Negat vero Sanch. lib. 4. cap.



cap. 1., Navar. & alii, quia nulla lex obligat ad propositum servandum: Et quamvis sit quaedam levitas mutare propositum sine causa, at non est levitas peccaminosa; quia est solum defectus majoris boni; nec fit contra virtutem constantiae obligatoriam.

III. Sequitur secundo, quod votum fieri debeat cum plena advertentia ad id, quod promittitur, & cum plena libertate; sufficit autem ea deliberatio, & libertas, quæ satis est ad peccatum mortale. Quod si deliberatio sit semiplena, peccat quidem venialiter sic vovens, cum adsit defectus prudentiæ, sed ne sub veniali quidem obligatur ad votum, ut communiter docent apud Trull. Et ratio est, quia nemo censetur velle sibi onus assumere, nisi si plene advertat ad id, quod agit; etenim sic veluti per ignorantiam censetur vovere; ut accidit, cum quis ex subito animi motu voveret, vel ex consuetudine linguæ mentem præveniente. Si tamen dubites de plena advertentia, Pal., & Bonac. putant probabilius te obligari, quia possessio, & præsumptio stat pro voto; Alii vero apud Tambur. cap. 3. lib. 1. §. 7. V. *Votum*, & apud Trull. lib. 2. cap. 2. probabiliter putant, te non obligari; quia stat in possessione libertas in foro conscientiae, quamvis in foro externo stet in possessione votum.

IV. Notandum tamen, ad votum sufficere promissionem deliberatam implicitam, qualis requiritur in suscipiente Ordines Sacros, quibus ex intentione, & instituto Ecclesiæ annectitur votum solemne castitatis: Etenim qui deliberate vult aliquem statum suscipere, deliberate vult subire omnia onera tali statui annexa; ergo quamvis ignoret annecti Ordinibus Sacris votum castitatis, quia tamen deliberate vult illos suscipere, consequenter deliberate emittit votum castitatis, quamvis implicite. Quod si positive nollet vo-

*Pars II.*

vere castitatem, non solum peccaret, sed teneretur etiam castitatem servare, saltem ex statuto Ecclesiæ; Quinimo si peccaret contra castitatem, quamvis non peccaret contra votum, eo quod noluerit votum emittere, adhuc sacrilege peccaret, eo quod tale peccatum adversaretur sacro statui, in quo reperitur, qui Sacros Ordines suscepit.

V. Qui tamen Ordines suscipit invalide, ad castitatem non tenetur; quia destructo principali, corrumpitur etiam accessorium: Econtra qui invalide in Religione proficitur, tenetur ad castitatem, quia in tali casu castitas non se habet ut accessorium, sed ut principale.

VI. Sequitur tertio, *Votum* soli Deo fieri posse, quia votum est actus Religionis respiciens cultum Deo debitum; testamur quippe per votum Deum esse summe providum, eique in angustiis recurrendum, ut opem ferat. Quando autem Beatæ Virgini, vel Sanctis aliquid vovemus, tunc etiam mediate, & tacite vovemus ipsi Deo, quatenus in iis habitat per sanctitatem: Sicut enim juramus per Sanctos, quatenus sunt aliquid Dei, ita iisdem Sanctis vovemus; tum quia sunt aliquid Dei; tum etiam ut sint testes voti, & Patroni, ac intercessores ad votum servandum, & ad obtinendum quod intendimus.

VII. Sequitur ultimo, votum de re, quæ est impossibilis cum majori bono, esse nullum; ut votum de nubendo, quod impedit calibatum. Dicitur tamen esse votum de meliori bono, non solum quia debet esse melius, quod promittitur, quam ejus opus propositum, sed etiam quia ipse actus vovendi rem bonam facit illam meliorem; nam sive res, quæ promittitur, sit præcepta, sive non, semper vovere illam est actus supererogationis, & opus consilii; Unde ceteris pari-

Q

bus



bus magis meritorium est facere opus ex voto, quam sine illo; Nam jejunium, exempli gratia, cum voto est actus religionis simul, & abstinentiae; ubi sine voto esset solum actus abstinentiae: Unde dixit Divus Anselmus lib. de similitud. cap. 84. *Plus est dare arborem cum fructibus, quam solos fructus.*

VIII. Porro differt Votum a Jramento promissorio; Etenim, ut diximus art. 6. num. 10. vinculum voti fortius est vinculo juramenti: Votum fert promissionem Deo factam de aliquo faciendo, & ideo, si id non fiat, peccatur contra religionem, & contra fidelitatem Deo debitam; juramentum promissorium fert invocationem Dei in testem voluntatis praesentis de aliquo faciendo, unde si id postea non fiat, solum peccatur contra reverentiam Deo debitam, atque adeo contra religionem, ut notavimus etiam quaest. super. ex D. Th. 2. 2. quaest. 89. art. 8.

IX. Quaritur secundo; An votum invalidum per ratificationem revalidetur?

Respondeo distinguendo; nam vel ratificans scit, aut credit, votum, quod emisit, fuisse invalidum, & certe per ratificationem revalidatur; vel id ignorat, & non revalidatur; nam per ratificationem confirmatur prius votum, quod si fuit nullum, & ignoratur, solum confirmatur votum, prout fuit prius emisum; & sic non revalidatur. Quod si quis dubitet, an ratificando votum, quod ignorat fuisse invalidum, voluerit solum illud confirmare, an novum emitte, ex Sanchez, & Bonac. apud Trull. l. c. distinguendum est, nam si sciat, vel probabiliter opinetur se conscium fuisse prioris voti invalidi, praesumitur voluisse illud solum confirmare; secus vero praesumitur voluisse novum votum emitte.

X. Quaritur tertio; Quotuplex sit votum?

Respondeo, dividi primo in Personale, ut peregrinandi; Reale, ut dandi eleemosynam; & Mixtum, ut peregrinandi, & aliquid offerendi. Secundo, in Temporale, ut servandi castitatem per annum, & Perpetuum. Tertio, in Expressum, & Tacitum, ut est votum castitatis emissum in susceptione Ordinis Sacri. Quarto, in Simplex, & Solemne, quod scilicet cum solemnitate quadam fit, verbi gratia cum traditione proprii corporis, & libertatis acceptata; Tale est votum religionis in professione; & votum castitatis in susceptione Ordinis Sacri; & utrumque habet irritare matrimonium; quod etiam irritat votum simplex castitatis emissum in religione approbata, puta in Societate. Dicitur tamen hoc votum simplex, quia quamvis religiosus offerat se in perpetuum religioni, haec tamen non se obligat ad illam retinendum, si delinquat. Quinto, dividitur in Reservatum, & non reservatum. Sexto, in Absolutum, & Conditionale; Quod etiam subdividitur in Pœnale, ut si voveas te non blasphematurum sub pœna jejunandi; & non pœnale, ut voveo peregrinationem, si pater consentiat.

XI. Rogabis, Num hujusmodi votum pœnale includat duo vota, videlicet & non blasphemandi, & simul jejunandi in casu blasphemiae, an vero hoc secundum tantum?

Respondeo, hoc dependere ex intentione voventis, ut plurimum autem utrumque vovetur. Eodem modo si quis vovet sub pluribus conditionibus, pendet ex intentione voventis, num una tantum purificata, teneatur ad votum, an vero purificatis omnibus. Si tamen non constet de intentione, tunc si conditiones sint appositae copulative per particulam, *Et*, non tenetur, nisi purificatis omnibus; Secus vero si



sint appositæ disjunctive per particulam, *Vel*, quia verba accipienda sunt juxta propriam significationem.

## ARTICULUS II.

## De Materia, &amp; Obligatione Voti.

- I. Quando materia voti partim est apta, partim inepta, vovens ad nihil tenetur, si utramque materiam vovit per modum unius; secus si per modum plurium.
- II. Quamdiu differri possit voti adimpletio, præsertim si sit de Religione ingredienda?
- III. Num possit emitti votum cum intentione, quod solum obliget sub levi in materia gravi, & sub gravi in materia levi?
- IV. Quandonam materia levis ex circumstantia evadit gravis?
- V. Num peccet graviter, qui sepe violat votum in materia levi?
- VI. Peccatne mortaliter, qui eodem die violat plurima vota diversa, quorum singula sunt de re levi?
- VII. Cessat voti obligatio, facta, aut deprehensa notabili mutatione, qua si fuisset prævisa, votum non fuisset emissum.

I. **Q**uæritur primo, Quando materia partim est apta voto, partim inepta, obligatne votum ad partem aptam, an simpliciter non obligat? Verbi gratia, si voveas ducere Bertam meretricem, quamvis ad matrimonium non tenearis, cum non sit de meliori bono, tenerisne tamen ad meretricem illam ducendam, posito quod velis nubere?

Respondeo, ut dicemus in de Sponsalibus, quod quoties materia partim est apta voto, partim inepta, toties si votum respicit materiam per modum unius indivisibilis, est simpliciter invalidum; si vero respiciat materiam

divisibiliter, tunc vovens tenetur ad solam illam partem materiæ, quæ est apta voto: Verbi gratia, qui vovit jejunium crastinum, si possit jejunare solum usque ad vigesimam horam, ad id non tenetur, quia jejunium vovetur per modum unius indivisibilis; Si vero voveat jejunare totam Quadragesimam, & solum possit octo dies jejunare, ad id tenetur; quia jejunium quadragesimale vovetur divisibiliter. Idem dicas in casu adducto, nam si quis voveat ducere meretricem per modum unius voti indivisibiliter, & absolute, tunc votum est simpliciter nullum; unde si vult nubere, potest cum qualibet nubere; si vero votum sit per modum plurium, itaut absolute voveat nubere, & simul conditionate voveat, quod si nubat, non nisi meretrici nubet, tunc quamvis prius votum absolutum sit nullum, unde simpliciter non reneatur nubere, tamen quia secundum conditionatum est validum, tenetur, si vult nubere, ducere meretricem: ita Suar., Bonac., & alii.

II. Quæritur secundo; Quandonam votum obliget?

Respondeo, obligare pro tempore præfixo ex intentione voventis: Quod si nullum tempus præfigatur, obligat quamprimum commode impleri possit; nam Deuter. 23. dicitur: *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requireret illud Dominus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.*

Difficultas tamen est, quandonam mora dicatur notabilis, itaut ad mortale pertingat?

Respondeo, quod quando nullum tempus præfixum est a vovente, aliter discurrendum sit de votis, quæ per dilationem patiuntur diminutionem, ( ut est, verbi gratia, votum ingrediendi religionem, aut serviendi hospitali toto vitæ tempore, nam quo longius differtur voti adimpletio, eo minus vovens vivit in religione, &



fervit hospitali) & aliter discurrendum de votis, quæ per dilationem non patiuntur diminutionem, ut est, verbi gratia, votum peregrinationis Romanæ.

In his postremis votis, quando per dilationem non incurritur periculum omittendi votum omnino, quamvis Pal. putet non esse mortale moram duorum, triumve mensium tantum; at probabile etiam est, quod docet Tambur. cap. 12. §. 3. quamcunque moram esse tantum veniale; & ex Bonac. ne veniale quidem, si rationabilis causa differendi intercedat; Verbi gratia, si credatur votum adimplendum postmodum cum majori devotione. Ratio est, tum quia quoties ex dilatione nullum patitur damnum creditor, dilatio non est damnanda de gravi errore, sed solum de negligentia levi; tum etiam quia qui votendo nullum tempus præfixit, videtur solum se obligasse ad rem quocumque tandem tempore ponendam. In primis vero votis Pal. putat dilationem sex mensium esse mortale; alii vero cum Ledesm. dilationem trium annorum. Tambur. tamen verius putat, attendendam esse ætatem votentis, nam si hic agat quindecim annos, non videtur longa dilatio trium, vel quatuor annorum, quia cum homines soleant statum vitæ assumere circa quindecim, vel viginti annos, non videtur renunciasse huic modo, & tempori consueto assumendi statum vitæ, qui nullum tempus voto præfixit: Quod si votens esset, verbi gratia, quadraginta annorum, dilatio sex mensium videtur notabilis.

III. Quæritur tertio, An votum de re gravi possit obligare sub levi ex mera intentione votentis?

Respondeo, multos negare cum Sot., Vasq., Pont.; sed Suar., Sanch., Pal. tom. 3. tract. 15. affirmant; quia cum obligatio votentis dependeat ab

ipsiusmet voluntate, poterit ad libitum obligare se sub levi, dummodo id exprimat. Quamvis autem votens rem gravem possit ad arbitrium obligare se sub levi; non potest tamen viceversa votens rem levem obligare se ad illam sub gravi, ut communiter docent contra Sayr., & Fagund. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 50. Ratio est, quia sicut non potest Legislator obligare sub gravi in materia levi, ut probat Sanch. lib. 1. cap. 40. ita nec votens.

IV. Notandum tamen, quod aliquando materia levis possit ex circumstantia adjuncta esse gravis; verbi gratia, si ex omissione illius cesset magnus honor Dei; sic qui vovet dare carolenum pro Missa celebranda, peccat mortaliter, si illum non det; secus vero si voveat dare carolenum pauperi; Sic peccat mortaliter, qui non adimplet votum visitandi aliquam Ecclesiam ad lucrandam indulgentiam pro defunctis; Et qui semel non adimplet votum sumendi Eucharistiam, ut notant Sanch., & Bonac.

V. Rogabis, an peccet mortaliter, qui sæpe violat votum de re levi? Verbi gratia, qui vovit quotidie per annum recitare Pater, & Ave, aut dare parvam elemosynam?

Respondeo cum iisdem Doctoribus apud Trull., quod si hæc vota sint affixa singulis diebus, itaut elapso die cesset obligatio, nunquam eorum violatio pertinet ad mortale; quia innumera venialia non faciunt mortale; si vero dies appositus est, ne ultra illum differatur executio, non obligatio voti, tunc ommissio erit mortalis, quando materiae leves pertingunt ad quantitatem notabilem, ut dicitur de furtulis iteratis.

VI. Rogabis secundo, An peccet mortaliter, qui plura vota de re levi emisit quotidie implenda, si eodem die omnia violavit; Verbi gratia, qui



## ARTICULUS III.

Quonam pacto tolli possit obligatio Voti per dispensationem?

qui vovit recitare Ave pro Sancto Antonio, & aliud Ave pro Sancto Francisco, & sic pro centum aliis Sanctis, si uno die omittat recitare hæc centum Ave, quæ debet pro centum votis emissis, peccabit ne mortaliter, an solum committet centum venialia?

Respondeo cum iisdem Doctoribus, quod peccet mortaliter. Ratio est, quia illa vota sunt ejusdem rationis, & obligant pro eodem tempore ex virtute, & præcepto religionis; ergo si simul violentur, violatur præceptum religionis in re gravi, atque adeo committitur mortale; Sicut peccat graviter qui eidem debet magnam pecuniæ summam ex multis promissionibus, & donationibus, singulis de re modica, si illam non solvat.

VII. Quæritur quarto, An cesset obligatio voti, facta notabili mutatione rei promissæ, quæ si prævisa fuisset, votum non fuisset factum?

Respondeo, hanc regulam communiter tradi a Doctoribus apud Sanch. lib. 4. cap. 2., & Trull. dub. 8., quod id liberet a voti, vel juramenti obligatione, quod si a principio accidisset, vel notum fuisset, impedisset ne votum, aut juramentum emitteretur. Ratio est, tum quia votum non obligat ultra voventis intentionem; voventis autem non præsumitur habuisse voluntatem obligandi se superveniente, aut de novo cognita tali mutatione notabili; tum etiam quia votum censetur factum sub hac tacita conditione, nisi scilicet superveniat notabilis mutatio, aut de novo appareat: etenim in casu nostro idem est de novo apparere, ac de novo esse.

- I. Potest Episcopus in omnibus votis suorum subditorum dispensare, nisi expresse a Pontifice nonnulla reserventur; ut de facto quinque reservantur Pontifici.
- II. In dubio an votum sit Pontifici reservatum, potest dispensare Episcopus; sicut etiam in dubio an egeat dispensatione.
- III. Pariter potest Episcopus in votis Pontifici reservatis dispensare in casu necessitatis, quando periculum gravis damni esset in mora.
- IV. Sicut etiam probabiliter id potest, si votum reservatum sit emissum ex metu levi; Aut si votum castitatis sit ad tempus, aut non sit perfecta castitatis.
- V. Potest Episcopus dispensare in voto penali castitatis relate ad poenam, quæ est accessoria; Et in voto suscipiendi Ordines Sacros.
- VI. Facta a Pontifice commutatione Voti sibi reservati, potest Episcopus dispensare in materia subrogata.
- VII. Si votum sit disjunctivum, antequam eligatur pars reservata, potest in illo Episcopus dispensare.
- VIII. Potest etiam dispensare in differenda executione voti Religionis; & in voto ingrediendi Ordinem Militarem, dempto Ordine Sancti Joannis Hierosolymitani.
- IX. Pariter dispensare potest in votis factis in favorem alterius, si nondum sunt acceptata; Si tamen sint acceptata, tunc solum probabiliter potest dispensare, quando emissæ sunt principaliter in honorem Dei, & secundo in favorem alterius.
- X. Iidem vota reservata, si sint conditionata, ( & probabiliter etiam post



post conditionem purificatam) dispensari possunt ab Episcopo.

XI. Habens potestatem commutandi vota, aut in iis dispensandi, potest illam secummet exercere.

XII. Habens facultatem dispensandi in votis num possit eatenus iuramentum relaxare?

XIII. Quenam dicatur causa iusta ad dispensandum in votis?

I. Diximus in 6. art. quaestionis superioris, multifariam posse tam impediri, quam tolli iuramenti obligationem; quae omnia iuramento pariter, & voto communia sunt. Quare hic solum inquirimus de votorum dispensatione.

Quaeritur itaque primo, In quibusnam votis possit Episcopus dispensare?

Respondeo, praeter ea, quae diximus loc. laud. de Iuramento, Episcopum posse in sua Diocesi dispensare in omnibus votis, in quibus potest Papa in toto Orbe, nisi ab illo specialiter aliquod sit reservatum; Et ratio est, quia habet in suas oves potestatem ordinariam sibi a Christo Domino concessam per illa verba dicta Petro Matth. 16. *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Caelis*: Quia tamen Episcopus potestatem hanc habet subiectam Pontifici, ideo potest Pontifex aliquorum votorum dispensationem sibi reservare: Et de facto reservavit illa quinque castitatis, & Religionis, & trium peregrinationum, Romanae, Hierosolymitanae, & Compostellanae; Quamvis autem Tabien., & alii putent, haec tria posse ab Episcopo dispensari, quando facta sunt causa devotionis, & non in subsidium; Contrarium tamen universali Ecclesiae consuetudine est receptum. Quia tamen reservatio est odiosa, eo quod deroget potestati ordinariae Episcoporum, ideo stricte est interpretanda.

II. Hinc sequitur primo, si du-

bio, an votum sit Papae reservatum, iudicandum non esse reservatum; non secus ac dum dubitatur, an casus aliquis sit reservatus, ut notat Dian. part. 4. tract. 3. resol. 59. Et eodem modo si dubium sit, an res egeat dispensatione Papae, poterit Episcopus absolute dispensare, eo quod casus huiusmodi dubius non sit reservatus.

III. Sequitur secundo, posse Episcopum in iis dispensare in casu necessitatis, quando scilicet non patet facilis aditus ad Papam, & ex mora est periculum incontinentiae, aut gravis scandali, aut damni; non enim censetur mens Pontificis velle votum reservare cum tanto periculo; Verbi gratia, si quis astrictus voto castitatis, aut religionis velit ducere sceminam a se defloratam, & si expectetur dispensatio a Papa, ingens periculum habeatur mutationis voluntatis, aut impediendi matrimonii, unde deberet illa puella manere sine remedio cum honoris iactura; vel si esset periculum, ut ille moreretur absque proli legitimatione, vel cum animae periculo.

IV. Sequitur tertio ex Less. lib. 2. cap. 40. num. 106., Navar., Bonac., & aliis contra Sanch., & Suar., posse Episcopum in iis votis dispensare, si ex metu levi sint emissa; quia cum reservatio sit odiosa, strictam patitur interpretationem, adeoque intelligenda est de votis cum plena libertate emissis, & perfectis. Hinc ex Sanch., & Bonac. potest etiam dispensare in voto castitatis facto ad tempus, verbi gratia, per octo annos; & in voto solum non nubendi, non fornicandi, necnon si votum emissum sit cum intentione obligandi se sub levi, & in voto castitatis emisso a conjugibus post consummationem matrimonii; Cum enim hic teneatur reddere debitum, consequenter votum non est perfectae castitatis: si tamen votum sit emissum ante matrimonium, eo inito,



poterit solum Episcopus dispensare ad petendum debitum, etiam ante consummationem matrimonii ex consuetudine legitime praescripta, ut notat Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 12.

V. Sequitur quarto, posse Episcopum etiam dispensare in iis, si sint annexa tanquam quid accessorium Voto principali non reservato; Verbi gratia, si quis voveat non ludere sub poena castitatem servandi. Contra vero si quis voveat, verbi gratia, castitatem sub poena jejunii, Episcopus non poterit dispensare in voto principali castitatis, poterit tamen in hoc voto poenali jejunii. Eodem modo poterit Episcopus dispensare in voto assumendi Ordines Sacros; quia votum castitatis iis annectitur accessorie; unde si fornicaretur, qui vovit suscipere Ordines Sacros, non esset sacrilegus, & si matrimonium iniret, peccaret quidem, sed posset debitum petere.

VI. Sequitur quinto, quod si Papa commutat votum reservatum castitatis in materiam non reservatam, puta in jejunia, poterit Episcopus in his dispensare; Neque obstat, quod subrogatum sapiat naturam ejus, pro quo subrogatur, ut docent communiter Canonistae: Nam hoc procedit quoad intrinseca, ita scilicet ut ejusdem ponderis sit, non quoad extrinseca, sicut est reservatio, ut notant Sanch., & Bonac.

VII. Sequitur sexto, quod quando votum disjunctive emittitur, & una tantum pars est reservata, possit Episcopus in eo dispensare, antequam vovens eligat partem reservatam; ut si quis voveat vel castitatem, vel servit in Xenodochio.

VIII. Sequitur septimo, posse Episcopum dispensare in differenda executione voti religionis; quia hoc non est dispensare in substantia voti: Sicut potest etiam commutare votum religionis arctioris in religionem minus arctam; Potest etiam commutare

votum ingrediendi Ordines militares, excepto Ordine Sancti Joannis Hierosolymitani, quia probabiliter hic unus est vera religio, non vero alii Ordines militares, quippe qui vovent castitatem conjugalem; quicquid in contrarium sentiat Navar., & Covar. apud Sanch.

IX. Sequitur octavo, posse Episcopum dispensare in votis in favorem tertii emissis, si nondum sint acceptata; quia sic nulli fit injuria. Ubi nota, quod quamvis probabile sit, juramentum additum promissioni nondum acceptatae non indigere relaxatione; ( quia, ut notat Less. lib. 4. cap. 42. num. 22., promissio habet hanc tacitam conditionem, si scilicet valide acceptetur; cum ergo juramentum sequatur naturam actus, cui additur, inde fit, ut sicut promissio ante acceptationem non obligat, ita nec juramentum ) nihilominus votum additum promissioni nondum acceptatae, immo & ipsum juramentum, si fiat per modum voti, obligat etiam ante acceptationem ex virtute religionis, ut notat idem Less. cap. 17. num. 52., quia scilicet est promissio facta Deo dandi, verbi gratia, aliquid pauperi.

Utrum autem quando vota, & juramenta hujusmodi sunt acceptata, possint ab Episcopo dispensari? Diximus cum de juramento ex Tambur., & aliis probabiliter dispensari, & commutari posse, quando principaliter facta sunt in obsequium Dei, & minus principaliter in favorem tertii: & idem Fagund. apud Tambur. docet, quod etiam propria auctoritate possint in melius commutari. Quam doctrinam Sanch. lib. 4. cap. 41. num. 16. admittit, si votum praecise fiat in honorem Dei, non respiciendo, ne secundo quidem, utilitatem pauperis, aut loci pii acceptantis promissionem.

X. Se-



X. Sequitur nono, Episcopum dispensare posse in quinque illis votis reservatis, quando sunt pœnalia, & conditionalia, eo pacto, quo explicavimus, dummodo conditio non sit de preterito, aut de præfenti, sed de futuro, itaut ab illa dependeat obligatio voti, & hæcenus remaneat suspensa: Nec solum dispensari possunt ante purificationem conditionem, sed etiam post illam. Ita Sanch. lib. 8. de Matrim. disp. 10. & alii apud Trull. contra Navar., qui putat nec ante, nec post conditionem purificationem dispensari posse, & contra Less., Suar., & Bonac., qui putant ante purificationem conditionis dispensari posse, non post illam, quando jam evaserunt absoluta. Ratio nostræ doctrinæ est, quia quamvis purificata conditione obligatio sit absoluta, tamen radix, & origo talis obligationis fuit imperfecta quædam voluntas ponendi rem promissam, verbi gratia castitatem, utpote pendens a futuro eventu conditionis. Quare cum reservatio sit odiosa, restringenda est ad ea vota, quæ ex amore perfecto, & absoluto castitatis verbi gratia, aut religionis, emissa sunt; Qui autem vovet castitatem, si luserit, si convalescerit, videtur magis amare negationem lusus, & sanitatem, quam ipsam castitatem.

XI. Quæritur secundo, Utrum qui habet potestatem generalem dispensandi in votis aliorum, possit pariter secum ipse eandem potestatem exercere, aut dare facultatem alteri, ut secum dispense?

Respondeo affirmative cum Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 3., Bonac., Henr., Trull. disp. 1. Ratio est, quia

hic actus est jurisdictionis gratiosa, non contentiosa, & ideo non repugnat exerceri in seipsum, aut alteri delegari; cum possit idem propter diversas rationes esse agens, & patiens.

XII. Quæritur tertio, Num habens facultatem commutandi, aut dispensandi in votis, possit pariter commutare, aut relaxare juramenta?

Respondeo cum Suar., Sanch., & aliis contra Less., Azor., Bonac. apud Trull. disp. 41. affirmative; quia quamvis specie differant vinculum voti, & juramenti in rigore metaphysico; at vinculum moraliter omnino conveniunt, quia utraque obligatio oritur ex virtute religionis, & utriusque Deus solus est creditor; Unde secundum se qui potest in votis dispensare, potest etiam juramenta relaxare, nec non vota jurata, si non sint in præjudicium tertii. Notandum tamen, quod in nostris Privilegiis V. *Confessarius* §. 6. differre habetur, Confessarios Societatis solum relate ad Nostros relaxare posse juramenta sine præjudicio tertii.

XIII. Denique diximus cum de Juramento, causas justas ad dispensandum in votis, aut juramentis esse universim utilitatem Ecclesiæ, honorem Dei, utilitatem, & fructum spirituales voventis, imperfectam de liberationem in voto emittendo, metum etiam levem incussum ad extorquendum votum, dubium de obligatione voti, notabilem difficultatem supervenientem, & alia hujusmodi ad arbitrium prudentis; quæ si quando ad dispensationem non sufficiunt, saltem sufficere possunt ad commutationem.



# Q U Æ S T I O IX.

## De tertio Decalogi Præcepto

### *Diem Sabbati sanctifices.*

**I**N primo, & secundo præcepto prohibita sunt, quæ a vera Religione abducunt, ut est Idololatria, Infidelitas, &c.: In tertio præcipitur, quod ad veram religionem perducit; ad quam pertinet signo externo cultum vero Deo exhibere, ut notat D. Th. 2. 2. quæst. 122. art. 4. in gratitudinem beneficiorum, quæ ab eo recipimus. Per sanctificationem autem Sabbatorum præcipitur sanctificatio festorum, quæ ab Ecclesia determinantur, hoc est a Pontifice pro toto orbe, & ab Episcopo pro sua Diœcesi cum consensu Cleri, seu majoris partis Capituli, & cum consensu populi, seu populo non contradicente, ut notat Tambur. ex consuetudine legitime introducta; Quæ etiam a Regularibus observanda sunt, & quidem ab omnibus sub mortali. Damnatur enim ab Innoc. XI. prop. 32. dicens: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, sepositio scandalo, si absit contemptus.* Quomodo autem sanctificanda sint festa? Varii varia. Certum est præcipi primo auditionem Sacri; Secundo, abstinentiam ab operibus servilibus; Tertio, abstinentiam ab aliis operibus forensibus; Quarto, observationem jejuniorum, quæ instituta sunt in vigiliis aliquorum festorum in honorem Christi Domini, Deiparæ, & Sanctorum; Aliqui ulterius cum Angelo contendunt, diebus festis eliciendos esse actus dilectionis Dei, & contritionis peccatorum, & audiendam esse concionem, & horas Canonicas, saltem vespertinas, faciendas esse oblationes, orandum, vacandum Deo, eoque fruendum, adeo ut speciali obligatione teneantur fideles abstinere die festo a peccatis; unde qui, verbi gratia, fornicatur, duplex peccatum committat, alterum contra observationem festorum, seu contra religionem, alterum contra specialem virtutem, nempe contra castitatem. Sed communiter rejiciuntur; quamvis enim finis præcepti de abstinendo ab operibus servilibus sit, ut facilius Deo vacetur; at finis præcepti non cadit sub præceptum. Et idcirco qui audita missa toto die confabularetur, aut luderet, non peccaret specialiter contra præceptum diei festi; quamvis forte peccaret otiose tempus terendo. Quare hic de his dumtaxat, quæ præcipiuntur, agendum. Et primo, de Abstinentia ab operibus servilibus. Secundo, de forensibus. Tertio, de obligatione audiendi missam. In quæstione autem sequenti agemus de Jejunio.



## ARTICULUS I.

## De Abstinencia ab operibus servilibus die festo .

- I. Non est speciale peccatum die festo peccare, & diabolo inservire; sed est peccatum opera servilia exercere. Sunt autem servilia opera non solum qua a servis communiter exerceri solent, sed etiam qua servis, & liberis solent esse communia, ita ut usus, & consuetudo habeat pro servilibus.
- II. Prohibentur servilia, etiamsi gratis, & sine labore exercentur; & permittuntur liberalia, etiamsi ob stipendium, & cum labore fiant.
- III. Permittitur transcribere etiam notas musicas, non tamen lineas his notis subiectas ducere. Licitum etiam est Typographo characteres ordinare, rationes dari, & accepti facere, & transcribere.
- IV. Probabiliter licet etiam delineare, & sine magno apparatu pingere; Immo etiam acu pingere.
- V. Permittitur etiam probabiliter piscari, & venari sine magno apparatu, ac labore.
- VI. Pariter permittuntur preliationes, artes militares, & ars digladiandi.
- VII. Ars sculptoria censetur servilis, sive in ligno, sive in marmore, aut creta sculpatur.
- VIII. Licitum est iter facere etiam in lectica, qua portetur ab hominibus.
- IX. Non licet ducere jumenta, aut currus onustos, si cum magno labore onera eis imponenda sunt. Qui vero comitantur jumenta onusta, raro peccant mortaliter; quia raro ultra spatium duarum horarum imponendis operibus laborant.
- X. Idem dicendum de iis, qui ducunt animalia, qua in pistrino molunt,

ac de iis, qui exercent opus distilandi; aut frumentum cribro eventilatum manibus purgant.

XI. Num liceat Infidelibus inungere die festo opera servilia?

I. **Q**uæritur primo; Quænam regula assignari possit ad dignoscendum, num opus aliquod sit servile, an liberale?

Respondent communiter, triplex genus operum dari; Aliqua, quæ proxime, & immediate tendunt ad corporis utilitatem, & commodum, & a servis exerceri solent; ut terras colere, fabricare, cibaria præparare, sculpere, imprimere, &c., & universim omnia opera artium mechanicarum: Aliqua, quæ proxime, & immediate tendunt ad mentem instruendam, & communiter a liberis, & nobilibus exercentur; ut legere, scribere, concionari, docere, & quæ ad artes liberales pertinent; ut cantare, saltare, instrumenta musica pulsare, &c.: Alia demum, quæ communia sunt liberis, & servis, ut iter facere, piscari, venari, &c. Certum est, opera illa primi generis prohiberi; Leviticum enim 27. dicitur: *Omne opus servile non facietis in eo.* Certum proinde etiam est, opera secundi generis liberalia permitti. Circa opera tertii generis, regula ad dignoscendum, num sint servilia, & prohibeantur, est ipse usus, & consuetudo; Si enim usus, & consuetudo opera habeat pro servilibus, ea vetantur; secus vero si habeat pro liberalibus, ut notat Tambur. lib. 8. cap. 3., quia servitus, & ignobilitas operis ab ipsa hominum existimatione comprobanda est.

II. Hinc sequitur primo, opera servilia prohiberi, etiamsi gratis, & ob finem honestum, & sine labore exercentur: Sicut econtra permitti liberalia, etiamsi exercentur propter stipendium, & cum defatigatione.

III.



III. Sequitur ſecundo, licitum eſſe die feſto tranſcribere, etiam lucri gratia, ut communiter docent contra Azor., Navar., & alios; quia, ut notat Pal. diſp. 2. punct. 5., talis actio immediate deſervit animæ, non corpori; ordinatur enim ad exprimendos mentis conceptus: Et propter eandem rationem licet ex Tambur. ſcribere, & tranſcribere notas muſicas, non tamen ducere lineas iis notis ſubjectas, quia id mechanicum eſt, & eſt apparatus ad ſcribendum. Licitum eſt etiam Typographo characteres ordinare, ſeu componere, quamvis non exprimere torculari, ut notat Laym. cum Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 62. contra Pal. Item licet rationes dati, & accepti facere, & tranſcribere.

IV. Sequitur tertio probabiliter ex Laym., Pelliz., & aliis apud Tambur., licitum eſſe delineare, deſignare, & pingere; (dummodo id fiat ſine magno apparatus, videlicet miſcendo colores, eſtormando pennicillos, &c.) probabiliter etiam ſœminis licet acu exemplaria excipere, quod eſt acu pingere. Ratio eſt, quia pictura ſcripturæ ſimillima eſt; quamvis ſcriptura exprimat mentis conceptus, pictura vero rerum imagines: Qua de cauſa communior ſententia apud Pal. loc. cit. picturam inter ſerviles artes recenſet; quia ſcilicet non exprimit conceptum, ſed rem per conceptum præſentatam, non ſecus ac ars fabrilis; unde probabiliter eſt, non eſſe licitum pingere die feſto; præſertim ſi in pictura ignobili magis corpus, quam mens occupetur.

V. Sequitur quarto, probabiliter ex Navar., Gran., Medin., & aliis apud Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 222. contra Suar., & Fagund. licitum eſſe piſcari, aucupari, & venari; (dummodo non intermiſceantur opera ſervilia; ut ſunt reficere retia, compone-

re eſcas, hamos, & magna retia, ſeu ſciabbicas cum magno niſu, & piſcatorum labore longo tempore attrahere) Et ſane Tolet., Cajet., & Sot. apud Tambur. cap. 2. num. 23., quamvis putent piſcationem, aucupationem, & venationem eſſe opera ſervilia, cenſent etiam ex conſuetudine ſcientibus, & patientibus Prælatiſ permiſſi; quamvis Tambur. putet conſuetudinem iſtorum eſſe, dummodo fiant ſine magno apparatus, ut diximus.

VI. Sequitur quinto, idem dicendum de præliationibus, ex Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 229. (quamvis hæc fere ſemper liceant ratione neceſſitatis) necnon de exercitationibus militaribus tempore pacis. Ratio eſt, quia parum habent de opere ſervili, & conſuetudo eas permiſſit: Sicut etiam permiſſit artem digladiandi; quamvis Fagund. contra Granad. putet eſſe artem mechanicam.

VII. Sequitur ſexto, Artem ſculptoriam, ſive ſculpatur in marmore, aut in metallo, creta, ligno, &c., eſſe ſervilem, & mechanicam, cum ſic uſus interpretetur.

VIII. Sequitur ſeptimo, licitum eſſe iter facere pedibus, equo, navi, curru, lectica ſive ab equis, ſive ab hominibus delata; quia iter facere vel non eſt opus ſervile, ut putant Suar., Azor., & alii communiter, ſed liberale; cum ſit actio naturalis conſiſtens in quadam corporis ſituatione, & exercitatione; Vel ſi opus eſt ſervile, ut putant Cajet., & Sot., conſuetudine viatores excuſantur.

IX. Certum tamen eſt, eſſe opus ſervile, & prohibitum ducere currus onuſtos, & naves mercibus onuſtas, necnon animalia onuſta, quando cum magno labore imponenda ſunt onera curribus, & jumentis. Verum ob approbatam conſuetudinem excuſantur muliones, qui die feſto jumentis oneratis, iter ante diem feſtum ince-



ptum non intermittunt : Necnon qui iter incipiunt die festo , postquam Sacerdo interfuerunt , comitantibus mulis onustis supellectili, viaticis, &c. Immo Dian. part. 1. tract. 1. resol. 36. putat, raro in praxi dictos muliones peccare mortaliter, quia in iis oneribus ligandis, vel imponendis tempus notabile non infumunt; unde ratione parvitatıs materia a mortali excusantur; Docetque ibidem cum Filiiuc. , spatium duarum horarum non esse tempus notabile. Rodriq. demum apud Trull. excusat huiusmodi muliones, qui hoc habent ex officio, tum quia concurrere videtur aliqua necessitas, & utilitas Reipublicae; tum quia ita consuetudine est receptum.

X. Idem dicendum de iis, qui utuntur pistrino; nam ubi necessitas, vel consuetudo habetur, procul dubio licet molere: Si autem necessitas, aut consuetudo absit, ex Sanch. licitum est molere mola, quae vento, vel aqua circumagitur, quia id sine labore hominum fit; Negat vero licitum esse molere pistrino, seu mola, quae ab animantibus circumfertur, quia in eo magnus labor, & occupatio haberi solet. Quare bene Tambur. docet, quod si quando animal est tam bene instructum, ut sine notabili hominis ministerio suum munus obeat, die festo pistrino molere non sit mortale, Necus vero si saepius equus sit alligandus, & solvendus, aut si cum eo male instructo saepe incedendum sit, stimulando illum voce, & baculo, vel si mola non raro sit obvertenda, quia sic labor servilis non modicus intercederet.

Propter eandem rationem Filiiuc. excusat opus distillandi aliquod simplex, vel mixtum, si in eo exigua corporis fatigatio impenditur. Et Tambur. non audet damnare foeminas, quae frumentum cribro jam eventilatum manibus purgant a quibusdam mi-

nutis ramentis, cum modicissima applicationis sit talis occupatio; unde etiam recreationis causa ab honestis foeminis excipi solet.

XI. Quaritur secundo, An sicut licitum est animanti injungere die festo opus servile; ita liceat idem injungere Turcis, & aliis, qui Ecclesiae legibus non subduntur, eo modo, quo licitum est iisdem ministrare carnes die veneris?

Respondeo, nonnullos apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 7. negare; quia non videtur diem festum more humano sanctificare, qui quamvis ipse quiescat, servis tamen ratione utentibus opera servilia injungit; unde quamvis non peccet infidelis, qui ea opera exercet, peccat tamen fidelis, qui illum ad ea inducit. Verum quia Laym. lib. 1. tract. 4. cap. 9. concedit perpetuo amentibus posse opera servilia injungi diebus festis, putat Dian. loc. cit. & Tambur. non improbabiler, quod propter parem, immo majorem rationem, possint eadem infidelibus injungi, ut diximus quaest. 1. art. 3. Quibus autem de causis opera servilia aliquando liceant die festo, dicemus art. sequenti.

## ARTICULUS II.

De Operibus forensibus vetitis die festo.

- I. Prohibetur die festo Mercatus, Judicium forense, & Juramentum.
- II. Nomine mercatus veniunt Nundinae universales, & particulares, necnon actus mercandi. Quid tamen permittitur ex consuetudine?
- III. Nomine Judicii forensis venit strepitus judicialis; ita ut actus judiciales sint invalidi, nisi necessitas, aut pietas aliud suadeat.
- IV. Sententia excommunicationis nec irritatur, nec prohibetur; Sicut neque



que alia sententia, & actiones, qua  
strepitum judicalem non requirunt:  
Probabilis tamen licita est Appel-  
latio.

V. Nomine Juramenti, quod prohibetur  
die festo, venit juramentum judi-  
ciale, quod fit pro rebus tempora-  
libus.

VI. Pluribus de causis aut licent opera  
forensia, ac servilia die festo, aut  
non est mortale ea exercere; Prae-  
sertim ratione necessitatis, consue-  
tudinis, dispensationis, aut parvi-  
tatis materia.

VII. Quid de sutoribus laborantibus die  
festo?

VIII. In dubio an detur necessitas, aut  
consuetudo approbata, petenda est  
dispensatio: Secus tamen si proba-  
bile sit dari necessitatem, aut con-  
suetudinem, & scandalum vitetur.

IX. Est sufficiens causa excusans timor  
gravis damni, & amissio ingen-  
tis lucri.

X. Num possit quis ad otium vitandum  
laborare, saltem ad sublevandam  
alicujus gravem necessitatem? Num  
possint ea fieri die festo, qua ad cul-  
tum divinum spectant?

XI. Quanam sit parvitas materiae in o-  
peribus servilibus; quanam in fo-  
rensibus, qua a mortali excuset?

XII. Plurimi ex consuetudine a Docto-  
ribus excusantur. Quid de barbi-  
tonforibus, & sutoribus? Quid si  
de consuetudine dubitetur?

XIII. Demum excusat dispensatio, quam  
data justa causa potest etiam Vica-  
rius Generalis ex speciali mandato  
concedere; Immo etiam Parochus;  
qui potest etiam in jejuniis dispen-  
sare. Praelati Regulares dispensare  
possunt cum subditis suis, non cum  
famulis secularibus.

I. **Q**uæritur primo, Quanam ope-  
ra forensia die festo prohi-  
beantur?

Respondeo, in cap. *Omnes dies*,  
*de feriis*, prohiberi sub hoc genere  
mercatum, judicium forense, & ju-  
ramentum; quia quamvis istæ actio-  
nes serviles non sint, multum tamen  
distrahunt, & impediunt vacationem  
rebus divinis.

Primo itaque prohibetur Mercatus,  
quo nomine tria possunt intelligi, Pri-  
mo, Nundinæ universales, vulgo dic-  
tæ *Fiera*; quæ semel, aut bis in an-  
no celebrari solent. Secundo, Nun-  
dinæ particulares de quibusdam rebus  
usualibus, vulgo dictæ *Mercato*, quæ  
semel, vel bis in hebdomada habentur.  
Tertio, ipse actus mercandi, id-  
est emptiones, & venditiones rerum.

II. Porro Nundinæ universales ex  
consuetudine jam recepta etiam die  
festo nunc celebrantur. Nundinæ par-  
ticulares ex Pal. alicubi non permit-  
tuntur die festo; esto in aliquibus lo-  
cis ex consuetudine permittantur; Un-  
de mos patrius servandus est. Demum  
actus mercandi, seu contractus em-  
ptionum, quamvis die festo prohibe-  
antur, tamen consuetudo magna ex  
parte hanc etiam legem abrogavit;  
quamvis hujusmodi contractus propter  
reverentiam festi soleant non quasi in  
publico fieri, sed semiclausis officina-  
rum januis, soleantque Episcopi pro-  
hibere, ne ea fiant nondum facta con-  
cione. Consuetudo itaque ubilibet ser-  
vanda est.

III. Secundo, prohibetur judicium  
forense; quod etiam dicitur Placitum,  
& Strepitus judicialis. Unde prohibe-  
tur primo citatio partis; sub qua ve-  
nit mandatum judicis de citando reo,  
& hujus mandati executio. Secundo,  
formatio processus, seu cognitio cau-  
sæ; sub qua venit interpositio jurisju-  
randi, & depositio testium. Tertio,  
sententia, & sententiæ executio tam  
in causis criminalibus, quam in civi-  
libus; itaut istæ actiones non solum  
sint illicitæ, sed etiam invalidæ etiam  
in



in tribunali Ecclesiastico; nisi tamen necessitas urgeat, aut pietas aliter suadeat; ut habetur expresse in *cap. ult. de feriis*: Verbi gratia, si expediat captum ob sceleris notorii gravitatem statim sine processu damnari; vel si periculum timeatur, ne justitia impediatur; vel si ita postulet conditio belli, aut bonum Reipublicæ: Ob quam rationem potest publice executioni mandari sententia criminalis, ut fit in tribunalibus Sanctæ Inquisitionis.

IV. Dubium est, An prohibeatur etiam, & irritetur sententia excommunicationis, suspensionis, vel interdicti?

Respondeo, communiter cum Pal. punct. 7. contra nonnullos negari; ubi tamen hujusmodi sententiæ non requirunt causæ cognitionem. Ratio est, quia solum prohibetur die festo strepitus judicialis; Et consequenter sententiæ, quæ sine strepitu judiciali feruntur, seu quæ causæ cognitionem non requirunt, non prohibentur; ut patet in absoluteione ab excommunicatione, in dispensationibus, privilegiis, provisionibus, collationibus beneficiorum, & aliis actibus voluntariæ jurisdictionis, qui permittuntur, quia sine strepitu judiciali fiunt. Licitum etiam est die festo adoptare, emancipare, manumittere, advocatum consulere, apud judicem totam causam deferre, ut ea probe cognita sententiam commodius ferat, testamenta conficere, contractus celebrare, & alia hujusmodi, quæ dictum strepitum non requirunt.

Difficultas est de Appellatione, an ea liceat die festo?

Suar., & Reginald. negant, quia pertinet ad actus judiciales; Bonac. affirmat, quia instituta est ad sui defensionem, & fit sine magno strepitu, & consuetudine jam recepta permittitur.

V. Tertio demum prohibetur jura-

mentum, hoc est judiciale; quod pro rebus temporalibus fit, non vero quod fit pro spiritualibus; ut notat D. Th. 2. 2. quæst. 89. art. 10. Unde licita sunt juramenta solemnia, & publica, quæ præstantur Inquisitoribus ab iis, qui reconciliantur; Necnon juramenta, quibus confirmantur contractus permissi die festo.

VI. Queritur secundo, Quibus de causis liceant die festo opera prohibita non solum forensia, sed etiam servilia?

Respondeo, pluribus de causis aut licere, aut non esse mortale ea peragere. Causæ autem sunt, Primo necessitas, ad quam reducitur Obedientia, Utilitas, Pietas, & Religio, seu cultus divinus. Secundo, brevitatis temporis. Tertio, Consuetudo. Quarto, dispensatio.

Primo itaque excusat necessitas sive propria, sive aliena, tam spiritualis, quam temporalis, quia Ecclesia non obligat cum tanto onere, nec requiritur, quod necessitas sit maxima, quamvis non debeat esse modica.

Hinc primo permittuntur opera servilia pauperibus, si ad se, vel suos alendos laborare debent; dummodo id fiat sine scandalo.

Secundo, licet cibos coquere, & panem necessarium conficere, ac fructus ad necessarium usum colligere: Parare autem superflua ad cibum, & potum, & ad delectationem, verbi gratia colligendo fructus eodem die, ut integriores sint, coquere quotidie panem, ut mollior vendatur, animalia excoriare, &c., permittitur non ex necessitate, sed ex consuetudine, ut notat Pal. tom. 2. disp. 1. de observatione festorum punct. 10., & Azor. tom. 2. lib. 1. cap. 27.; Quamvis communius Doctores non excusent Pistorum, qui possunt pridie festi coquere panem necessarium, si ad diem festum differant.



VII. Tertio, licet metere, vindemiam facere, ferere, arare, messem colligere, &c., quando est periculum pluviae, aut alterius impedimenti.

Quarto, licet Sutori suere vestes, quando bona fide absolvi non possunt diebus profectis, si ad usum expectant, qui eas commiserunt; Immo advertit Suar. tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 2. cap. 21., quod si quando opera servilia pridie fieri poterant, & cum culpa ad diem festum differuntur, adhuc possint deinde sine novo peccato fieri die festo, si sint necessaria.

Quinto, excusantur Pharmacopola, Medici, Chirurghi, modo conficiant medicinas pro eo die necessarias: Sicuti etiam milites, qui foveas, vel aggeres struunt, aut muros aedificant pro defensione Reipublicae; Et ferrarii, qui ferreas laminas equis imponunt ob necessitatem iter agentium; Necnon qui pontes, & vias reficiunt, quando sine magno incommodo differri non possunt: Excusantur etiam navigantes, modo non incipiant navigationem die festo sine magna necessitate, ut supra diximus de mulionibus; Qui vero navi, vel phaselo iter agunt, possunt ex consuetudine incipere navigationem die festo.

VIII. Sexto, qui ad publicam laetitiam in adventu Principis, aut ex causa victoriae, aut nuptiarum struunt theatra, arcus triumphales, libreas, &c., dummodo non potuerint praevenire; hoc enim fert ipsa etiam consuetudo. Quod si quando dubium est de necessitate, aut de consuetudine approbata, petenda est dispensatio, ut notat Sanch., quia stat in possessione praecipuum; Secus vero si probabile sit dari sufficientem necessitatem, aut consuetudinem approbatam, & scandalum declinetur.

IX. Septimo, universim licita sunt opera servilia, quoties ex illorum omissione grave damnum sequeretur,

ut accidit in decoctione calcis, vitri, laterum, saponis, & in tinctura lanae. Immo ex Leand., & aliis, coctores ferri, & vitri etiam die festo possunt tale opus incipere. Hac de causa ex necessitate potius, quam ex obedientia licitum est famulis laborare ob timorem, ne a dominis dimittantur, si non obtemperent, & sic cogantur pauperiem pati; quamvis domini id imperantes a culpa non sint immunes: Sicut etiam licitum est filiis, uxori, & aliis personis subiectis laborare, si ad id compellantur, quando renuere non possunt sine timore gravis damni, aut gravis indignationis, modo id non praecipitur in contemptum festi.

Adde ex Dian. part. 2. tract. 15. resol. 34., & Sanch. contra Suar., & Pal. etiam ea opera licere ob magnam utilitatem, videlicet si aliter ingens lucrum amitteretur; quia amissio magni lucri damnum est; & ideo permittitur piscatio halecum, tynnorum, & similium piscium, qui brevi tempore excurrunt.

X. Octavo; Quamvis raro accidat ex Pal. laborandi necessitas ad vitandum otium, quod ferat periculum peccandi; at si accidat casus, licitum est laborare: Et licet Sylvest., Sa, Pellic. apud Tambur. putent, licitum esse aequaliter laborare praecise ad otium vitandum, hoc tamen communiter non admittitur, cum possit aliis viis facile otio occurrere sine violatione praecipui. Si quis tamen ad otium vitandum velit laborare, uti posset consilio Tamburini, qui permittit laborem ad sublevandam miseriam alicujus pauperis determinati existentis in gravi necessitate, hoc est in periculo moraliter certo gravis damni sive in corpore, sive in honore, sive in bonis suis, in qua necessitate multi pauperes aegroti versantur; Vel posset laborare conficiendo ornamenta necessaria pertinentia ad cultum divinum, quibus



caret aliqua determinata Ecclesia nimis pauper. Ratio est, quia si potest pauper existens in gravi necessitate ipse pro se laborare, poterit etiam alius laborare pro ipso.

Nono, excusat necessitas ratione pietatis debita proximo; unde licitum est sepelire mortuos, inservire infirmis, vestire nudos, &c. Dubium tamen est, an sola pietas sine necessitate excuset? Affirmant Sylvest., & alii apud Sanch., & Trull. lib. 3. cap. 1. dub. 10., necnon Palat., Perez, qui apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 122. docent, licitum esse laborare die festo ad faciendam eleemosynam. Ratio est, quia si causa pietatis permittuntur die festo opera forensia, quidni & servilia? Quam sententiam Sanch. lib. 1. cap. 2. dub. 33. putat probabilem. Sed communior, & probabilior sententia est in oppositum.

Decimo, excusat necessitas ratione Religionis, seu cultus divini; unde licet altaria ornare, Ecclesiam vertere, & parare, hostias conficere. Quod si hæc potuissent die profesto fieri, probabile est ex Suar., & Tolet. non esse mortale ad diem festum differre, propter propinquitatem, quam habent cum rebus sacris. Quod etiam docet Fagund., si via parentur ad processiones: Secus vero si scienter tabulata ad videndas processiones fierent die festo, quando pridie fieri poterant, cum non habeant tantam propinquitatem cum rebus sacris: Quamvis si pridie non fuerint facta propter aliquod impedimentum, possunt die festo fieri sine culpa, quia sic concedit hic & nunc cultus divinus.

Hinc docet Tambur., sepulchra, praecepta, & moles artificiosas ad exponendam Eucharistiam, sicut etiam scenas ad representationem sacram, posse sine mortali die festo fieri, quamvis potuissent fieri die profesto; quia propinquitatem habent cum rebus sa-

cris, non secus ac parare vias ad processiones: sed ne veniale quidem est, si necessitas urgeat, aut habeatur dispensatio.

XI. Secunda causa excusans a mortali est brevitatem temporis, seu parvitas materiae. Communius autem docent, parvitem temporis esse spatium duarum horarum; quamvis Marcant. apud Tambur. requirat tres horas ad mortale; quæ sententia admitti posset, si aliqualis necessitas, vel alia causa concurreret, quæ de se non est satis ad excusandum. Azor. tamen, & Bonac. apud Dian. part. 2. tract. 15. resolut. 36. putant, unam horam esse tempus notabile. Illud notandum ex Bonac., quod si quis pluribus servis imponat, quod successive laborent quilibet spatio unius horæ, non peccaret mortaliter, quia unum opus cum alio non connectitur: Contra vero si idem pluribus vicibus interpolatis eodem die per horam laboraret, ut dicitur de comedente pluries modica die jejunii.

In operibus autem forensibus die festo prohibitis parvitas materiae, quæ a mortali excusat, non est desumenda solum ex brevitatem temporis, sed etiam ex quantitate operis. Quare si venditio, verbi gratia, cum solemnitate celebrata fiat brevi tempore, sed sit res magni momenti, peccatur mortaliter; secus vero si sit res parvi momenti, & brevi fiat.

XII. Tertia causa excusans est Consuetudo approbata; Hæc enim ab omnibus legibus humanis excusat. Propterea primo Cajet., & Suar. ex consuetudine excusant eos, qui cibos coquant, & alia præparant necessaria ad mensam; Et Pal. excusat etiam hæc de causa, qui parant cibos superfluos, & ad delectationem. Secundo, Tolet., Sot. excusant venatores, aucupes, & piscatores, ut sup. diximus. Tertio, Fagund. excusat actiones delineandi imagines, &



& lineas ducendi ad eas postea pingendas; sicut etiam actionem digladiandi. Quarto, Navar., & Rodriq. excusant venditores calceorum. Quinto, Pal. exercitationes militares, quæ fiunt tempore pacis. Sexto, Sanch. qui dum habent segetes, in area trituram vertunt, extendunt, aut separant; necnon hortulanos rigantes olera die festo; & iter agentes comitantes mulos onustos supellectili; necnon molitores, & nundinas. Septimo, Fernand. apud Dian. part. 2. tract. 15. resol. 36. excusat barbitonfores; (& idem potest dici de sutoribus, qui novos calceos die festo calceant) verum communius Doctores de hac consuetudine approbata dubitant, docentque, quod ubi ea est scita, & tolerata a Prælati, procul dubio excuset; alioquin excusari poterunt vel ratione parvitatæ materiæ, si scilicet unum, vel alterum tondeant; vel ex necessitate rusticorum, aut aliorum, quibus non conceditur nisi die festo posse tonderi, aut calceari; vel ex lucro cessante non ordinario; si enina recusent die festo ea peragere, facile barbitonfores, & calceatores a plerisque relinquerentur cum notabili lucri jactura.

XIII. Quarta demum causa excusans est Dispensatio, ad quam procul dubio causa justa requiritur, ut sit licita, & valida, si ab Episcopo concedatur in festis a Papa institutis, ut alias diximus. Potest etiam illam concedere Vicarius Generalis, non quidem ex officio, sed ex speciali mandato; quia quodcumque sapit liberalitatem, & gratiam, ut est dispensatio, non potest ex generali mandato, seu ex concessione Vicariatus a Vicario præstari, sed requiritur speciale mandatum; quod in casu nostro habetur, ut notant Merol., & Barbos. apud Tambur.: Parochus etiam dispensare potest tum ex consuetudine, tum ne

Pars II.

desit parochianis, ad quem in facile occurrentibus, & minutis necessitatibus recurrant; Qua de causa potest etiam in jejuniis Parochus dispensare, ut notat uterque Sanch. Possunt etiam Prælati Regulares cum suis subditis dumtaxat, non vero cum famulis secularibus.

### ARTICULUS III.

#### De Missa die festo audienda:

- I. Probabiliter satisfacit præcepto de missa audienda, qui successive duas missas partes audit, quamvis ordine inverso.
- II. Num partem missæ notabilem omittat, qui incipit illam audire post Evangelium? Aut qui per breve tempus abest, dum fit aut Consecratio, aut Communio?
- III. Quanam dicatur præsentia moralis requisita ad satisfaciendum præcepto audiendi missam?
- IV. Non satisfacit, qui toto tempore missæ consistit peccata sua.
- V. Præsentia moralis haberi potest aliquando, etiam si audiens missam sit extra Ecclesiam; & potest non haberi, etiam si sit intra Ecclesiam. Quid si inter fenestram domus, e qua auditur Missa, & Ecclesiam intercedat via publica?
- VI. Missa in Oratoriis privatis Magnatum a quibusdam familiaribus die festo audiri potest, ita ut non teneantur illam in Ecclesia audire?
- VII. Excusat ab audienda missa Impotentia, Censura, Consuetudo, & dispensatio. Impotentia habetur ab eo, qui sine gravi incommodo illam audire non potest. Quid si lucrum ingens amitteret?
- VIII. Num excusetur puella, qua credit se ab adolescente lascivo concupiscendam, si domo egrediatur?
- IX. Num teneatur privilegiarius missam

S

au-



- audire tempore Interdicti? Et quid de detento in carcere, si facile potest facultatem egrediendi obtinere?
- X. Excusantur vidue, & similes, ubi est consuetudo, quod per aliquod tempus domo non egrediantur post mortem mariti: Sic etiam nobiles, pauperes, &c.
- XI. Num peregrinus teneatur missam audire, ubi est festum municipale, si per viginti dies circiter ibi sit commoraturus?
- XII. Num possit quis die Sabbati ire venatum, si die dominico non possit audire Sacrum?

I. **C**ertum est, omnes fideles rationis compotes teneri ad missam die festo audiendam ex præcepto Ecclesiastico; itaut qui partem ejus notabilem omittit, mortaliter peccet. Immo damnata est ab Innoc. XI. propositio decima tertia dicens: *Satisfacit præcepto Ecclesie de audiendo sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis celebrantibus audit.* Quamvis probabiliter satisfaciat, ut plurimi docent cum Diana part. 5. tract. 4. resol. 54. contra Tambur., qui successive unam missæ partem audit ab uno sacerdote, & alteram ab altero, etiamsi ordine inverso. Ratio est, quia moraliter censetur unam integram missam audire; Non secus ac unum dicitur esse sacrificium, quando incipitur missa ab uno sacerdote, & eo deficiente ab alio perficitur: Verum sine causa id facere censent esse veniale Doctores communiter apud Dian. part. 2. tract. 3. resol. 18.

II. Quenam autem sit pars notabilis? variant Doctores; Putat Suar. esse usque ad Epistolam inclusive, Conink, & Azor. probabiliter usque ad Evangelium inclusive, seu usque ad Offertorium exclusive; quia, ut notat Dian. part. 5. tract. 5. resol. 44., factis est audire Evangelium in fine mis-

sæ. Cæterum quamvis probabiliter ex Con., & Pal. punct. 16. peccet mortaliter, qui vel solam consecrationem utriusque speciei, vel solam sumptionem omitteret, cum in iis consistat essentia Sacrificii; quia tamen non satis constat, in quam istarum partium essentia Sacrificii consistat, id eo Suar. tom. 3. disp. 88. sect. 2. benignius censet non semper injiciendum esse scrupulum peccati mortalis ei, qui per breve tempus alterutram istarum partium omitteret.

Illud tamen videtur contra Joannem Sanch., quod si quis accedat ad Ecclesiam, dum incipit Præfatio, nec possit aliam missam audire, teneatur ad illam: Secus vero si accedat post consecrationem; quia hæc est pars missæ principalis, & forte essentialis, ut propterea die Parasceves non sit obligatio audiendi missam, etiamsi incidat festum Annunciationis, ut communius docent contra Henr., Vascq., & alios apud Trull., quia quamvis fiat eo die communio, non fit tamen consecratio.

III. Quæritur nunc primo; Quenam præsentia requiratur ad missam audiendam?

Respondeo, requiri præsentiam corporalem, moralem tamen, & humanam, ita scilicet ut debeat homo habere intentionem non quidem satisfaciendi præcepto, sed audiendi missam præceptam, & ad eam attendat aliquam, atque in eo loco sit, ubi prudens spectator censeret illum audire missam.

Hinc sequitur non satisfacere, qui est præsens missæ animo, verbi gratia, expectandi amicum, vel etiam animo solum orandi, non vero audiendi Sacrum, & multo magis, si invitus assisteret. Ratio est, quia, ut diximus quæst. 1. art. 4., præceptum impleri debet per actum humanum, quo quis velit exequi, quod præcipitur.

IV.



IV. Sequitur secundo, requiri attentionem saltem externam, prout explicavimus quæst. 3. art. 4. n. 6.: Quamvis enim multi Doctores probabilius requirant attentionem internam, hoc est applicationem mentis sive ad verba, sive ad verborum sensum, sive ad Deum; non est tamen improbabile ex Lessi., Laym., Con., Dian. part. 3. tract. 4. resol. 101. sufficere externam; ita scilicet ut nulla ponatur actio impossibilis cum attentione interna; (ut esset confabulari, ridere, dormire, extasim pati, scribere, vel legere libros non conciliantes internam attentionem) unde possit esse testis eorum, quæ tunc fiunt, esto voluntarie distrahatur.

Propterea communiter cum Suar., & Azor. apud Tambur. contra Reginald., & Pal. docent, non satisfacere eum, qui tempore missæ confitetur peccata sua; secus vero si examinet conscientiam, etiam de libro; quia talis lectio attentionem internam fovet.

V. Sequitur tertio, Præsentiam moralem requisitam consistere in hoc, quod vel videatur, aut audiatur celebrans, vel eo loco sit audiens, ut ex signis, & gestis saltem circumstantium, quæ in Missa fiunt, colligere possit, & ut ad multitudinem assistentium censeatur pertinere. Quare non requiritur absolute, ut oculis videantur, quæ fiunt, aut auribus audiantur, quæ profert Sacerdos; nam etiam surdi, cæci, & qui in Choro post altare, vel in Ecclesia post parietem, aut columnam sunt, & extra Ecclesiam in magna distantia, satisfacere possunt, dummodo censeantur ad multitudinem assistentium pertinere; quod in parvo sacello facile contingit.

Moraliter etiam adesse dicitur, qui ab altari, non vero ab Ecclesia recedit ad procuranda hic & nunc necessaria ad sacrificium, scilicet vinum,

hostiam, thus, &c. Si quis tamen in maxima basilica esset in una cappella, & in altera distantissima fieret Sacrum, aut si esset post columnam ab altari distantem, nec esset ea multitudo audientium, ut is censeatur ad illam multitudinem pertinere, procul dubio præsentiam moralem hic non haberet, etiam si adesset intra Ecclesiam.

Hinc resolvitur celebre dubium, An quis possit e fenestra suæ domus missam audire, quando inter fenestram, & Ecclesiam intermediat via publica? Filiuc. cum Dian. part. 4. tract. 4. resol. 154. absolute negat. Lug. tamen de Euch. disp. 22. sect. 2. affirmat, si parva sit distantia ab altari Ecclesiæ, itaut audiens censeatur esse moraliter præsens missæ; secus vero si distantia sit magna; non enim necesse est, ut intra Ecclesiam sit, qui missam audit, sed solum necesse est, ut missæ dicatur moraliter præsens.

VI. Quaritur secundo; Quo in loco missa audienda sit; & a quo Sacerdote?

Respondeo ad primum, olim audiendam fuisse in Parochia; non secus ac nunc communicio paschalis in propria Parochia facienda est; sed usu, & consuetudine talis lex abrogata est; unde etiam extra Parochiam audiri potest missa præcepta. Dubium solum est, an omnes etiam in Oratoriis privatis; cum in Brevi hæc habeantur; *Volumus autem, quod familiares servitiis tuis non necessari ibidem interesse ab obligatione audiendi missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.* Homobon., & Pelliz. tract. 8. tom. 2. sect. 2. putant, per talis missæ auditionem satisfieri nunc præcepto, quia jam est nunc consuetudo audiendi missam extra Ecclesiam parochialem; unde talis prohibitio in Brevi ponitur solum ex stylo Ecclesiæ, quia fortasse alicubi non est abrogatus



missus audiendi missam in Parochia ; Sed communiter cum Tambur. de Sacrif. missa lib. 1. cap. 4. docent, non licere illis in Brevi recensitis contra expressam voluntatem Pontificis ibi missam audire ad satisfaciendum præcepto . Dicuntur autem tunc necessarii servitii domini, qui nisi tunc cum domino audiant Sacrum, non facile possunt domino inservire ; ut solent esse auriga, famuli, ac famulae, coqui, & similes. Si tamen commode possint domino inservire audiendo missam in Ecclesia, ad id obligarem.

Ad secundum dico, missam audiri posse a quolibet sacerdote etiam Græco, vel alterius idiomatis, etiam ab excommunicato tolerato, atque adeo etiam ab hæretico, si cesset scandalum, ita scilicet ut non videaris ejus hæresis particeps esse ; dummodo missa catholico ritu peragatur. Solum audiri non potest a Sacerdote excommunicato vitando, aut publico Clerici percussore, necnon ab irregulari denunciato, vel degradato, aut deposito. Ratio est, quia fortius judicatur esse præceptum non communicandi in rebus sacris cum tali Sacerdote vitando, quam præceptum audiendi missam.

VII. Quæritur tertio ; Quænam causa excuset ab audiendo Sacro ?

Respondeo, eas reduci ad impotentiam, ignorantiam, censuram, & consuetudinem, omissa dispensatione, de qua satis superque art. super. cum de abstinentia ab operibus servilibus.

Primo itaque excusat Impotentia ; atque adeo quicumque nequit missam audire sine gravi detrimento sui, vel proximi, Animæ, Corporis, Famæ, Honoris, Rei familiaris, &c., ad illam non tenetur : Nec qui notabile lucrum amitteret ; sicut enim non obligat præceptum de abstinendo ab operibus servilibus, ut diximus, eos qui ingens lucrum amitterent, ita nec præceptum de missa audienda.

Hinc excusantur primo, qui multum distant a loco, ubi celebratur, videlicet per tria milliaria, vel per duo, aut etiam aliquando per unum, attenda circumstantia personæ, pluvie, æstus, & aliarum circumstantiarum, itaut tali personæ judicetur tale iter notabiliter difficile ; cum Ecclesia non obliget cum incommodo notabili.

Secundo, excusatur mater, quæ domi remanet ad custodiendam filiam, cui timet periculum probabile, tam si illam ducat in Ecclesiam, quam si domi solam relinquat ; Et eodem modo filia nubilis, si sine probabili periculo egredi non potest ; Et gravis, quæ exeundo e domo propalaret suum lapsum ; Et eadem ratione nutrix, quæ nequit sine periculo infantem domi relinquere, nec ducere sine perturbatione celebrantis, vel adstantium.

Tertio, ægroti, qui e domo exire non possunt propter alia negotia ; & qui timent sibi periculum gravioris morbi : In dubio autem debent Medicum, aut Parochum consulere, & illi acquiescere : Quod si neminem consulere possunt, & adhuc dubitant, non tenentur domo exire, & exponere se periculo morbi gravioris, prævalente præcepto de diligendo seipsum. Et ob eandem rationem non tenentur missam audire, qui infirmo deservit, ea solum de causa, quod si abeat, vel solus relinquatur ægrotus, laborem, animique anxietatem pateretur, vel non possent illi convenienti tempore adhiberi remedia .

Quarto, excusantur, qui missam audire nequeunt, quin grave aliquod negotium præmittant, quod differri non potest . Qua ratione excusantur Tabellarii, vulgo *li Corrieri* : Excusant enim eos amissio boni temporalis, ex quo tanquam officio utili, & necessario Republicæ vivunt. Excusantur etiam nautæ, muliones, seu vectores mercium, qui non possunt sine magno



incommodo: Sic etiam iter faciens, si cogatur socios relinquere, quibus indiget, quia viam ignorat, aut latrones timet; secus vero si iis non indigeat: Excusantur etiam illi, qui ubi unica missa celebratur, remanent ex timore latronum ad custodiam domus, vel ex necessitate ad cibos præparandos: Necnon publici ministri, qui ratione muneris castra dimittere, vel murorum portas, quas custodiunt, deferere non permittuntur; Sicut etiam senatores, seu viri primarii, qui gravia Reipublicæ negotia differre non possunt; Et custodes gabellarum, vinearum, gregis, mercium, domus, quando propter missam dubitant de furto, incendio, &c.

Quinto, excusatur scæmina honesta, sicut etiam quicumque caret vel veste convenienti, vel socio, aut pedissequo, sine quibus irridetur, aut magno rubore suffunditur.

Sexto, Uxor, quæ non potest sine rixa notabili marito domo exire; & quæ non accedit ad missam, ut marito zelotypo obediat; necnon famuli, ut obediant dominis, timendo aliter gravem rixam, vel detrimentum, ut domo ejici, si non facile alios dominos inveniant, quibus serviant; Quamvis nec domini peccent, si tempore missæ ea præcipiant famulis, quæ juxta communem vivendi modum differri non possunt.

Septimo, non obligatur, qui detinetur aut in vinculis, aut domi loco carceris; & ii, qui bona fide, præsertim promissione jurata data viro nobili, e domo exire non possunt. Immo si Oratorium privatum domi habeant, non tenentur juxta probabilem sententiam Suar., & Trull. contra Macrin. quarere Sacerdotem, præsertim stipendiatum, ut ibi celebret; quia privilegium, quod habent, non videtur obligare ad tale medium non consuetum, & extraordinarium.

VIII. Dubitatur, an excusetur puella, quæ credit se ab adolescente lascivo concupiscendam, si domo exeat?

Respondeo, Navar., & alios apud Dian. par. 5. tract. 7. resol. 22. putare, quod non excusetur; quia tale scandalum non est datum, sed acceptum, & sequitur ex illius malitia. Verum communius cum Sà, Bonac., Sot., Trull. putant posse (saltem si id sæpius non accidat) missam omittere ad vitandum grave damnum spirituale proximi; sed ad id non teneri, quia potest uti jure suo, & propter scandalum passivum non tenetur privare se ingenti bono auditionis missæ.

IX. Secunda causa excusans est Ignorantia invincibilis, sicut etiam inadvertentia, oblivio, &c.; hæc enim a transgressione cujusvis legis excusant.

Tertia est Censura, unde excusatur primo personaliter interdictus, & quilibet excommunicatus. Secundo, qui lato Interdicto locali generali, non potest commode adire locum non interdictum. Certum autem est, neminem obligari ad obtinendum eo tempore privilegium, saltem si commode haberi nequit; (sicut nec tenetur qui detinetur in carcere petere privilegium exeundi ad audiendam missam, si commode habere illud non possit, ut notat Trull. hic ex Bonac. punct. ult. de Sacrif. missæ) quamvis qui privilegium habet tempore Interdicti, probabilius teneatur missam audire; quia præceptum obligat omnes, qui possunt, licet non obliget ad petendum privilegium, quod commode haberi nequit, ad hoc ut possint.

X. Demum excusat Consuetudo, quam ob causam Suar. excusat viduas, sorores, filias, quæ mortuo marito, fratre, patre, ad certum tempus juxta consuetudinem Patriæ non exeunt domo; Et Bonac. excusat sponfas, & nobiles, quæ non consueverunt juxta morem Patriæ egredi domo, donec nu-

ptui



ptui tradantur. Olim etiam ex consuetudine, ut notat Fagund., excusabantur Eremitae accolae. Denique excusantur mulieres, quae post partum consueverunt per aliquot dies se domi continere, etiam postquam convaluerint, dummodo id fiat ex reverentia, & devotione, juxta caput ultimum *De Purificatione post partum*, & non ex ritu Mosaico, aut ex superstitione; non enim servanda nunc est purificatio antiquae legis, etiam si id fiat in honorem Beatae Virginis.

XI. Quæritur quarto, Quando nam peregrini excusentur ab auditione missæ die, quo est festum municipale loci, per quem transeunt?

Respondeo, certum esse, quod, si ibi sint animo permanendi per majorem partem anni, teneantur a primodie, quo illuc perveniunt; cum quilibet teneatur legibus ejus Communitatis, cujus est pars: Si vero ibi pernoctent per unam, vel alteram noctem, puto cum Con., & Tambur. contra Less. lib. 4. cap. 2. num. 51., & alios apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 2. non teneri ad missam audendam; & consequenter nec ad abstinendum ab operibus servilibus, aut ad jejunandum, remoto scandalo. Ratio est, quia qui tam modico tempore ibi morantur, non censentur pars talis communitatis, & ideo, ut ostendimus quest. 1. art. 3., communiter Doctores docent, peregrinos non teneri legibus loci, per quem transeunt.

Dubium tamen est, an teneantur, si per viginti dies, verbi gratia, ibi permaneant? Joan., & Th. Sanch. apud Dian. loc. cit. negant, si non habeant animum ibi permanendi per

majorem anni partem: Suar. vero tom. 1. de Relig. tract. 3. lib. 2. cap. 14. cum aliis affirmat, quia secus nimis peregrino concederetur.

XII. Quæritur demum; An liceat apponere impedimentum executioni hujus præcepti; Verbi gratia, an liceat ire venatum, ubi non est opportunitas audiendi Sacrum?

Respondeo cum Pal., Sanch., Merol., quod tempore remoto a die festo liceat; verbi gratia potest quis die Jovis ire venatum, etiam si die dominico non possit Sacrum audire; quia præceptum hoc humanum non obligat ad removenda impedimenta adeo remota; Et idem dicas de præcepto jejunandi.

Utrum autem die Sabbati, quando imminet dies festus, possis pariter idem facere?

Respondeo, in utramque partem probabiliter disseruisse duos Theologos apud Tambur., Alter affirmabat, quia videtur sufficiens distantia; Sicut enim itinerantes, & vectores mercium, quando bona fide incipiunt iter pridie festi, communiter excusantur, si deinde die festo iter prosequantur, & missam non audiant, si non possunt; ita in casu. Alter vero negabat, quia videtur magna propinquitas cum die festo relate ad hoc opus, quod ob delectationem suscipitur, non ob necessitatem, & bona fide, ut faciunt itinerantes. Quare illud certum est, quod ad judicandum, num. distantia sit sufficiens, attendenda est gravitas, & rigor præcepti, praxis timoratorum, necessitas, utilitas operis, & pro diversis hisce circumstantiis diversimode judicandum.



# Q U Æ S T I O X.

## De Jejunio.

Jejunium dividitur in Naturale, & Ecclesiasticum. Naturale prærequiritur ad sumptionem Eucharistia; itaut violetur per quamcumque particulam cibi, aut guttulam potus, quæ in os immittatur, & in stomachum trajiciatur; adeo ut Bauny apud Dian. part. 6. tract. 7. resol. 15. doceat, non solvi per deglutionem sacchari, vel alterius rei post mediam noctem, si fero id in os immisissum fuit, quia solum solvitur per intromissionem cibi, aut potus in os ipsa die jejunii; Quæ doctrina, licet communiter rejiciatur, deservit tamen ad excusandos eos, qui mane deglutiunt particulas cibi, quæ inter dentes remanserunt: Ecclesiasticum vero jejunium est, quo præcipitur abstinencia a cibis paschalibus, & unica comestio a media ad mediam noctem sequentem, juxta præscriptum, & consuetudinem Ecclesiæ; De quo quærendum primo, A quibus cibis abstinendum sit? Secundo, Quotuplex refectio possit sumi, & qua hora? Tertio, Quantum jentaculum; Ex quibus cibis; & Quando? Quarto, De obligatione jejunii, & non cooperandi cum aliis in fractione jejunii. Quinto, De causis excusantibus ab hac lege; præsertim de infirmitate, paupertate, labore, & ætate.

### ARTICULUS I.

A quibus cibis abstinendum die jejunii? Et an etiam a potu?

- I. Quenam animantia, quæ extra aquam vivunt, non prohibeantur?
- II. Num laridum, & sagimen inter lacticia numerentur? Quid de intestinis animalium?
- III. Num lacticia, quæ ex evidenti totius Ecclesiæ consuetudine obligatoria prohibentur in Quadragesima, pariter in aliis vigiliis prohibeantur?
- IV. Dispensatus ad carnes, & non ob virum imbecillitatem, num teneatur ad unicam comestionem die jejunii?
- V. Num dispensatus ad carnes, quo die ab iis abstinet, ad unicam comestionem teneatur?
- VI. Utrum die jejunii liceat vinum bibere in fraudem jejunii ad vires reficiendas?

VII. Num liceat comedere, & bibere ob delectationem, & non ad satietatem?

VIII. Quinam universim dicatur potus usualis, a quo jejunium non frangatur? Num cervisia, num aqua saccharo, & aromatibus condita? Num Chocolata?

I. **C**ertum est, a carnibus abstinendum: Nomine autem carnum intelliguntur, quæ juxta communem Catholicorum usum, & medicorum judicium a piscibus contradistinguuntur, habito respectu ad finem Ecclesiæ, qui est alimenta multum reficientia a fidelibus excludere. Proinde non prohibentur testudines, ranæ, conchæ, & limaces, quamvis extra aquam vivant; Et Tambur. putat nec viperas prohiberi, utpote anguillis similes, & modicæ nutritionis, cum sint admodum terrea.

II. Quæritur nunc primo; An prohibi-



hibito esu animalium; prohibeatur quælibet pars illorum?

Respondeo, nomine carnis venire quamlibet animalis partem, exceptis ovis, lacte, & quæ ex lacte fiunt, ut est caseus, butyrum, & similia, quæ veniunt sub nomine lactiniorum. Quare prohibentur cartilagine, nervi, sanguis, necnon jus ex carnibus, quia continet partes subtiliores substantiæ carnis per elixationem eliquatas; quamlibet item medulla, axuntia, pinguedo, & laridum; Et idem videtur dicendum de iisdem liquefactis, quæ post liquefactionem vocantur sagimen.

Non negaverim tamen, probabilem esse sententiam Azor., Laym., & Fagund., & aliorum apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 21. putantium laridum, & sagimen inter lactinia numerari; quia scilicet pinguedo non est caro; ut probat Aristot. 2. de Generat.; quandoquidem finito naturali augmento animalis, augetur pinguedo. Verum probabilius censeo cum Trull. dub. 2. laridum, & sagimen permitti posse cum lactiniis solum ubi est talis consuetudo; in aliquibus enim locis ex defectu olei, vel butyri præparantur ova cum sagimine, ut accidit in Regno Galleciæ, & Peruano, teste Henr. Et propter eandem rationem, quamvis intestina animalium sint etiam caro, nihilominus ex inveterata consuetudine, ut notat Sanch. de Matrim. disp. 18. lib. 8., licitum est apud Castellanos in Hispania iis sabbato vesci; sicut in Belgio ex consuetudine etiam permittuntur lactinia in Quadragesima.

III. Quæritur secundo, An die jejunii prohibeantur etiam lactinia?

Respondeo, damnatam esse ab Alex. VII. propositionem 32., quæ dicit: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lactinia in Quadragesima obliget.* Et in cap. *Denique*, dist. 4., ubi sermo est de tempore

Quadragesimæ; hæc habentur: *Par etiam est, ut quibus diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque, quæ sementinam ex carnibus originem ducunt, abstineamus, a carne scilicet, caseo, & ovis.* Quam prohibitionem communiter extendunt etiam ad Dominicas Quadragesimæ; quamvis Trull. dicat, non esse improbabilem sententiam oppositam, quam sequitur Gomez, & Llamas apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 13. Nihilominus esto probabile esset id non prohiberi in cit. cap., certe ex consuetudine prohibetur, ut communiter docent.

Utrum autem prohibeantur etiam lactinia in jejuniis extra quadragesimam? Variant Doctores; Less., Azor., uterque Sanch., Vasq., & alii cum D. Th. 2. 2. quæst. 147. art. 8. apud Dian. negant contra Covar., Less., Layman, Navar., Medinam, & alios apud Pignatellum tom. p. Consultationum, Consult. quinta. Notant etiam Trull., & Henr. jure communi non prohiberi, unde comedi posse dicit, nisi aliud ferat approbata consuetudo; Aliqui enim apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 41. asserunt dari talem consuetudinem obligantem sub mortali: Sanch. autem lib. 4. cap. 2. absolute negat illam dari; Et Henr. addit cum Escobar, Fagund. Villalob., & aliis, quod si consuetudo adesset, non per hoc obligaret sub mortali, quia non constat esse introductam scienter, & animo se obligandi mortaliter, & non potius ex ignorantia, qua crediderunt simpliciores se esse a jure obligatos; cum ergo incerta sit obligatio, prævalet libertas: Quod multi ex eo comprobant, quia Alex. VII. in propositione damnata loquitur solum de consuetudine abstinendi a lactiniis in Quadragesima. Verum hæc comprobatio nulla est, quia Pontifex aperte in ea Bulla asserit non confirmare alias



lias opiniones, a quibus præscindit. In casu autem nostro ab hac opinione præscindit; quare non approbat, immo cum decernat evidens esse, quod consuetudo abstinendi a lacticiis in Quadragesima obliget, & eadem omnino videatur saltem in aliquibus Regionibus consuetudo abstinendi a lacticiis in reliquis vigiliis, videtur etiam evidens esse, quod consuetudo hæc obliget, in iis saltem Regionibus, ubi habetur consimilis consuetudo. Ideo autem Pontifex solum loquitur de jejuniis Quadragesimæ, quia isthæc consuetudo pro Quadragesima viget pro tota Ecclesia, quæ pro aliis vigiliis forte non est universalis.

IV. Ex dictis sequitur, quod dispensatus ad lacticia tempore jejunii, adhuc ad jejunium teneatur; siquidem ex jure communi cum essentia jejunii consistit esus lacticiorum: Contra vero quia esus carniū probabiliter non cohæret cum essentia jejunii, ideo dispensatus ad carnes non tenetur ad jejunium, seu ad unicam comestionem; ut quamplures docent contra Bonac., qui absolute censet quæst. 1. punct. 2., quod teneatur ad unicam comestionem; Et contra Less., Navar., Sà, Cordub., Victor., Rodriq., & alios, qui censent, dispensatum ad carnes ob debilitatem virium posse pluries se reficere, secus vero dispensatum ob detrimentum, quod habet a cibus quadragesimalibus. Verum opinionem oppositam Sanchez apud Trull. putat probabiliorē, tum propter usum, & consuetudinem fidelium; tum propter auctoritatem plurimorum Doctorum apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 25., & tract. 11. resol. 4.: Clemens XI. tanquam Episcopus Romanus edixit, ut Romæ ad jejunium teneretur, qui ob detrimentum, quod habet a cibus Quadragesimalibus, non vero ob virium debilitatem ad carnes comedendas est dispensatus, juxta o-

Pars II.

pinionem plurimorum veterum Auctorum, & non paucorum Recentiorum, quæ me iudice a timoratis sequenda est ubique gentium.

V. Quæritur tertio; Num dispensatus ad carnes, si velit tantum vesci cibus quadragesimalibus, teneatur vespere jejunare, an possit etiam pluries comedere cibus quadragesimales?

Respondeo, communiter Doctores apud Dian. part. 9. tract. 6. resol. 2. cum Sanch. distinguere; Si enim dispensatur iste ad carnes propter debilitatem virium, poterit pluries se reficere, etiamsi nolit carnes comedere; secus vero si dispensatur ob detrimentum, quod habet a cibus quadragesimalibus; intantum enim posset pluries comedere, inquantum comedit carnes, quæ censentur destructivæ jejunii, cum autem carnes mane non comederit, non habet caput, unde ad jejunium vespere non teneatur. Verum probabiliter etiam Dian. loc. cit. cum Tambur. lib. 4. cap. 5. putat, hunc ad jejunium non teneri. Ratio est, quia cum liceat illi vespere carnes comedere ad satietatem; quare non licebit illi comedere solum pisces? cui enim conceditur plus, conceditur etiam minus; Et ideo dispensatus ad carnes tempore quadragesimali intelligitur etiam dispensatus ad lacticia, & potest in eadem mensa juxta communem opinionem contra Navar., & Graff. apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 26. comedere carnes simul, & pisces; itaut, si damnum notabile habet ab esu piscium, peccet contra temperantiam, non vero contra legem jejunii.

VI. Quæritur quarto, An liceat bibere in fraudem jejunii?

Respondeo, olim homines a vino abstinuisse tempore jejunii, ut constat ex Chrysof. hom. 6. apud Bonac.; nunc tamen alia est Ecclesiæ consuetudo; unde tam in mensa, quam ex-

T

tra



tra mensam licitum est bibere, & vino vires reficere, sicut etiam quolibet alio potu usuali.

Neque dicas; qui in fraudem legis operatur, non minus peccat, quam qui legem transgreditur; sed qui extra mensam bibit ad reficiendas vires, bibit in fraudem jejunii, & in fraudem legis; ergo peccat. Minor probatur ex leg. *Contra legem, ff. de Legibus, Ille dicitur operari in fraudem legis, qui salvis legis verbis ejus sententiam circumvenit.* Et in reg. 68. juris in 6. dicitur, *Is committit in legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem;* quod habetur in casu nostro.

Respondeo tamen cum Reginald. negando minorem; non enim in fraudem legis operatur, qui utitur jure suo; quilibet autem ex consuetudine habet jus bibendi ad sedandam sitim; ergo si bibat etiam ad reficiendas vires, utitur jure suo; non enim prohibetur talis intentio, sed solum refectio virium per cibum; ut communius Doctores docent apud Dian. loc. cit. resol. 23. Et propter eandem rationem non peccaret contra legem jejunii, qui unica refectio adeo ventrem replet, ut nullam jejunii difficultatem sentiat, nec carnis illecebras ullatenus comprimat. Et ratio radicalis assignatur ab Abulensi apud Bonac. punct. 2., quia scilicet non operatur in fraudem legis, qui facit contra finem legis, sed qui facit contra intentionem legis expressam; ut patet in observatione omnium legum, quarum finis ex Aristot. 2. Ethic. est efficere cives bonos, & tamen non peccat contra leges politicas, qui eas observat, quamvis non efficiatur bonus; unde Medin., & Reginald. dicunt, illum operari in fraudem legis, & peccare contra legem, qui facit contra intentionem legis objectivam, non contra intentionem finalem; In-

tentio autem objectiva est illa, que respicit, quod præcipitur, & expresse præcipitur, quod in casu nostro est unica comestio, & abstinencia a carnis, non vero a potu.

VII. Utrum autem peccet venialiter, qui bibit, aut comedit solum ob delectationem? Joan. Sanch. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 6. Martinus Perez, Escobar, & alii negant, si non noceat saluti; sicut non peccat, qui videt res pulchras, & olfacit odores solum propter delectationem; Neque id damnatur ab Innoc. XI. Nam propos. 8. damnata dicit, *Comedere, & bibere ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obstat valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.* Quando enim ad satietatem quis comedit, aut bibit ob meram voluptatem, facile sumites temperantiæ debitæ prætergreditur, & ideo venialiter peccat; quod non accidit, neque si comedat aliquid, aut bibat propter voluptatem, non tamen ad satietatem cum periculo intemperantiæ; neque si ad satietatem videat res pulchras, aut olfaciat odores; Quod si se inebriaret, peccaret mortaliter, nam 1. ad Corinth. 6. dicitur, *Neque ebrii Regnum Dei possidebunt.* Ceterum quod nec aliqua veniali culpa vacet comedere, & bibere, etiam moderate, ob meram voluptatem, probabilius docent quamplures, quos retulimus in Trutina exponendo præfatam thesim ex D. Th. 4. contra Gentes cap. 87.; inverteretur quippe naturæ ordo, si in his actionibus voluptas tanquam finis amaretur, ubi ea ex institutione naturæ ad vitæ sustentationem ordinatur: Videre autem res pulchras, odores olfacere, per pomarium ambulare, ex intentione naturæ ad animum relaxandum ordinantur; & ideo citra culpam delectatio in his aliis actionibus intendi potest.



VIII. Queritur ultimo, Undenam dignoscatur, utrum aliquid ad cibum, an ad potum pertineat?

Respondeo, ex communi usu catholicorum, & judicio medicorum discerni debere, ut diximus in casu, quo dubitatur, **an aliquid ad carnes pertineat.** Illud certum est pertinere ad potum, quod ex natura sua adhibetur ad vehiculum cibi, & sitim extinguit; debet autem ex natura sua adjuvare ad elixandum, & vehendum alimentum, & ad sedandam sitim; Nec factis est, si tu ad hunc finem illud assumas; aliter posses gallinam distillatam, ova, & lac potare.

Hinc communiter docent Doctores primo, licitum esse bibere vinum, mustum, cervisiam, aquas ex herbis distillatas; sicut etiam ex Tambur. aquam saccharo, & aromatibus conditam, vulgo *Sorbetta*, quia saccharum, & alia res, quæ intermiscuntur, sunt modica quantitas, & adhibentur per modum medicinæ, ne sola aqua noceat. Sanch. ramen lib. 5. Consil. cap. 8. dub. 23. id negat; quod verum est si aquæ intermiscetur magna quantitas sacchari, & aliarum rerum, itaut extrahatur a natura potionis.

Secundo, Acetum, & Oleum, cum de se non ad potum, sed ad cibum pertineant, frangunt jejunium, si in refectiuicula ultra octo uncias adhibeantur.

Tertio, Uva etiam frangit jejunium, quamvis ex illa solum succum sumas, & cætera ex ore projicias. Ratio est, quia quamvis putes te mustum bibere; at ex communi usu uva assumitur per veram comestionem, & non bibitur per usualem potationem in alimentum vehiculum, ut sumitur mustum, vel vinum. Idem dicas de pomis, & de succo malorum massilicorum, medicorum, cidoniorum, punicorum, vulgo limoni, aranci, cotogni, granati. Idemque dicas de peponibus,

vulgo Meloni d'acqua; Qua in re nuper ex hac nostra Academia in lucem editus est libellus, in quo exudite, ac nerveose nimis confutatur Anonymus, qui qualibet solida ratiocinatione, ac auctoritate destitutus adversus communissimam Doctorum sententiam in dubium revocare contendebat, num pepones jejunium frangerent.

Circa Chocolaram num frangat jejunium, varii varia. Complures affirmant apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 194, & part. 5. tract. 5. resol. 11. Aliqui negant apud Tambur. propter materiæ parvitatem. Alii vero apud eundem negant, quia est potus usualis in Mexico, non secus ac cervisia apud Germanos, & vinum apud Nostrates.

Idem Tambur., & Dian. propter auctoritatem extrinsecam multorum Theologorum, & propter usum timoratorum putant probabiliter jejunium non frangere; Machad. enim tom. 1. lib. 2. part. 4. tract. 3. dicit in Hispania usque adeo esse usualem, ut fere nemo sit, qui religioni habeat illam fumere die jejunii. Verum præcisa auctoritate extrinseca, arridet mihi opinio Eminentissimi Brancatii cum Escob., quod scilicet si ea utamur eo modo, quo in Mexico est potus usualis, (ita videlicet ut septem, vel octo uncias aquæ addatur una uncia chocolata, & media sacchari) jejunium non frangat; secus vero si magna quantitas chocolata intermiscetur aquæ, ita ut inducat rationem pulmenti, ut diximus de Sorbetta. Ratio non est, quia uncia est materia parva; nam sic non posses illam pluries fumere sine mortali, nec semel sine veniali; sed quia in tanta quantitate est potus usualis apud illas Nationes, & sic ubilibet tanquam potus usualis sumi potest.

Neque dicas primo, quod quamvis talis potus sit usualis apud Indos, non



est apud Nostrates usualis. Nam si alicubi est potus usualis, jam natura sua habet sumi ad vehiculum cibi, & ad sedandam sitim; quod autem natura sua est tale, ubilibet est tale; & hac de causa apud Nostrates cervisia non frangit jejunium, quamvis non sit hic usualis.

Neque dicas secundo, quod vere nutriat. Nam idem dici posset de vino, & cervisia, quae tamen jejunium non frangunt; quia, ut notat Laym., & Less., nutriunt per accidens; sumitur enim vinum magis ad alterationem corporis, & digestionem cibi, quam ad nutritionem, ut loquitur D. Th. quaest. 147. art. 6. ad 2., licet aliquo modo nutriat, & ideo jejunium non frangit. Caeterum, ut adverti in Trutina exponendo thesim 29. ab Alex. VII. proscriptam, in praxi non facile hisce opinionibus laxanda sunt habentia, praesertim a timoratis, qui Christum Dominum imitari, illique, non abdomini infervire satagunt.

## ARTICULUS II.

De unica Refectione, ac de ejus Hora.

- I. *Ex consuetudine, non ex lege scripta tenemur die jejunii ad unicam determinatam refectionem: Et ex consuetudine etiam permittitur refectiuncula.*
- II. *Qui bis comedit die jejunii, si iterum comedat, non peccat amplius; At si comederet carnes, peccat toties, quoties iterum illas comedit.*
- III. *Qui inculpabiliter bis comedit, num teneatur non amplius comedere?*
- IV. *Ut relectio dicatur moraliter unica, quantum temporis intercedere potest inter plures refectiones? Num possit vespere comedere, qui mane carnis notabili parte refectionis?*
- V. *Hora refectionis, qua olim erat*

*ad Solis occasum, & deinde ad Tertiam post meridiem, nunc temporis est ad meridiem.*

VI. *Quid si anticipetur hora comestionis sine causa, aut privilegio per horam ante meridiem?*

I. **C**ertum est, die jejunii abstinendum non solum a cibis vetitis, sed etiam a multiplici refectione; ut constat ex consuetudine, & omnium consensu; Quamvis nullus textus sit, qui unicam refectionem praecipiat, ut notat Bonac.; Unde fit, quod quia consuetudo invaluit sumendi refectiunculam, ideo illa, prout est in usu, permittatur.

II. **Q**uæritur nunc primo; An qui sapius comedit die jejunii, tot peccata mortalia committat, quoties comedit?

Respondeo, quod si quis sapius parvam quantitatem comedat, tunc solum peccet mortaliter, quando ad quantitatem notabilem pervenit: damnata enim est ab Alex. VII. prop. 29. dicens: *In die jejunii, qui sapius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.* Quamvis autem mortaliter peccetur in secunda refectione, communiter tamen Doctores docent contra Navar., & Reginald. apud Bonac., quod non peccet amplius, qui ulterius comedit, nisi comedat cibos vetitos. Ratio est, quia praecipuum de abstinentia a cibis vetitis est negativum, quod obligat semper, & ad semper: Unde facta prima carnis comestione, adhuc urget obligatio a talibus cibis prohibitis, & consequenter quoties comedit tales cibos, toties peccat transgressor; E contra praecipuum de abstinentia a multiplici refectione est praecipuum affirmativum, quod facta secunda refectione non potest amplius servari, & consequenter non amplius obligat; Unde postquam quis



quis per secundam refectionem peccavit, non potest amplius contra tale præceptum peccare, etiam si millies comedat.

III. Neque dicas, quod qui ex inadvertentia bis comedit die jejunii, adhuc tenetur jejunare: ergo præceptum affirmativum de unica comestione adhuc post secundam comestionem potest obligare.

Nam quamvis Valent., Azor., Sà, & alii apud Less. concedant antecedens, & dent disparitatem; quia scilicet in tali casu præceptum jejunii non nisi materialiter est violatum, cum ad violationem formalem præcepti requiratur ejus notitia; Nihilominus Bonac. negat etiam antecedens; (& idem docet Pont. apud Dian. part. 9. tract. 6. resol. 28., de eo, qui inadvertenter comedit carnes, quod scilicet non teneatur amplius ad jejunium,) tum quia non potest amplius jejunium servari, quod in unica comestione consistit; tum etiam quia ex Navar., & Sylvest. apud Less. num. 18., qui mane sumpsit jentaculum animo laborandi, vel iter agendi, si postea non labore, non tenetur jejunare propter eandem rationem; Quamvis Less., & Bonac. verius putent, hunc teneri jentaculum illud habere loco refectionis vespertinæ, & semel tantum prandere, si commode possit. Propter eandem rationem notat Sanch. lib. 4. cap. 2., quod qui vovit jejunare in pane, & aqua, si semel notabilem vini quantitatem bibat, non teneatur ab illo amplius abstinere, & possit quodlibet comedere: Contra vero si vovisset nihil sumere præter panem, & aquam, quia tunc votum esset negativum; unde peccaret toties, quoties.

IV. Dubium est; Quantum temporis requiratur inter unam, & alteram refectionem, ut refectio dicatur multiplex, & non una continuata?

Respondeo, Sanch., & Filliuc. apud

Dian. part. 1. tract. 9. resol. 32. requirere quadrantem cum dimidio, etiam si nulla causa subit, & etiam si post primam refectionem decreveris non amplius comedere; Portella apud Summam Dian. permittit semihoram, dummodo non manducaveris, quod sufficit ad sustentationem; Verum si propter negotium aliquod interrumpatur comestio, tunc conceditur etiam hora; & Joan. Sanch. putat aliquando etiam concedi posse duas horas, quando scilicet interruptio facta est animo redeundi; quod tamen nimis esse censet Escob.

At Tambur. putat, quod si ob negotium magni momenti notabili refectionis parte quis caruerit, possit ex matutina, & vespertina refectione unam moraliter cœnam constare; quia pia Mater Ecclesia non intendit homines sine sufficienti refectione diem transigere.

Ex quibus infert Thom. Sanch., quod Lectores mensæ, & famuli possint aliquid sumere immediate ante mensam domini, quia propter necessitatem legendi, & inserviendi censentur tunc incipere suam refectionem, quam post unam circiter horam perfecturi sunt. Idem pariter dicendum de multiplici comestione carniarum; nam qui, verbi gratia, in principio tantum, & sine mensæ comedit carnes, unum tantum peccatum mortale committit, quia censetur moraliter unam carniarum comestionem fecisse.

V. Quæritur secundo; Quam hora sumi possit unica refectio?

Respondeo, quod in veteri lege jejunium solvebatur ad solis occasum, ut videre est Judic. 13.: Qui mos receptus fuit in primitiva Ecclesia, ut patet ex D. Hieronymo in vita Sancti Hilarionis; Deinde fervor intepuit, & ceperunt homines comedere ad horam nonam, hoc est ad Tertiam post meridiem; idque consueverunt usque



usque ad tempora D. Th., qui vixit anno 1270., ut videre est 2. 2. quaest. 147. art. 7. Nunc vero communis usus fidelium fert, ut comedatur ad meridiem; Ita tamen ut licitum sit ulterius differre, cum sic rigorose jejunetur; anticipare autem notabiliter sine causa non liceat.

Existimo tamen cum Laym., Filiuc., Bonac., Lessi., & aliis apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 26., quod esset tantum veniale, immo ne veniale quidem, si cum causa refectio anticiparetur; verbi gratia, ob iter, aut urgens negotium. Quare falsum videtur, quod docet Sanch. disp. 53. horam comestionis ita pertinere ad essentiam jejunii, sicuti pertinet abstinencia a carnibus: Falsum etiam est, dari aut praecipuum, aut consuetudinem graviter obligantem ad non anticipandam comestionem ante meridiem, ut putant Fagund., Sanch., Navar., Azor. apud Trull.: Quia tamen meridies computandus est modo morali, non astronomico, ideo Trull. cum Villalob. patat, praeciso ullo privilegio horam competentem comedendi die jejunii absque ullo peccato esse per horam circiter ante meridiem; quia parum a meridie distat, & pro meridie computari potest.

### ARTICULUS III.

#### D Refectiuncula.

- I. *Varie opinantur Doctores circa quantitatem cibi in Refectiuncula; Omnium benignissima, & usu recepta opinio est, quod ea sit octo unciarum.*
- II. *In pervigilio Nativitatis Domini refectiuncula potest esse duplo major; & in iis Regionibus, ubi est consuetudo sumendi triplo majorem, immo etiam in vigilia Paschatis,*

*& Pentecostes servari illa licite potest.*

III. *Num possit in refectiuncula sumi exigua pars piscis majoris?*

IV. *Licetne sex uncias panis cum duabus unciis liquoris amygdalini coquere, & sumere pro jentaculo?*

V. *Num liceat sine causa coenulam sumere mane, rejecta in Vesperas cena?*

VI. *Non licet diluculo jentaculum sumere, & ad meridiem, seu ad Vesperas canare.*

I. **L**icitum esse vespertinum jentaculum nemo dubitat, cum consuetudine introductum sit; Et quamvis probabile sit introductum fuisse ex necessitate, vel ne potus vespere noceret, nunc tamen licitum est etiam sine necessitate, aut voluntate bibendi illud sumere, etiam causa alendi corpus.

Quaeritur tamen primo; Quantum cibi possit in refectiuncula sumi?

Respondeo, omnes convenire, quod debeat esse modica quantitas: Variant tamen in ea assignanda. Graff. permittit tres uncias. Homob. quatuor; Villalob. sex; Alii vero cum Joan. Sanch. volunt variam esse pro varietate personarum, itaut plus liceat infirmis, provecioribus aetate, nobilibus viris assuetis pluribus epulis, necnon degentibus in Regionibus frigidioribus, defatigatis, &c., quam reliquis. Alii cum Filiuc., Reginald. assignant quartam partem cenae ordinariae uniuscujusque. Omnium autem benignissima opinio videtur esse illa Fagund., & Suar. apud Dian. loc. cit. resol. 1., & quae in consuetudine est apud Nos, quod octo unciae ab omnibus sumi possint; talis enim mensura universonum excedit quartam partem cenae ordinariae; quis enim vespere comedat plerumque ultra triginta duas uncias?

II. Ve-



II. Verum in vigilia Nativitatis Domini duplo major (ideſt ſexdecim uncia) permittitur, etiamſi venerit in Sabbato quatuor temporum: Quamvis Petrus de Cenedo apud Dian. loc. cit. reſol. 35. putet poſſe ſumi in tali pervigilio quantum liberit ex fructibus, & dulciariis in iis Provinciis, ubi eſt talis conſuetudo. Et ſane colatiuncula iſthæc, cum præciſe ex vi conſuetudinis permittatur ejus quantitas, ſicut etiam qualitas ciborum, non aliunde metienda eſt, quam a conſuetudine uniufcujuſque loci, ut bene notat Bonac., Leſs., Tolet. Hinc quamvis invenias apud Sanc. in Opus. dub. 26. poſſe ſumi in vigilia Nativitatis cenulam triplo majorem ſolito, eo quod talis ſit uſus timoratorum etiam religioſorum; talis tamen opinio non eſt ſequenda, ubi non viget talis conſuetudo: Et eadem ratione in vigilia Paſchatis, & Pentecoſtes poteſt ſumi reſectiuncula duplo major in iis locis, ubi eſt talis conſuetudo, quæ ſane apud noſtrates non extat.

III. Quæritur ſecundo; Quænam qualitas ciborum in reſectiuncula permittatur?

Reſpondeo, Dianam pluribus in locis, præſertim part. 1. tract. 9. reſol. 1. acriter invehi contra illos, qui docent in reſectiuncula attendendam eſſe ſolam quantitatem, non qualitatem ciborum, oſtenditque conſuetudine, & auctoritate Doctorem permitti ſolum cum modico pane aliquos fructus, vel dulciaria, aut ad ſummum ex Laym., & Azor. aliquem piſciculum; Unde expreſſe inferit locutum fuiſſe ſine ratione, & fundamento contra communem Doctorem ſententiam Bonac. de Legibus diſp. ult. punct. 3., dum aſſerit in ſerotina collatione non tam cibi qualitatem, quam quantitatem attendendam; Additque omnes Theo-

logos tam ſuæ, quam noſtræ Religionis ab ipſo conſultos uno ore clamitare, qualitatem cibi in reſectiuncula frangere jejunium. Verum Bonac. de Jejun. quæſt. 1. punct. 3., Cajet., Sot., aliique apud Dian. part. 9. tract. 6. reſol. 8. cum Tambur. probabiliter putant, poſſe ſumi octo uncias ex pane, & piſcibus ſale coctis; nec non ex pultibus, ſeu mineſtris. Immo permittunt etiam aliquid caſei illi, cui permittuntur lacticia. Excludunt autem ova, utpote magnæ ſubſtantia, & nutritionis, & ex diametro oppoſita jejunio: Contra vero, quia non eſt certum conſuetudinem ſumendi jentaculum introductam eſſe ſub hac ſtricta neceſſitate, ut non poſſit niſi panis cum fructibus, aut herbis comedi, ideo etiam piſces ſale cocti, & mineſtræ permitti poſſunt, dummodo cum pane quantitatem debitam non excedant. Certum enim eſt, jentaculum ſumi poſſe; dubium vero, an hi cibi ſubſtantiales ſint excluſi? Igitur prævalet libertas illos aſſumendi. Sic diſcurrit Tambur., cujus ſententiam non amplecterer, niſi putarem conſuetudinem jam introductam, ut etiam exigua parte piſcis majoris, ut loquitur Bonac. loc. cit., non tamen ovis in reſectiuncula cum pane veſci poſſimus in debita quantitate octo unciarum: quam ſi quis parum excederet, addendo unam, vel alteram unciam, ex Filliuc., Leand., & aliis apud Dian. loc. cit. reſol. 15. nonniſi venialiter peccaret propter parvitatem materiae ſuperaddita, dummodo alias eodem die parvitatem materiae non ſumpſerit.

IV. Dubium eſt, An poſſit etiam quis panem, aut fabas in quantitate debita coquere in aqua, vel liquore amygdalino, & ſic ſumere pro jentaculo?

Negant communiter cum Filliuc. apud Tambur.; quia aqua illa non re-



retinet amplius rationem potus, sed propter coctionem ex illa, vel pane, vel fabis fit cibus solidus, seu pulmentum, quod deinde excederet quantitatem debitam. At Leand. quæst. 35. cum Pelliz., & Escob., & Dian. part. 10. tract. 14. resol. 58. ex Rochaful, Vival., Pasqualig., necnon Tambur. ex Bos. sect. 4. de Jubilæo casu 18. putat id posse permitti; quia revera illa aqua semper remanet vehiculum alimenti, nihilque addit ad substantiam nutritionis, & ea coctio solum reddit cibum magis stomacho convenientem; Quare sicut sumi potest panis vino infusus, ita etiam panis aqua, vel alio liquore coctus. Horum tamen sententia scienda est, non sequenda, utpote communiter rejecta; nisi in casu necessitatis, aut nimie lassitudinis, quando præstat sententiam hanc sequi, quam ex impotentia jejunium frangere.

V. Quaritur ultimo; Quanam hora sumi possit refectiuncula?

Respondeo, sub vespas, seu ante cubitum sumi posse juxta consuetudinem: Azor., & Fagund. apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 33. putant esse mortale sine necessitate illam sumere meridie, rejecta in vespas refectiuncula; quia cum vespertina tantum refectiuncula ex consuetudine permittatur, non matutina, qui mane illam sumeret, frangeret jejunium. Communius tamen docent, id tantum esse veniale; quia non variatur substantia jejunii, variando circumstantiam hujus cænulae. Tambur. demum ex Joan. Sanch. putat omnino licere, etiam sine causa; quod tamen non approbo. Illud certe licitum est, omissa refectiuncula, cœnam ad vespas differre.

VI. Sicut autem communiter docent esse saltem veniale refectiuncula notabiliter ante meridiem anticipare sine causa, quia aliqua deordinatio

est tam cito ad prandium accurrere; quando ceteri se continent; ita a fortiori veniale est refectiuncula diluculo sumere, & deinde meridie, vel sub vespas cœnare; præsertim quia esset novam jejunii formam inducere.

#### ARTICULUS IV.

De Obligatione Jejunii, & non cooperandi cum aliis in illius fractione.

- I. Jejunium Quadragesimale non est de jure divino, sed jam inde ab Apostolis in Ecclesia præceptum.
- II. Consuetudine plura jejunia in Ecclesia introducta sunt, & plura abrogata. Num Regulares teneantur ad jejunia consuetudine alicubi introducta?
- III. Quandonam frangens jejunium, ad quod ex pluribus titulis obligatur, plura peccata committat?
- IV. Num Franciscanus ad jejunia sue Regule obligetur ante vigesimum primum ætatis annum?
- V. Lex jejunii obligat etiam ad non cooperandum cum aliis in ejus fractione.
- VI. Num liceat invitare, ac offerre carnes parato jejunium frangere, non quidem absolute, sed sub conditione, quod velit omnino caribus vesci?
- VII. An peccent Caupones ministrando omnibus indiscriminatim carnes diebus esurialibus?
- VIII. Licite carnes ministrantur Infidelibus die jejunii, sicut pueris a te rationis usum.

I. **N**otandum primo, obligationem jejunandi esse ecclesiasticam; si enim esset de jure divino, non posset tanta variatio fieri in cibis, ætate, tempore, exceptione, &c. nec consuetudo aliquid immutare potuit.



tuisset. Dicitur autem a Sanctis Patri-  
bus Quadragesimale jejunium indu-  
ctum esse a Domino, præscriptum in  
Evangelio, & a Christo consecratum;  
quia Ecclesia, seu Apostoli Ecclesiæ  
rectores, ac doctores occasionem præ-  
cipiendi jejunium quadragesimale sum-  
pserunt ab exemplo Christi Domini,  
a Prophetis, & Evangelio, ut advertit  
hic Trull. ex Lefs.

Notandum secundo, etiam consue-  
tudine introduci posse jejunia, & de  
facto ex sola consuetudine obligant  
vigiliæ Sancti Joannis Baptista, San-  
cti Laurentii, Pentecostes, & omnium  
Sanctorum. Ratio est, quia consue-  
tudo habet vim legis, ex leg. De qui-  
bus, ff. de Legibus: Sicut e contra per  
consuetudinem legitimam abrogari  
possunt jejunia, & de facto abrogata  
sunt jejunia Rogationum, & Feriæ  
quartæ, & sextæ Adventus, ut norant  
Azor., & Lefs. dub. 4. Ubi tamen  
consuetudo est solum laicorum, non  
ligat Clericos; & ubi est Clericorum,  
non ligat Regulares: Et hinc est,  
quod Regulares non tenentur ser-  
vare jejunia ab Episcopis indicta, nisi  
forte ad vitandum scandalum; Quam-  
vis ex Trident. Regulares teneantur  
servare festa ab Episcopo indicta, &  
Interdictum. Quod si in aliquo Op-  
pido, vel Provincia aliquod jejunium  
generali consuetudine introductum sit,  
procul dubio etiam Clerici, & Re-  
gulares obligantur, ut communiter  
docent; quia sunt communia, & om-  
nium ibi habitantium moribus pro-  
bata.

III. Notandum tertio, quod qui initio  
Quadragesimæ proposuit nunquam je-  
junare, unum numero peccatum com-  
misit, (non secus ac qui uno ictu oc-  
cidit plures) in executione tamen  
singulis diebus, vel quoties carnes  
comedit, nova mortalia committeret.  
Præterea frangens jejunium, ad quod  
ex duplici præcepto, verbi gratia qua-

Part II.

tuor temporum, & vigiliæ tenetur,  
unum numero peccatum committit,  
quia utrumque hoc præceptum obli-  
gat ex eadem virtute temperantiæ:  
Econtra si quis violet jejunium, ad  
quod tenetur & ratione vigiliæ, &  
ratione voti, aut præcepti superio-  
ris, vel Confessarii, multiplex pec-  
catum committit; quia obligatio  
oritur ex pluribus virtutibus, videli-  
cet temperantiæ, Religionis, obedi-  
entiæ, &c., Unde Franciscanus, qui die  
Veneris tenetur jejunare sub mortali  
vi suæ Regulæ, cui voto astringitur,  
si eo die occurrat vigilia, & frangat  
jejunium, duplex peccatum commit-  
tit.

IV. Utrum autem ante vigesimum  
primum annum Franciscanus teneatur  
ad jejunium suæ Regulæ? Communi-  
ter affirmant apud Dian. part. 1. tract.  
9. resol. 16., quamvis non teneatur  
ad jejunia Ecclesiæ. Tambur. tamen  
cum Medin. & Graff. putat probabi-  
liter non teneri ad jejunia suæ Re-  
gulæ; quia præsumi potest nolle Re-  
gulam obligare sub mortali eum, quem  
non vult Ecclesia obligare: Et idem  
dicitur de Sexagenariis; Unde qui  
vovit tota vita jejunare singulis Sab-  
batis, probabiliter non tenetur, quan-  
do est sexagenarius.

V. Notandum ultimo, nos non so-  
lum teneri ad servanda jejunia Eccle-  
siastica, sed etiam ad non cooperan-  
dum cum aliis in fractione jejunii;  
unde sicut non licet alios invitare ad  
fornicandum, ad occidendum, &c.  
ita neque ad frangendum jejunium ex  
intentione, quod frangant, quia di-  
recte ad malum invitarentur.

VI. Quæritur tamen primo; An  
urbanitatis causa liceat ad cœnam in-  
vitare paratum frangere jejunium, non  
quidem ex intentione, quod jejunium  
frangat, sed ex intentione, quod si  
velit frangere, potius tuæ domi, quam  
alibi comedat?

V R



Respondeo, Villalob., Navar., Philiar., & alios apud Dian. resol. 38. id permittere, contra Less., & Fagun. Ratio est, quia non invitatur hic ad cœnandum absolute, sed conditionate, si scilicet vult frangere jejunium. Verum in hac re notandum, quod Tambur. advertit lib. 5. cap. 1. §. 4. de parato ad peccandum, verbi gratia ad frangendum jejunium, & de peccaturo, verbi gratia de transgressuro præceptum jejunii. Si Titius transgressurus est præceptum, quia, verbi gratia, decrevit jam violare jejunium, ubicumque reperiat cibos, Vasq. docet, quod non liceat illum absolute ad cœnam invitare, sed solum conditionate dicendo, Si omnino velis cœnare, cœna apud me; Et quamvis Pal. putet, quod id non liceat, immo quod nec possis illi cœnam præparare, eo quod cooperareris peccato illius, tamen Less. lib. 4. cap. 2. num. 24. permittit cum Vasq., quod conditionate invitetur, quia peccatum internum illius jam est patratum, & impediri non potest. Et Sanch. lib. 1. cap. 7. excusat universim a mortali, qui solum remote cooperatur cum transgressuro præceptum, verbi gratia vendendo Titio cibos, quos vult ad jejunium frangendum, aut vendendo agnum Infideli, quem scio velle ad immolandum Idolo; quia cum alius venditurus sit, si ego non vendam, & peccatum internum impediri non possit, non pecco graviter cooperando sine magna necessitate ad solum externum peccatum illius; Contra vero si cooperarer proxime cum transgressuro præceptum; unde non licet scalas admovere, vel humeris sustentare, quem scio velle furari, etiamsi alter id præstaret me recusante; nisi tamen excuset a causa urgentissima, puta a timore mortis.

Verum circa paratum ad peccandum, seu solitum transgredi præceptum,

putant Sanch., Pal., nunquam posse nos illum invitare, nec absolute, nec conditionate; quia tenemur impedire peccatum etiam externum proximi, quando commode possumus. Ledesma, & Emman. cum Cajet. & Navar. apud Less. lib. 4. cap. 2. num. 21. putant licere, quando id fit urbanitatis causa, & non ex intentione peccati alterius. Immo Hurtad. apud Dian. part. 5. tract. 7. resol. 8. cum Lugdisp. 25. num. 234. absolute docet, quod liceat sine necessitate petere mutuum etiam signate ad usuras ab usurario parato; sicut etiam ex Azor. petere Sacramenta a Sacerdote parato illa ministrare in mortali, quamvis commode possis ea ab alio habere. Ratio est, quia dum facio, quod mihi utile, vel conveniens est, & de se non est malum, estque tale, ut eo alius recte uti possit, si non recte utatur, sibi imputet; Neque enim teneor abstinere ab actionibus de se non malis, eo quod proximus ex sua malitia abutatur ad peccandum. Verum Hurtad. cum Dian. loc. cit. hanc adhibet distinctionem: Si proximus sit paratus ad peccandum hic & nunc, non ex malitia, sed ex passione vehementi, id est ex fragilitate, tenemur sub pœna peccati scandalii a talibus actionibus abstinere; quia scandalum hoc passivum pusillorum tenemur vitare, quando commode possumus; Secus vero si ille sit paratus ad peccandum ex malitia; quia non tenemur vitare scandalum hoc pharisaicum. Has omnes opiniones ut probabiles admittit Tambur. loc. cit.

VII. Queritur secundo; An peccent Caupones, seu tabernarii offerentes cœnam omnibus indiscriminatum die jejunii, & ministrantes carnem?

Respondeo, communiter Doctores contra Less. loc. cit. docere, quod tabernarii non teneantur interrogare hospites cœnam, aut carnes petentes,

an



an excusentur a jejunio, etiam si dubitent, an excusentur, & a fortiori si probabiliter credant excusari. Ratio est, quia in dubio nemo debet praesumi vel le peccare, ex leg. Merito, ff. Pro socio, Si vero probabiliter, vel certo moraliter sciant tabernarii, quod hospites peccent cœnando, Navar., Tolet., Medin., & alii apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 39. permittunt, quod illis cœna ministraretur. Quod etiam docet Sanch. lib. 1. cap. 7. Ratio est, quia ministratio illa, immo & ultroque invitatio non fit directe ad non jejunandum, sed solum ex intentione lucri invitantur ad cœnam, veluti conditionate, hoc est, si velitis cœnare, potius cœnate apud me, quam divertatis ad alium. Præterea sicut ab usurario parato peti potest mutuum, quia de se potest id sine peccato poni, si scilicet detur mutuum sine usuris; ita quia potest hospes sine peccato cœnare, dummodo semel in die cibis Quadragesimalibus se reficiat, ideo absolute exhibetur illi aliquid de se indifferens, quo ille sua malitia abutitur. Si vero loquamur de ministratio, & invitatione ad carnes, certum est, non posse tabernarios invitare hospites, nisi conditionate, ut diximus quæsito antecedenti, dicendo, quod si velint absolute carnes comedere, potius illas comedant in tali taberna, quam alibi. Ratio est, quia comestio carni fieri non potest sine peccato a non excusatis; sicut potest sine peccato fieri cœna, dummodo semel tantum fiat.

VIII. Notandum demum, quod pueris ante usum rationis, sicut etiam Paganis licite carnes ministrantur; quia non tenentur legibus Ecclesiasticis.

## ARTICULUS V.

## De Infirmis, &amp; Paupertate a Jejunio excusantibus.

- I. Excusant Dispensatio, & Impotentia saepe orta ex infirmitate, paupertate, labore, ætate.
- II. Infirmitas excusans debet esse notabilis, puta si timeatur ex jejunio capitis vertigo, aut stomachi dolor; Aut si ex illo impediatur consuetudo uniuscujusque operationes.
- III. Prægnantes, & nutrices, etsi valida, ad jejunium non tenentur, sed tenentur secundum se a carnibus abstinere. Qui absque cœnante noctu calefieri sufficienter, non tenentur mane jentare, ut vespere cœnet.
- IV. In dubio an jejunium sit graviter nociturum, standum iudicio Medici docti, & timorati; vel petenda est dispensatio; Quæ probabiliter dari potest, etiam si dubitetur, an detur iusta causa ad dispensandum.
- V. Nec Medicus, nec Confessarius dispensare potest in jejunio, sed solus Superior; etiam Parochus; non tamen Abbatissa.
- VI. Excusatur pauper, si careat sufficienti cibo. Sed quinam dicitur cibus sufficiens?
- VII. Num liceat messoribus, ac iter agentibus vesci lacticiniis, si desit sufficiens aliud alimentum?

I. **A** Jejunio excusant Dispensatio, & Impotentia, sive physica, sive moralis; hæc autem oritur ut plurimum ex infirmitate, paupertate, labore, ætate. In hoc articulo agendum de infirmitate, & paupertate, in sequenti de labore, & ætate.

II. Quæritur primo; Quænam infirmitas a jejunio excuset?

Respondeo non nisi notabilem. Qua-



re excusantur tam qui de facto infirmi sunt, quamvis ex propria culpa, quam qui ex jejunio notabilem infirmitatem timent, verbi gratia capitis vertiginem, stomachi dolorem; non enim expectandum est actuale detrimentum, sed sufficit timor non levis mali, non quidem gravissimi, sed notabilis. Quare qui sibi bona fide, vel ex experientia, vel ex probabili ratione persuadet graviter nociturum jejunium, non tenetur jejunare.

III. Si tamen petas, quodnam dicatur damnum notabile? Respondeo hanc regulam a Doctoribus assignari. Si ex jejunio impediatur operationes ordinariae cujuscumque personae, jejunium dicitur graviter nocere: Verbi gratia, si studens ex jejunio capite doleat, ita ut cum difficultate possit studere, si cum gravi incommodo famula exerceat servitia domus, aut artifex opus suum. Et hac de causa communiter excusantur praegnantae omnes, & nutrices, idque etiam si robustae sint, ex Reginald. contra Sylvest. apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 14.; quia istae paucae sunt, & leges aptantur ad communiora. Universim autem praegnantae, & nutrices indigent multiplici refectione; quamvis teneantur abstinere a carnibus, nisi specialiter indigeant. Idem putat Tambur. dicendum de foemina, quae probabiliter mox est conceptura, si a medicis judicetur, jejunia matris nocitura proli suscipiendae; debet enim mater convenientia remedia, & alimenta ponere, ne forte foetus concipiendus elanguescat. Excusatur etiam, qui ita stomacho debili friget, ut sumere non possit una vice refectionem sufficientem; Necnon qui noctu per notabile tempus dormire non potest, nisi cenet; aut qui de nocte absque perfecta coena calefieri notabiliter nequit. Hoc enim est nimis onerosum. Neque hic obligatur ad jejunandum magis, ex Sanch. & Dian.

resol. 5., Fagund., & Tambur. Ratio est, quia nemo obligatur ad remedia extraordinaria, & relinquere jus suum comedendi circa meridiem.

IV. Adde, non solum infirmitatem actualem, aut imminetentem excusare, sed etiam si sentias stomachi debilitatem extraordinariam, aut notabilem lassitudinem, ex Bonac.; quia universim cum gravi incommodo praecipuum jejunandi non obligat. Quando autem dubium est, an infirmitas sit satis ad excusandum a jejunio, vel ab abstinencia a carnibus, requiritur vel medici docti, & timorati judicium, vel dispensatio Superioris. Certe autem sufficiens causa habetur, quando adest solum periculum probabile damni gravi: Immo quando adest dubium, ad detur causa sufficiens ad dispensandum, poterit etiam dari dispensatio, ut docet Sanch. lib. 4. cap. 45. contra Bonac. apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 31.; quia bonum, & suave Ecclesiae regimen id postulat. Quamvis in tali casu consultius sit ex Tambur., quod admisceatur aliqua commutatio, verbi gratia in elemosynam, orationem.

V. Queritur secundo; An etiam Confessarius, & Medicus dispensare possint in jejuniiis?

Respondeo negative, cum non sint Superiores: Quare possunt hi, & quilibet alius vir prudens, & peritus solum declarare, quod adsit causa sufficiens ad non jejunandum; dispensare autem potest solus superior habens jurisdictionem in foro externo, videlicet Episcopus, & Praelati regulares relate ad suos subditos; Vicarius etiam generalis Episcopi, non quidem ex generali commissione Vicariatus, sed ex speciali mandato, ut diximus cum de praecipuo missae; Et propter praescriptam consuetudinem etiam Parochus ex Sanch. lib. 8. disp. 9., ne nimis graventur fideles, & Episcopi, si esse



tent pro his frequentibus, & minutis dispensationibus semper ad eundem: Non tamen Abbatis, cum non habeat jurisdictionem spirituales; nec detur talis consuetudo, sicut datur in Parocho. Quando autem nec datur superior, qui dispenset, nec vir peritus, qui declaret sufficientiam causæ excusantis, satis est ex Sâ, quod ipse subditus bona fide putet dari sibi causam sufficientem.

VI. Quæritur tertio; Quam paupertas excuset?

Respondeo, excusare paupertatem, quando quis ob illam cogitur laborare, & propter defatigationem indiget secunda refectio. Secundo, quando quis caret cibis, quibus unam sufficientem refectioem assumat. Non habet autem sufficientem refectioem ex Tambur., & aliis apud Dian., qui solum habet copiam panis, & vini relate ad eos, qui non sunt ad id assueti, eo quod tale jejuniis videatur nimis onerosum. Si vero semel, aut iterum habeat insuper aliquod obsonium, verbi gratia nuges, olivas, cæpas, &c., ubi non patietur notabile incommodum, videtur universim obligandus. Quod si contingat non raro, solum videtur obligandi rustici firmæ sanitatis, & his vilioribus obsoniis assueti, non vero alii, qui sic nimis, & extra modum macerentur; nisi tamen haberent quotidie plura ex his vilibus obsoniis; quicquid alii in hoc contradicant.

VII. Ex his infertur, excusari iter agentes, qui hora prandii non possunt invenire sufficientem alimentum. Secundo, ex Sanch. apud Trull. excusantur agricolæ, si edant, & præbeant suis domesticis, messoribus, putatoribus lacticiis, & ova, quæ possunt facile invenire, quando commode non possunt invenire pisces, aut aliud, quod comedant.

## ARTICULUS VI.

De Labore, & Ætate, quæ a Jejuniis excusantur.

- I. Excusantur a jejuniis, qui exercent artem de se laboriosam, quamvis possent commode jejunare.
- II. Quam dicatur ars de se laboriosa impossibilis cum jejuniis?
- III. Non videntur artes de se laboriosæ, Ars Sutoris, qui pannos sūt, & Ars Barbitonsoris; unde solum per accidens excusari possunt.
- IV. Quam reputentur exercitia de se non laboriosa? Num Cantoris, Advocati, Concionatoris? Et quid de iter agentibus?
- V. Qui arti laboriosa operam navant, si uno, aut altero die a labore desistant, num teneantur iis diebus jejunare?
- VI. Quando Coniux a jejuniis excusatur, si non possit aliter debitum reddere?
- VII. Non licet in fraudem jejuniis opus laboriosum assumere, aut longum iter. Quomodo liceat aliquando ire venatum, quamvis non sit compossibile jejuniis cum ea venatione?
- VIII. Probabiliter senes etiam robusti ad jejuniis non obligantur inchoato anno sexagesimo; Et femine juxta nonnullos inchoato quinquagesimo. Quid si dubitetur de tali ætate?

I. Quæritur primo; Quam labor excuset a jejuniis?

Respondeo, laborem omnem cum jejuniis impossibilem excusare. Dicitur autem impossibile labor, quoties cum gravi difficultate, & incommodo laborans jejunaret. Immo ex Eugen. IV. excusantur omnes illi, qui artem de se laboriosam exercent, puta lignarii, fossores, bajuli, etiam si quis

re-



reperiatur, qui possit commode cum tali labore jejunare; Ratio est, quia semper a lege inspicitur, quod communiter, & per se contingit.

II. Dubium est primo, Quanam dicatur ars de se laboriosa?

Respondeo, omnem illam, quae fit cum magna membrorum agitatione, & consumptione spirituum. Univerfim autem laboriosam artem exercent fossiores, aratores, bajuli, figuli, ferrarii, lignarii, argentarii, seu aurifices, qui malleo, aut lima metallum versant, fullones, seu qui toto die vestibus, aut telis lavandis dant operam, coriarii, lanarii, seu qui lanis tergendis, lavandis, & discutiendis navant operam; necnon pistores, iter pedibus agentes, cursores, seu deportatores epistolarum, qui equo currunt magnam diei partem, typographi, qui versant praalum, non vero qui literas ordinant, ut bene Dian. part. 4. tract. 2. resol. 137., ornantes templum, quando circumferendo scalas, ac per illas ascendendo magno labore agitantur: Item sutores ex Azor, seu qui calceos suunt, quorum ars est laboriosa; nisi tamen, ut notat Tambur., solum scindant corios ab aliis suendos; vel nisi suant corium tam molle, ut pannum suere videantur.

III. Dubium est secundo de sutoribus, qui scilicet pannos suunt, ac de Barbitonsoribus, & aliis hujusmodi.

Respondeo, putare Trull., & Tambur. ex Ledesm., & Sa non esse improbabile, quod non teneantur, e ratione, quia Eugenii IV. privilegio excusantur omnes artifices, qui artem laboriosam exercent, sive Eugenius declaret eos non teneri, sive privilegium illis concedat.

Sed communius cum Less. Laym., Filluc., Bonac. apud Dian. part. 1. tract. 8. resol. 8. putant teneri; quia Eugenius, ut notat Tambur. num. 28.,

dum eximit a praecipio jejunii artifices, loquitur de artificibus exercentibus artes laboriosas; unde discutendum semper est a Doctoribus, an illae sint artes laboriosae; Praefertim quia confixa est ab Alex. VII. propos. 30. dicens: *Omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusari ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

Non nego, magis late patere omnes officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sub quo nomine veniunt etiam scribae, notarii, &c., quam omnes artifices exercentes artes laboriosas; Unde Alex. VII. non damnat aperte opinionem adductam, quod hujusmodi artifices non teneantur. Verum haec condemnatio videtur magnum pondus addere sententiae communiori, quod scilicet Barbitonsor, verbi gratia, de se non excusetur; quamvis per accidens excusari potest, si continue stando suum officium exercere non possit, nisi se reficiat.

IV. Dubium est tertio; Quanam reputentur exercitia non laboriosa?

Respondeo, esse illa, quae exercent scriptores, notarii, pictores, nentes filum, statuam fingentes sine magno mallei strepitu, & conatu, famuli comitantes moderate per Urbem Dominum rheda ambulantes, sicut etiam equo, vel rheda iter agentes: Damnatur enim ab Alex. VII. prop. 31. dicens: *Excusantur absolute a praecipio jejunii, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.* Qui tamen iter unius diei, vel per magnam diei partem, videlicet, ut notat Trull., duodecim, vel quindecim miliariorum, pedibus conficit, aut iter plurium dierum, puta octo, vel decem, conficit equo, vel rheda cum magna defatigatione, per accidens etiam excusabitur. Sic coqui



si toto fere die exercitia culinæ exerquantur; sic Concionatores, si saltem ter, quaterve in hebdomada cum magna contentione concionem habeant ad populum; Immo si unam tantum concionem habeant eo die, per accidens excusari possunt, si debilitas id exigat. Sic denique lectores, confessori, advocati, procuratores, cantores, scribæ, quando labor est improbus, & complexio debilis, itaut suum munus obire sine gravi incommodo non possint. Immo, ut notat Trull. num. 9. excusantur ratione laboris, qui labore suo victitant, ex quo gravis, vel mediocris afflictio (secus si levis) sequeretur; quia Ecclesiæ præcepta benigne sunt interpretanda; & in moralibus, quod est valde difficile, reputatur impossibile.

V. Dubium est quarto; An qui artem de se laboriosam exercent, teneantur jejunare, si uno, vel altero die in Quadragesima non laborent?

Respondeo cum Dian. resol. 9. ex Fagund. & Sanch. non teneri; quia indigent viribus ad laborem sequentium dierum, & remanent a laboribus præteritis debilitati. Verum, si multis diebus a labore vacent, procul dubio tenentur.

VI. Dubium est quinto; An conjux liberetur a jejuniis, si non possit aliter debitum reddere?

Respondeo, certum esse, quod prævaleat obligatio ex justitia reddendi debitum, quæ est naturalis, obligatioque positivæ jejunandi; Quare peccaret conjux jejunando, si sic redderetur notabiliter impotens ad debitum reddendum. Notandum tamen, quod non teneatur ex justitia reddere debitum, nisi moderate, & juxta qualitatem suæ complexionis; moderatio autem attendenda est spectata conjugum qualitate; nam senes, & imbecilliores ratiis uti convenit matrimonio, quam juvenes, & robustos. Quare

conjux non liberatur a jejuniis, ut potens sit ad reddendum debitum immoderate. Immo nec liberatur, ut potens sit ad petendum debitum moderate, ut notat Tambur. contra quendam, qui putat liberari, eo quod ad talem petitionem conjuges habeant jus. Ratio est, quia sic fere omnes conjuges liberarentur. Liberatur tamen conjux, si advertat in alio periculum incontinentiæ, nisi perat, nec possit petere, si jejuset: nec non uxor, si ex jejuniis continuatis ita reddatur pallida, & macie confecta, ut timor rationabilis sit, ne minus notabiliter a viro ametur, & idcirco aut rixæ proveniant, aut alii a viro quærantur amores. Idem dicas de puella volente nubere, si ex jejuniis speciositatem faciei notabiliter amitteret, maciemque contraheret extraordinariam; Ac demum si uxor ita prohibeatur a viro jejunare, ut nisi obediat, notabiles discordiæ exoriantur, dummodo id non prohibeatur ex contemptu præcepti Ecclesiastici.

VII. Quæritur secundo; An possit quis sine causa die jejunii aliquod opus laboriosum, sive iter assumere, ne jejuset, quando commode alio die tale opus exercere potest? Et idem quæritur de eo, qui medicinam eo die sumit, ne jejuset?

Respondeo, Sanch., & alios apud Trull. putare, quod si in fraudem jejunii sine ulla causa tale opus assumatur, non liceat. Ratio est, quia fraus, & dolus nemini patrocinauit. Si vero non in fraudem jejunii, sed bona fide assumatur aliquis labor honestus, quamvis prævideatur esse incompatibilis cum jejuniis, licet illum assumere; Unde Sanch. lib. 5. Consil. cap. 1. dub. 2. permittit, quod Magnates recreationis causa eant ad venandum, vel in ludo hastarum se exercent, dummodo semel, aut iterum id faciant, non frequenter, nec in fraudem



jejunii, quamvis praevideant non posse tunc jejunare.

Non nego, Dian. part. 1. tract. 9. resol. 52. putare ex Joanne Sanch., & aliis contra Azor., quod possit quilibet die jejunii assumere laborem cum jejunio incompatibilem, etiam animo ne jejuset, quamvis possit commode tali labore abstinere; quia in tali casu non intervenit fraus, aut dolus, sed fuga quadam ab obligatione praecepti, quae tamen contra praeceptum non est; Sicut non est contra praeceptum jejunii egredi ex illa civitate, in qua urget obligatio jejunii municipalis, ne quis ad jejunium teneatur. Et Ledesm. apud Dian. loc. cit. resol. 40. aperte dicit ex Medin., non peccare eum, qui apponit jejunio impedimentum, etiamsi quis, verbi gratia, iter faciat ad fornicandum; peccaret enim contra castitatem, sed non contra legem jejunii. Hac tamen sententia jure merito communiter rejicitur; quia universim praeceptis non licet apponere impedimenta; verbi gratia, non licet projicere breviarium, ne teneamur ad horas, nec licet die festo ire venatum, ubi non est oportunitas audiendi Sacrum; (quamvis id permiserimus, si tempore remoto ab obligatione praecepti tale opus assumatur, verbi gratia, die antecedente) ergo nec licet sine causa in fraudem jejunii assumere defatigationem, medicinam, &c., incompatibilem cum jejunio. Nec Doctores a Dian. citati loquuntur in casu, in quo obligante praecepto, velit quis apponere impedimentum, ne obliget, sed in casu, quo quis egreditur e loco, ubi praeceptum obligat, qui casus est omnino diversus: Et quamvis possit

quis egredi e loco, ubi praeceptum obligat, ne obligetur; non potest tamen apponere praecepto impedimentum, ne obligetur. Et ratio radicalis est, quia qui obligatur ad finem, obligatur ad ponenda media, & ad removenda impedimenta; unde praecepto urgente, non licet apponere impedimentum: Contra vero nemo obligatur remanere in loco, ubi praeceptum obligat; unde licite egreditur, ne obligetur.

VIII. Quiritur tertio; Quanam aetas a jejunio excuset?

Respondeo, excusari omnes ante vigesimum primum annum completum, & senes post sexagesimum inchoatum, ut probabiliter docent Doctores contra nonnullos apud Dian. part. 1. tract. 9. resol. 20. qui docent sexagenarios robustos adhuc obligari. Sed Sanch. de Matrim. lib. 7. disp. 62. excusat sexagenarios non solum a jejniis Ecclesiae, sed etiamsi certis diebus vovissent tota vita jejunare; quia aetas illa est facile obnoxia valetudini infirmæ, a qua agere potest deinde senex se liberare: Præterquamquod robur senum est illusivum, & indigent repetito alimento. In fœminis autem probabiliter ex Valer., Narbon., Machad., Pelliz., Dian. part. 9. tract. 7. resol. 73. contra quamplures putantes id non esse tutum, definit obligatio jejunandi inchoato anno quinquagesimo. Si quis autem post adhibitam debitam diligentiam adhuc dubitet, an annum vigesimum primum compleverit, jejunare non tenetur, quia stat in possessione libertas: Contra vero si dubitet an ad aetatem senilem pervenerit, adhuc tenetur jejunare, quia stat in possessione praeceptum.



# Q U Æ S T I O XI.

## De quarto Decalogi Præcepto

### *Honorandi Parentes.*

**E**Xplanatis præceptis primæ tabulæ, quæ ad Dei dilectionem, & cultum spectant, descendimus ad præcepta secundæ tabulæ, quæ pertinent ad proximi bonum, & amorem. Quia tamen inter proximos parentes sunt proximiores, ideo primum præceptum hujus tabulæ (Exod. 20.) est, *Honora patrem tuum, & matrem tuam, & eris longævus super terram.*

Nomine autem Parentum veniunt etiam omnes, qui carnis cognatione conjuncti sunt, ut Avi, Fratres, Patru, Conjuges, necnon Superiores tam sæculares, quam Ecclesiastici, & ii, qui pro nobis curam gerunt, ut tutores, magistri, procuratores. Quare primo agendum de obligatione filiorum erga parentes. Secundo, de obligatione parentum erga filios. Tertio, de obligatione conjugum ad invicem, necnon de obligatione fervorum, & subditorum erga dominos, & alios superiores.

### ARTICULUS I.

#### De Obligatione filiorum erga parentes.

- I. Filii Parentibus debent Amorem, Reverentiam, Obedientiam, & Subventionem.
  - II. Amor Parentibus debitus consistit in fuga odii, & in exhibitione signorum amoris; necnon in dilectione interna, & formali.
  - III. Reverentia Parentibus debita quid ferat? Et quando ab ea filii deobligentur?
  - IV. Quando graviter peccent filii non obtemperando Parentibus?
  - V. In iis, quæ pertinent ad vitæ statum, tenentur filii consulere Parentes, quamvis non teneantur deinde eorum consilium sequi.
  - VI. Tenentur filii Parentibus subvenire tam in necessitatibus spiritualibus, quam in temporalibus.
- Pars II.

VII. In gravi necessitate Parentum tenentur filii abstinere ab ingressu in Religionem; necnon in extrema fratrurn, aut sororum. At egredi e Religionem tenentur solum in extrema Parentum necessitate.

VIII. Eodem modo Parentes tenentur ab ingressu in Religionem abstinere in gravi necessitate filiorum, & in extrema egredi.

I. **I**N quatuor consistit talis obligatio, seu honor parentibus, videlicet in Amore, Reverentia, Obedientia, & Subventionem tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Quare primo filii tenentur amare præ omnibus aliis Parentes, quamvis non præ Deo. Nam Luca 14. dicitur, *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, non potest meus esse discipulus.* Secundo, tenentur revereri illos reverentia interiori simul, & exteriori. Tertio, obedire, (quando tamen non præcipiunt aliquod contra bonos mores,

X res,



res, & salutem animæ) verbi gratia si illis præcipiant vitare pravitas amicitias, relinquere ludos prohibitos, &c. Demum subvenire in omnibus eorum necessitatibus.

II. Quæritur nunc primo; In quam consistat amor a filiis debitus erga Parentes?

Respondeo, consistere in fuga odii, & in exhibitione signorum amoris. Unde peccant mortaliter primo, si illos odio prosequantur, aut si malum illis grave excogitent, verbi gratia mortem, ut potiantur hereditate, aut ut liberentur eorum vexationibus, etiam si id desiderent non ut malum patris, sed ut bonum cupientis, ut loquitur Innoc. XI. in propos. 4. damnata; qui etiam damnavit propos. 15., quæ dicit: *Licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas*. Secundo, peccat etiam graviter, qui torvis oculis fere semper parentes intuetur, & ita aspere alloquitur, ac si odio haberet; quamvis illos interius diligat. Præterea sicut tenemur diligere proximum actu interno, & formali, ut constat ex thesi decima ab Innocentio Undecimo confixa, quæ habet: *Non tenemur diligere proximum actu interno, & formali*, ita a fortiori tenemur sic Parentes etiam diligere.

III. Quæritur secundo; Quam reverentia Parentibus debeat?

Respondeo, non solum interiorem per recognitionem subjectionis erga illos, & timorem quendam filialem, sed etiam exteriorem verbis, & aliis signis, verbi gratia honorifice loquendo de illis, non detrahendo, caput aperiendo, famulando, ac damna impediendo. Hinc etiam peccant mortaliter, qui maledicta, convicia animo deliberato, & contumelias in parentes etiam mortuos conjiciunt, nisi excusentur ratione parvitatis materiæ,

aut indeliberationis. Peccant etiam mortaliter, qui parentes passim increpant, aspere, & dure tractant, & illos in magnam iram provocant, etiam si re ipsa illi non indignentur; Et qui illos percutit, aut manus elevat ad percutiendum, aut contemnit, nec vult parentes recognoscere (nisi forte sint infames, proditores, hæretici, &c. tunc enim propter bonum commune iusta datur causa dedignationis) Peccat demum graviter filius, si parentem de aliquo crimine, etsi vero, accuset; cum in omni lege prohibeatur filiis accusare, vel testificari contra parentes; exceptis duobus casibus, scilicet Conjuracionis in Patriam ante crimen patratum, & hæresis, ut communiter docent contra Simanchan ex Abulensi apud Trull.; potestque etiam filius agere contra parentem denegantem alimenta.

IV. Quæritur tertio; In quibusnam filiis debeat obedire parentibus?

Respondeo, in omnibus, in quibus est subiectus, ita ut graviter peccet in materia gravi, & venialiter in re levi. Unde sequitur peccare graviter filium, qui patri aliquid circa bonos mores præcipienti non obedit, ut circa fugam pravitarum amicitiarum, ludorum, nisi parvitas materiæ excuset; quia pater tenetur filium bonis moribus imbuere: Peccat etiam graviter non obediendo in iis, quæ ad domesticam gubernationem spectant, si res sit gravis, ut notat Sanch. lib. 4. cap. 15. Notat tamen Bonac. hic, quod in re levi excusetur etiam a veniali filius inobediens, si pater imperet aliquid non intendens obligare ad obediendum obedientia sibi debita; cum præceptum non obliget ultra intentionem præcipientis; Et ideo in tractatu de Matrim. dicitur, quod uxor denegans viro debitum excusetur a mortali, si vir benevole illud petat, & non ut sibi debitum ex iustitia, seu non inten-



tendens illam obligare ad reddendum sibi debitum.

V. In iis, quæ pertinent ad vitæ statum, non tenetur patri filius obedire, videlicet in materia religionis, aut matrimonii: Et hinc est, quod potest inficio patre statum assumere, si prævideat injuste sibi impediendum: Aliter tenetur ex reverentia debita illum monere, & consulere; quamvis non teneatur deinde ejus voluntatem sequi, nisi ducat indignam, aut malus ex digna timeatur exitus, & scandalum; vel nisi multum expediret, quod ducat dignam, quam pater vult, puta quia cessabunt inimicitia. Quamvis autem graviter peccet filia, (sicut etiam filius) quæ invito Patre vult nubere indigno, non eatenus exhæredari potest, ut fusc ostendit P. Andreas Zuccherius Societatis Jesu ex Molina, Sanch., & aliis in suis valde commendatis Decisionibus Patavinis de obligationibus Patrum familias Casu 2. Mensis Decembris.

VI. Quæritur quarto; Quando nam filii teneantur subvenire parentibus?

Respondeo, in necessitate tam temporali, quam spiritali eos ad subveniendum teneri. Unde peccant graviter filii primo, si non curent patrem in mortis articulo confiteri, & alia Sacramenta suscipere, aut si impediant, ne testamentum faciat, aut aliquid pauperibus in animæ utilitatem erogat; faciunt enim contra præceptum succurrendi parentibus in spiritalibus. Secundo, si differant solutionem legatorum, & debitorum patris; fieri enim potest, ut notat Bonac., quod ex solutione legatorum a purgatorio ejus anima liberetur. Tertio, si parentum funus non celebrent pro viribus, nec curent corpora sepulturæ mandare, ac preces, & sacrificia pro illis fundere. Quarto, tenentur parentes alere, si non habeant, unde se possint honesta, ac decenti arte sustentare. Quinto, debent invisere parentes infirmos,

aut in carcere detentos, & eorum incolumitati consulere.

VII. Dubium est, an filius teneatur e religione egredi, ut parentibus succurrat?

Respondeo, certum esse, quod teneatur ab ingressu religionis abstinere, dum parentes in gravi necessitate versantur; quia præceptum præferendum est consilio; gravis autem necessitas dicitur, si illi sine ope alterius non possent vivere absque notabili jactura sui status, & conditionis, verbi gratia si nobiles tenerentur mendicare, aut famulari; Et idem dicas, si talis necessitas non sit præsens, sed probabiliter sit futura, ut notat Sanch.; Quæ tamen intelligenda, modo filius manendo in sæculo non incurrat grave periculum salutis spiritualis; quilibet enim tenetur salutem spiritualem propriam temporali proximi præferre. Certum est etiam, solum pro extrema, non vero pro gravi necessitate fratrum, sororum, aliorumque conjunctorum teneri sub mortali ab ingressu Religionis abstinere; quia magis stricte obligat præceptum subveniendi parentibus, quam aliis. Certum est tertio, teneri in his casibus filium e novitiatu egredi, cum militet eadem ratio. Verum ad egrediendum e religione solum tenetur, quando necessitas parentum est extrema, non vero quando est gravis, ex Sanch. apud Bonac.: Tenetur quidem in necessitate extrema, nam si extraneus, verbi gratia, in puteum cadat, & solus religiosus subvenire possit, ad id tenetur etiam Prælate invito; ergo a fortiori si pater sit in extrema necessitate; Non tenetur tamen in gravi, quia res uni tradita non potest extra necessitatem extremam illi auferri, & alteri tradi.

VIII. Quod diximus de filiis relate ad parentes existentes in necessitate, dicas de parentibus relate ad filios in eadem necessitate existentes. Quare



non possunt parentes ingredi religionem, si filii sint in gravi necessitate, aut non habeant necessaria ad educationem, quia parentibus incumbit illis providere: Tenentur vero e religione egredi in extrema necessitate filiorum, deferendo tamen habitum, & observando vota, & præcepta religionis eo modo, quo commode fieri potest; sublata vero necessitate extrema tenentur ad religionem regredi.

Demum in iis casibus, (de quibus articulo sequenti,) in quibus pater potest exheredare, & alimentis privare filios, non tenentur filii patrem sustentare.

## ARTICULUS II.

De Obligatione Parentum erga filios.

- I. Tenentur parentes bono spirituali, & temporali filiorum multipliciter prospicere; & si ad eorum emendationem est necessarium, possunt percutere etiam in Sacris constitutos.
- II. Mater solum tenetur lactare, & educare filium usque ad tertium annum, nisi pater sit impotens ad alendum filium. In defectum parentum tenentur Avi, deinde Avia. Si divites exponant filios Hospitali, tenentur huic expensas compensare.
- III. Plurima causa a Doctoribus assignantur, ob quas potest Pater filium exheredare.
- IV. Si filia contra voluntatem Patris nubat indigno, non potest exheredari.
- V. Num Pater filio, quem exheredare potest, teneatur alimenta prestare ad vitam sustentandam?
- VI. Quid veniat nomine alimentorum, qua Pater tenetur filio prestare? Num teneatur etiam alere uxores filiorum, & filia spuria dotem constituere?
- VII. Obligatio, quam habent parentes alendi filios, transit ad heredes; Sic-

ut etiam si bona parentis donentur Monasterio, aut addicantur fisco.

VIII. Quinam debet filium alere, si dicitur num sit filius Petri, an Pauli? Et Pater patratus a Patre, an a filiis alendus est?

I. **P**arentes jure naturæ tenentur curam filiorum gerere; Unde peccant graviter primo, si non curent, quantum in se est, ut præcepta Dei, & Ecclesiæ observent, a mortali saltem abstineant, & necessaria ad salutem addiscant, verbi gratia symbolum, orationem dominicam, &c. Secundo, ex Azor., & Reginald. si non faciant sumptus necessarios, ut filii studia literarum, aut artem aliquam addiscant, prout reliqui ejusdem conditionis facere solent. Tertio, si malo exemplo, & consiliis filios depravent, aut si non avertant occasionem peccandi, verbi gratia si permittant inter sponsum, & sponsam de futuro tactus impudicos; aut si filiabus permittant amatorem ad malum finem; Immo etiam si absque rationabili causa a bono revocent, ut ab ingressu in religionem, a votorum impletione, &c.; necnon si cogant ad matrimonium contrahendum; Et excommunicationem incurrunt latam a Trident. sess. 24. cap. 18. si filias cogant ad ingrediendum in religionem, vel ab ea retrahant vi, fraude, injuria.

Quarto, peccant etiam, si non objurgent, aut castigent filios, quando id est necessarium ad eorum emendationem; possunt enim moderate percutere etiam filium Clericum; & ex Bonac. contra Tolet. etiam in Sacris constitutum. Quinto, si non dent filiis etiam illegitimis, & adoptivis necessaria alimenta, & filiabus dotem; nisi tamen detur justa causa exheredandi, & alimentis privandi. Demum, si non adhibeant saltem mediocrem diligentiam ad acquirenda bona, quibus



bus filii juxta propriam conditionem alantur; Et ut sufficientem habeant hereditatem post mortem patris. Dicitur enim 1. ad Corinth. 12. *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parentes filiis.*

II. Quæritur nunc primo; Ad quid mater teneatur erga filios?

Respondeo, per se loquendo solum teneri educare, & lactare filium etiam spurium usque ad triennium, modo ipsa lacte non careat, aut justam causam non habeat non lactandi, ex leg. *Nec filium*, Cod. *De patria potestate*; Excepto autem lacte, nihil aliud tenetur mater filiis præbere, nisi tamen pater sit impotens ad alendum filium; tunc enim tenetur mater etiam post triennium, & in defectu matris Avia, & in horum defectu Avia. Quare ex Azor., & Navar. peccat saltem venialiter, si proprio lacte mater filium suum non lactet, nisi justa causa excuset; ut si mater sit imbecillis, aut nobilis, quam ex more patrio id dedecet; tunc enim tenetur bonam illi nutricem quærere. Peccat vero graviter parentes, si sine justa causa exponerent filios hospitali; si vero adsit causa, videlicet vel gravis necessitas, vel periculum infamiae, non peccant. Si tamen divites sint, tenentur expensas hospitali restituere, quia hospitalis domus non est instituta ad alendos filios divitum, ut communius docent contra Henr.

III. Quæritur secundo; Quanam sint causae negandi alimenta, & exhæredandi filios?

Respondeo, plurimas communiter assignari ex Sanch., Bonac., & aliis, videlicet si filius graviter in patrem manus injiciat, si contumelia gravi afficiat, si fiat hæreticus, si histrio, aut gladiator, si cum maleficis intermiscat se, si prohibeat patrem testari, si eundem accuset extra casum hæresis, aut conjurationis in Patriam, vel Princi-

pem; si infidietur vitæ patris, si ejusdem uxorem, hoc est novercam suam violet, aut ejus concubinam; si requisitus a patre in carcere incluso noluerit esse fidejussor; si patrem in judicium deserat cum ejusdem gravi detrimento; si patre offerente dotem filia minor viginti quinque annis luxuriose vivat; si parentis furiosi curam negligat; si eundem captivum non redimat, cum possit.

IV. Dubium est primo; An si filius committat aliud crimen simile, aut majus enumeratis, possit pariter exhæredari?

Negat Molin. cum Juristis communius, quia in Authentica dicitur, quod præter causas enumeratas nulli liceat alias ingratitude causas exponere. At Bonac., Reginald. cum Theologis communius affirmant, quia lex ad similia trahi potest; præsertim cum similis, aut gravior causa existit, ut loquitur Azor. part. 2. lib. 2. cap. 19. quæst. 6. Illud certum est, quod si filia nubat indigno contra voluntatem patris, non possit exhæredari, ne præjudicetur libertati matrimonii.

V. Dubium est secundo; An propter causas adductas non solum possit filius exhæredari, & privari alimentis, sed etiam omnibus necessariis ad vitam sustentandam?

Affirmat Molin., quia filius non habetur tunc pro tali; unde solum, sicut ceteri in extrema necessitate constituti, adjuvandus est; Covar. vero benignius docet teneri patrem necessaria alimenta præstare, quia ille non amittit ob culpam esse physicum filii, atque adeo in patre aliqua major obligatio residet, quam in aliis.

VI. Quæritur ultimo; Quid veniat nomine alimentorum, quæ pater tenetur præstare filiis? & utrum obligatio alendi filium transeat ad hæredes?

Respondeo, nomine alimentorum venire victum, vestitum, lectum, ha-

bi-



bitationem, medicinas, sumptus ad filii institutionem, & disciplinam, & alia ad vitam necessaria, juxta personae conditionem.

Ex Molin. autem contra Bonac. veniunt etiam expensae funeris, si filius decedat, & expensae competentes pro anima defuncti. Ex Sanch. vero lib. 4. disp. 26. pater non solum tenetur alere filios, sed etiam eorum uxores, quia in leg. *Si quis*, ff. *de liberis agnoscendis* dicitur, quod pater teneatur filiorum onera sustinere: Proinde tenetur filiae etiam spuriae constituere dotem, quae vicem alimentorum gerit.

VII. Haec autem obligatio alendi filios procul dubio transit ad haeredes illius, qui hanc obligationem habebat. Quare si quis sua bona Monasterio reliquit, tenetur Monasterium filios illius alere; Et eadem est ratio, si ob crimen parentis ejus bona fisco addicantur; quia non debent filii privari alimentis jure naturae debitum ob culpam patris. Quando tamen filius alimentis aliunde, quam a patre petitis, se sustentavit, non tenetur pater in foro conscientiae ad restitutionem; quia filio debentur alimenta solum in subsidium, ut vivat; Quare cum aliunde vixerit, non tenetur pater alimenta in praeteritum debita reddere, ut notant Reginald., & Bonac.; nisi tamen filius ob id contraxerit debita; ut probabiliter limitat idem Bonac.

VIII. In dubio autem, an Petrus sit filius Titii, vel Caji, probabiliter ex Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. neuter tenetur illum alere; probabilius tamen videtur, quod uterque in solidum. Quod si uxor rem habeat cum marito, & cum adultero, hic non tenetur prolem alere in dubio, an sit ab ipso genita. Demum si quis sit paterpatrus, seu habeat simul filios, & patrem, probabilius alendus est a patre, quam a filiis, ut multi docent contra

nonnullos apud Dian. part. 10. tract. 13. resol. 13.

### ARTICULUS III.

#### De Obligatione Conjugum ad invicem.

- I. *Etiamsi vir debet uxori praeter amorem, obedientiam in iis, in quibus est subjectus, & honorem.*
- II. *Potest vir objurgare, & leviter percutere uxorem, si sit spes emendationis; at nequit sine gravi culpa illam graviter percutere.*
- III. *Secundum se tenetur vir alere uxorem, quamvis illam duxerit indotatam.*
- IV. *Num. teneatur illam alere, quando ob utriusque culpam ab eorum coecef sit?*
- V. *Aliquando tamen uxor tenetur virum alere.*
- VI. *Majorem debet amorem, reverentiam, & obedientiam uxor viro, quam uxor viri, quippe qui est caput mulieris; unde tenetur uxor virum sequi: Sed quid si partum intercedat non mutandi locum?*

I. **Q**uaritur primo; An vir debeat uxori, praeter amorem, etiam obedientiam, & honorem?

Respondeo, debere illi obedire in iis, in quibus est subjectus; ex mutua enim conjugum obligatione fit, ut uterque teneatur ad arbitrium alterius debitum reddere; Consequenter debet uxori etiam honorem, quia honor debetur ratione superioritatis, & excellentiae; uxor autem aliqualem habet superioritatem, ut diximus, erga virum, habetque propriam excellentiam.

II. Hinc sequitur, peccare graviter maritum primo, si verba infamatoria proferat in uxorem, etiamsi sine animo infamandi, dummodo cum plena adver-



advertentia; Sicuti etiam si graviter illam verberet, cum non sit serva, sed focia; Quamvis possit aliquid discrete contra eam proferre, & moderate tantum verberare, juxta conditionem personæ, quando est spes emendationis. Secundo, peccaret graviter, si impedimentum illi sit ad observantiam præceptorum Dei, & Ecclesiæ sine justa causa. Tertio, si sine justa causa non cohabitaret cum illa longo tempore ipsa invita: Est autem legitima causa, si domus negotia magni momenti tractet, si timeat sibi aliquod grave damnum, dum est in civitate, si ex præcepto Superioris absit. Verum si spes redeundi ad Patriam tollatur, debet uxorem secum adducere.

III. Quæritur secundo; An vir teneatur uxorem alere?

Respondeo affirmative; ad hoc enim recepit dotem: Quod si pauperem duxit sine dote, sibi imputare debet vir, quod duxerit indotatam: Quare peccat graviter negando illi alimenta, modo alere possit, aut is, qui dotem promissit, non sit in mora culpabili solvendi dotem, aut nisi dos perierit culpa ipsius, qui solvere dotem tenebatur, aut nisi dos perierit culpa ipsius uxoris, aut demum nisi uxor sua culpa a mariti consortio recesserit; nam ex leg. *Julius ff. de actione emptoris, Qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet.*

IV. Dubium est; An uxor sit a viro alenda, quando utriusque culpa recessit a consortio illius?

Respondeo, ex Sanch. inspiciendum esse, cujus sit ultima culpa, nam si ob utriusque culpam recessit, & deinde vult uxor reverti, nec vult vir, tenetur hic alere, quia ultima culpa est viri; Quod si uxor ob favitiam viri recessit, & deinde oblata sufficienti securitate suavis tractationis in posterum, non vult uxor reverti, illam alere non tenetur; quia poenitentia vi-

ri purgat delictum, & perinde se habet, ac si propria sponte uxor recesserit.

V. Quæritur ultimo; An uxor pariter teneatur aliquando virum alere?

Respondeo, debere, quando scilicet pressio ex inopia viro, ipsa habeat, quomodo illi succurrat, sive ex bonis dotalibus, sive ex paraphernalibus, sive aliis, cum hoc postulet nexus conjugalis; etiamsi maritus sua culpa treribus sit addictus, aut sit infirmus; modo sua culpa non recesserit ab uxore, nec velit redire.

VI. Sicut autem diximus debere virum uxori præstare amorem, reverentiam, & obedientiam in iis, in quibus est subjectus, pariter debet id uxor viro; & a fortiori, quia vir est superior, & caput mulieris. Unde sequitur primo, peccare graviter, si notabiliter sit inobediens in iis, quæ spectant ad bonos mores, & ad familiæ gubernationem, cum in iis viro sit subjecta. Secundo, peccat etiam, si maritum in gravem iram, vel blasphemiam provocet, cum id obstat reverentiæ, & amori debito. Tertio, peccat etiam, si maritum alio pergentem sequi recuset sine justa causa; qualis esset periculum mortis, aut peccati: Vel si maritus post matrimonium fieret vagus; vel si pactum intercessisset non mutandi locum; (quamvis si justa causa superveniat mutandi locum, ut esset morbus, inimicitia, &c., tenetur uxor non obstante pacto maritum sequi.) Quarto, peccat, si reddere debitum recuset. Quinto, si jus gubernandæ domus sibi arroget; quamvis excusetur, si vir sit prodigus, aut si sit morosus, nec velit concedere, quæ in utilitatem familiæ redundant; Demum debet uxor tolerare mariti defectus; cum id ferat amor, & reverentia debita.



## ARTICULUS IV.

De Obligatione Dominorum, Superiorum, & Principum relate ad subditos, & ad invicem.

- I. Mancipia tenentur cum periculo vite dominum defendere.
- II. Servis in bello justo captis licitum est fugere, si non dederint fidem non fugiendi.
- III. Quicquid servus acquirit, domino acquirit, si de consensu domini non habeat peculium.
- IV. Famuli non tenentur, sicut tenentur servi, dominum defendere cum vite discrimine. Num debeat famulo salarium, si diu aegrotat?
- V. Num Superiores, Magistri, Parentes possint moderate ad correctionem verberare etiam in Sacris constitutos?
- VI. Quomodo se gerere debet Herus erga famulos? Num possit illos aegrotantes mittere ad Hospitale subtrahendo mercedem? Ecclesia Clericis aegrotantibus non denegat distributiones.
- VII. Religiosi non tenentur obedire Prae-latis suis in iis, quae sunt aut supra regulam, aut praeter regulam.
- VIII. Praelati tenentur ad residentiam, & ad dispensandos redditus Ecclesiasticos superfluos congrua sustentationi in usus pios.
- IX. Parochus quomodo debeat provide-re de Vicario, si non resideat ex iusta causa?
- X. Subditi erga Principes laicos ad quid tenentur?
- XI. Ad quid vero Principes laici erga Vassallos?
- XII. Peccat Princeps, & ad restitutionem damni secuti tenetur, si ad Officium Gubernatoris, vel Judicis promoveat ineptos.
- XIII. Peccat etiam plerumque graviter,

& contra fidelitatem erga Rempublicam, & contra justitiam distributivam, si ad haec Officia promoveat dignos, omissis dignioribus, seu Reipublica utilioribus.

XIV. Officia saecularia solus Princeps summus potest aliquando moderate vendere, idque propter Reipublica utilitatem, non ob privatum commodum.

I. **Q**Uaeritur primo; Ad quid tenentur servi, seu mancipia erga dominos?

Respondeo, teneri primo ad honorem, itaut graviter peccent, si contemnant, irrideant, &c. Secundo, ad obedientiam in iis, in quibus sunt subiecti, itaut graviter peccent, si in rebus magni momenti non obediant. Tertio, debent conservare pro viribus res domini. Quarto, in aegritudine domini debent illi procurare Sacramenta, si desint propinquiores. Quinto, debent defendere a malis gravibus imminentibus dominum, etiam cum periculo propriae vitae.

II. Dubium est; An liceat servis in bello justo captis fugere?

Respondeo, probabile esse, quod liceat, ex Azor., Trull., & aliis, dummodo non dederint fidem non fugiendi; Sicut reis licet fugere a carcere citra vim custodi adhibitam, vel fraudem. Ratio est, quia sicut jure gentium facti sunt servi, ita consuetudo, & tacitus consensus populorum dat iis jus fugiendi.

III. Dubium est secundo; An si donentur centum servo, hic acquirat eorum dominium?

Respondeo, servum habere posse peculium de consensu tantum domini. Quare sine hoc consensu ea centum absolute donata evadunt domini, quia quicquid servus acquirit, domino acquirit; si tamen sub ea conditione donentur, quod non perveniant ad



ad dominum , non evadunt domini , ut notat Trull. l. 4. in decal. cap. 2. d. 4. Less. & alii.

IV. Quæritur secundo ; Ad quid teneantur famuli erga heros ?

Respondeo , teneri sicut servos ad honorem , obedientiam , & ad operas suas ; serviendo scilicet , impediendo damnum domini , & illum defendendo , quamvis non cum periculo propriæ vitæ , nisi ad id specialiter sint conducti , & dominus non temere se ingerat in pericula . Notandum tamen , quod si famulus conducatur per annum , verbi gratia , & per aliquot menses ægrotet , non debeat operas supplere post annum ; quia in ea promissione operarum censentur excepti casus fortuiti . Præterea dominus non debet famulo ægrotanti salarium , quando non conducitur ad tempus determinatum , nisi ægrotatio sit per modicum tempus , videlicet per unam , vel alteram hebdomadam , idque ex æquitate , nisi aliud in pactum sit deductum , aut aliud ferat consuetudo approbata .

V. Quæritur tertio ; Ad quid Superiores erga subditos , & domini erga servos , & famulos teneantur ?

Respondeo , dominos , & superiores erga servos , famulos , ac subditos teneri eorum curam gerere , cum sint eorum caput , & parentum vices gerant : Quare si notabiliter negligant eorum salutem , peccant graviter ; cum Apost. 1. ad Timoth. 5. dicat : *Si quis suorum maxime domesticorum curam non habet , fidem negavit , & est infideli deterior .* Hæc autem obligatio ad tria capita reducitur . Primo , ad honestam sustentationem . Secundo ad institutionem in rebus fidei . Tertio , ad correctionem non solum fraternam , sed etiam domesticam , cum opus est , idest ad verberationem ; possunt enim univrsim Superiores tam Sæculares , quam regulares , parentes ,

Pars II.

ac magistri verberare moderate subditos , etiam in Sacris constitutos , ex gravi causa ; cum possint uti mediis ordinatis ad salutem subditorum . Si tamen modum excederent , incurrerent excommunicationem : Et quamvis Tolet. neget apud Trull. posse etiam patrem verberare filium in Sacris constitutum , id tamen permittit Bonac. Et Molin. disp. 228. observat , etiam seniores posse moderate percutere pueros pro suis excessibus , dum ipsorum propinqui , aliive , quorum curæ subduntur , præsentés non sunt , nec est periculum scandali , & rixæ . Fratres etiam , & patrum sorores , & nepotes verberare moderate ad correctionem possunt , si ipsorum cura sibi commissæ sit , & vices parentum gerant .

VI. Herus tamen erga famulos prospicere tenetur salutem tam corporis , quam animæ , ac pretium conventum illis dare . Quod si famulus ægrotet , debentur illi modicæ necessariæ expensæ juxta usum , qui talem obligationem interpretatus est ; ut notat Filiuc. apud Trull. ( quamvis præcisæ consuetudine in contrarium possit mercedem subtrahere . ) Si vero morbus sit gravis , poterit illum ad hospitale mittere , cum non teneatur dominus huic famulo subvenire , nisi in extrema , vel gravi necessitate . Ecclesia tamen concedit Clericis ægrotantibus distributiones , ne alii a Sacro ministerio deterreantur . Utrum autem teneatur dominus ejicere famulum , quem ne verberibus quidem moderatis potest corrigere ? dicendum , quod teneatur , si probabiliter existimet meliorem evasurum ; quod si timeat pejorem reddendum , non tenetur ejicere .

Ex dictis sequitur , peccare graviter dominos primo , si famulis , aut servis occasionem peccandi permittant ; sicut etiam si non curent , ut a peccatis abstineant , ut tempore præscripto confiteantur , & communificent , ut jejuent ,

Y



nent, ut doctrinam christianam addiscant. Secundo, si absque justa causa impedimento illis sint, ne missam audiant, vel in causa sint, ut ferviliter die festo laborent. Tertio, si illos gravibus injuriis afficiant, ut si appellent Canes, diabolos, &c.

VII. Quæritur quarto; Ad quid teneantur Clerici, & Religiosi erga Prælatos suos?

Respondeo, ad amorem, obedientiam, reverentiam, & defensionem. Debent tamen solum in iis, quæ ad proprium statum pertinent, obedire; puta si præcipiat Episcopus Clerico, ut Romam adeat pro negotiis Ecclesiæ, ut reum excommunicet, &c.: Religiosi vero subditi ex D. Th. in 2. dist. 44. quaest. 2. art. 3. debent Superioribus obedire in iis, quæ necessaria sunt ad exequendum, quod in regula continetur, & in iis, quæ imponuntur pro culpis contra prædicta. Quare non tenentur ex Sylvest. obedire in iis, quæ sunt vel supra regulam, ut si Prælati præcipiat jejunia, & disciplinas supra perfectionem regulæ; vel in iis, quæ sunt præter regulam, ut si præcipiat impertinentia, & indifferentia, puta aspicere aves volantes, tollere festucam, &c.; vel in iis, quæ sunt contra regulam, ut si præcipiat inobservantias, &c.

VIII. Quæritur quinto; Ad quid teneantur Prælati, & Superiores Ecclesiastici erga Clericos, & alios subditos?

Respondeo, Episcopos etiam de jure divino, ut communius docent, teneri ad residentiam, itaut si intra annum ultra tres menses sive continuatos, sive interpolatos a sua Ecclesia absint sine justa causa, non faciant suos fructus respondententes tempori absentia, atque adeo teneantur statim illos restituere, vel dare fabricæ Ecclesiæ, aut pauperibus loci, quin possint eos erogare in fabricam bene-

ficii, aut aliis pauperibus, quam illius loci; sicut possunt Beneficarii omittentes culpabiliter horarum recitationem. Secundo, tenentur Episcopi dispensare suos redditus pauperibus, subtractis iis, quæ ad decentem victum, vestitum, & ornamentum domus pertinent, ex cap. *Si privatione* 12., quaest. 1.

IX. Parochus tenetur etiam reside-  
re, itaut non faciat fructus suos si sine justa causa per multum tempus absit; Si tamen detur justa causa, & absentia sit longa, hoc est ultra duos menses, requiritur licentia Episcopi, ut docent communiter cum Navar., & Azor. Verum, ut absit per bimestre sibi a Tridentino permissum, Palaus putat requiri pariter Episcopi licentiam; quod negant Navar. Azor. Sà, Rodriq. Qua in re verius consulenda est praxis uniuscujusque regionis; ut diximus in Opusculo de Beneficiis Ecclesiasticis quaest. tertia artic. 2. Quando autem Parochus ultra octo, vel novem dies absit, debet Episcopus providere illi de Vicario; Si vero per sex, vel octo dies absit, poterit ipse suum vicarium constituere, sic declarante consuetudine. Nec requiritur præter justam causam licentia Episcopi pro absentia hujus brevis temporis: Alias Episcopi, & Parochi obligationes vide in laudato opusculo, & apud Summistas.

X. Quæritur sexto; Ad quid obligentur subditi erga Principes laicos?

Respondeo, Vassallorum quinque esse præcipuas obligationes. Primo, ut in rebus iustis debeant esse Principi subditi, unde acceptare debent ejus iustas, & honestas leges. Secundo, ut cogi possint aliquando ad aliquid agendum cum periculo vitæ, & sub pœna mortis, quando scilicet id expedit ad conservationem Reipublicæ. Tertio, ut teneantur legibus etiam



iam civilibus obedire sub mortali, quæ scilicet respiciunt bonum Communis, ut est, verbi gratia, lex taxans pretium rerum, vel irritans contractus, vel lex de non asportanda pecunia, frumento, armis, &c. Pal. tamen apud Dian. part. 3. tract. 6. resol. 90., & part. 5. tract. 5. resol. 49. putat non esse peccatum mortale transgressionem harum legum, nisi quantitas pecuniæ, vel mercium, quæ asportantur, pertingat ad centum aureos; quia per minorem quantitatem non pateretur Respublica grave damnum: Quamvis Sanch. lib. 1. cap. 4. sit rigidior, quia non debet attendi quale damnum in Republica sequatur uno tantum contraveniente, sed quale si multi contraveniant, & communiter id fiat. Verum putat Reginald. probabiliter, & alii apud Dian. part. 1. tract. 10. resol. 17., quod lex pœnalis non obliget sub reatu peccati mortalis, etiamsi sub pœna capitis aliquid prohibeat. Quarto, tenentur subditi suum Principem ab hostibus defendere, & pro eo, si opus sit, vitam profunderere. Demum debent justas gabellas solvere; unde juxta communioem, & probabiliorem opinionem peccant mortaliter, qui fraudant gabellas; quamvis Lefs., & Bonac. apud Dian. loc. cit. resol. 19. putent istas habendas esse ut leges pœnales; Licet enim jure naturali debeantur gabellæ, tamen qui eas fraudat, non vult legem naturalem transgredi, sed cum ea lex sit pœnalis, ejus arbitrio relinquitur, vel gabellam solvere, vel exponere se periculo pœnæ cum notabili Principis emolumento, quando pœna est pecuniaria.

XI. Quæritur ultimo; Ad quid teneantur Principes erga Vassallos laicos?

Respondeo, virtutes Principis proprias esse octo, Clementiam, Mansuetudinem, Liberalitatem, Justitiam, Fortitudinem, Prudentiam, Magnifi-

centiam, & Magnanimitatem: facile autem peccare potest Princeps in immodica regnandi libidine, usurpando aliena, & indicendo bellum injustum, in non subveniendo pauperibus, in non reficiendis, & custodiendis viis publicis, in non tollendis pravis consuetudinibus ludorum, usurarum, & aliorum contractuum injustorum, in condendis legibus potius ad privatum, quam ad commune bonum, in cogendo ad aliquod matrimonium.

XII. Petes tamen primo; An peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem Princeps assumendo ad gubernationem minus aptos?

Respondeo cum communi peccare mortaliter, si assumat ad officium Gubernatoris, vel Judicis ineptos, vel qui existimantur male illud administraturi; in quo casu, ut notat Lefs. lib. 2. cap. 32. tenetur Princeps ad restitutionem damni secuti, quia ex lege justitiæ ratione sui muneris tenetur procurare aptos ministros; propter hoc enim tributa accipit.

XIII. Præterea ex Sot., & aliis apud Trull. lib. 4. cap. 1. dub. 10. peccat plerumque mortaliter, si ad hæc officia Princeps assumat aptos, omisis aptioribus; tum quia facit injuriam aptiori; tum etiam quia facit contra fidelitatem Reipublicæ debitam, ex qua constituere tenetur ministros maxime idoneos, non secus ac œconomus ex fidelitate debita domino debet conducere operarios maxime aptos: Quamvis Princeps in hoc casu ad restitutionem relate ad digniorem non teneretur, quia non faceret contra justitiam commutativam, sed contra distributivam; quod peccatum dicitur Acceptio personarum, quia scilicet in distribuendis bonis communibus spectatur aliqua conditio personæ: nihil faciens ad distributionem; hoc autem ex natura sua est peccatum mortale in materia



gravi, quia cum injuria proximi præfertur minus dignus digniori.

Neque dicas, Deum dona suæ gratiæ distribuere præferendo sæpe peccatores justis. Nam Deus ex duplici capite non est acceptor personarum, primo, quia distribuit bona sua, non bona communia, ad quæ quisquam jus ullum habeat. Secundo, quia non præfert indignum digno ob aliquam conditionem personæ, quam spectet, sed ob justissimas causas, nempe ut ostendat se gratis dare, & nemini esse debitorem donorum.

XIV. Petes secundo; An possit Princeps vendere officia secularia sui status?

Respondeo ex Lefs. loc. cit. dub. 4. posse moderate vendi, non quidem ratione oneris, quod habent, vel ratione justî stipendii, quod meretur tale onus; sed ratione eminentiæ, ob quam in Republica officialis honoratur, necnon ratione occasionis lucrandi, & ratione excessus stipendii ultra debitum: cum hæc omnia sint res humanæ, non spirituales, & pretio æstimari soleant.

Tria tamen notat Lefs. ex D. Th. in Opusc. ad Ducissam Brabantia cap. 21.; Primum est, auctoritatem vendendi hæc officia esse solum penes Principem supremum, hoc est penes Reges, aut Rempublicam liberam. Ratio est, quia hæc sunt dona Reipublicæ; ergo eorum dispensatio ad supremum Principem pertinet, vel ad ipsam Rempublicam, si sit juris sui; Unde Principes inferiores, etsi Magnates sint, ea vendere non possunt, nisi vel ex concessione Principis supremi, vel ex præscriptione. Secundum est, non expedire, ut a Regibus ea officia vendantur, & plerumque esse illicitum, & perniciosum. Ratio est, quia si vendantur, facile præferuntur dignioribus magis divites; & hi, qui pecunia consecuti

sunt officia, intendunt potius pretium recuperare, ac ditescere, quam Reipublicæ bonum; præsertim si pretio immoderato empta sint. Tertium est, hanc venditionem non debere fieri, nisi ob Reipublicæ necessitatem, vel utilitatem, & non in proprium commodum supremi Principis. Ratio est, quia hæc officia non sunt bona propria Principis, ut tributa, sed sunt bona Reipublicæ communia, quorum administrationem, & collationem populus commisit Principi ratione communis utilitatis; ergo solum propter bonum commune vendi possunt.

## ARTICULUS V.

De obligatione diligendi proximum.

- I. Tenemur proximum diligere etiam actu interno, & formali.
- II. Etiam peccatores diligendi sunt, ac etiam inimici actu interno, & formali amore prosequendi. Non tenemur tamen per se loquendo illos salutare, si scandalum abis.
- III. Non tenemur actionem coram Judice omittere, ut offensor satisfactionem præbeat pro injuria, & damnis illatis. Quid si sponte exhibeat ipse satisfactionem?
- IV. Quonam ordine proximus diligendus est? Diversus ordo servandus in necessitate extrema, vel gravi, ac extra necessitatem.
- V. Quenam sint peccata omissionis, & commissionis, quæ charitati erga proximum adversantur?
- VI. Explicanda est in confessione species mali, quod vis proximo inferre, non tamen species mali, quam proximo desideres.
- VII. Adversantur charitati erga proximum non solum Odium, sed etiam Indignatio, & Ira; qui tamen a-

Etus



Etus licite cum moderatione debita exerceri possunt.

VIII. Adversantur etiam Discordia, Contentio, Rixa, Seditio, (qua a Bello, & a Schismate differt) & Scandalum.

IX. Non est peccatum contra charitatem scandalum acceptum, sed Scandalum datum.

X. Scandalum Activum aliud est directum, aliud indirectum: Scandalum passivum aliud est Pusillorum, aliud Pharisaeicum.

XI. Scandalum directum semper est peccaminosum; at non semper scandalum indirectum; quod cum nonnullis limitationibus permitti potest.

XII. Quenam dicantur actiones licite, quamvis cum iis materialiter cooperemur cum peccato proximi?

XIII. Sine causa permitti non potest scandalum acceptum, ne pharisaeicum quidem.

XIV. Ad vitandum scandalum Pusillorum omitti aliquando potest nonnullorum preceptorum observantia.

XV. In pluribus casibus abesse potest peccatum scandali, quamvis coram aliis peccetur.

XVI. Num aperienda sit in confessione species peccati, ad quod inducitur proximus, qui scandalizatur.

I. **U**T altius dignosci possit, quanam pacto Parentes, ac Superiores honore, ac amore prosequendi sint, inquirimus hic, quanam dilectione teneamur proximum prosequi? Et quando teneamur illi in suis necessitatibus sive spiritualibus, sive corporalibus subvenire? Cum enim strictior sit obligatio erga Parentes, ac Superiores, quam erga proximum, ex iis, quae teneamur erga proximum exhibere, facile est dignoscere, quid teneamur Parentes debeamus. In hoc autem articulo agemus de dilectione erga proximum debita, ac de vitis,

qua charitati erga proximum adversantur: In sequenti vero agemus de obligatione subveniendi proximo in suis necessitatibus.

Quæritur itaque primo; Utrum, & quonam pacto teneamur proximum diligere?

Respondeo, de fide esse, quod proximus sit diligendus; dicitur enim Deuteron. 6. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: Et Joan. 12. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Quinimo proscripserunt ab Innoc. XI. thesis 10. dicens: *Non tenemur diligere proximum actu interno, & formali*; necnon undecima, quæ habet: *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos*. Obligat autem tale præceptum ex Bagnez semel in anno; & ex Trull. cum aliis tenemur pariter, quando urget tentatio odii contra proximum, quæ aliter superari non potest; Sicut etiam in aliis eventibus, in quibus sub mortali tenemur illi auxilium ferre.

II. Hinc sequitur primo, diligendos esse non solum justos, sed etiam peccatores; etenim quicumque est capax beatitudinis, dicitur esse proximus noster; & recta ratio dicitur, illis faciendum esse, quod nobis fieri cupimus, juxta illud Christi Domini, *Quicumque vultis, ut faciant vobis homines, eadem vos facite illis*. Solum damnati non debent diligi ex charitate; tum quia non sunt proximus noster; tum etiam quia recta ratio non dicitur, ut illis velimus beatitudinem, a qua sunt perpetuo exclusi.

Neque dicas, a Davide peccatores esse odio habitos, cum Psal. 18. dicat: *Iniquos odio habui*; & alibi, *In matutinis interficiebam omnes peccatores terræ*; Nam David in peccatore solum odio habebat peccatum ex amore non solum Dei, sed etiam ipsius peccatoris: Etenim ex amore proximi pro-

ve.



venit, ut odio habeamus id, quod ei malum est.

Sequitur secundo, non solum amicos, sed etiam inimicos esse diligendos, & quidem amore interno, & non solum per actus externos, ut diximus; præsertim quia Matth. 5. dicitur: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite iis, qui oderunt vos.* Et ad Roman. 12. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi; & in hoc imitamur Patrem nostrum, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Notandum tamen ex hoc Christi Domini præcepto non teneri nos exhibere inimicis specialia signa benevolentiae; non enim propter offensam nobis factam efficiuntur melioris conditionis, quam reliqui. Unde fit teneri nos quidem non solum ad non odio habendum inimicum, sed etiam ad non præbendum signum ullum odii; denegando illi communes salutationes, quibus omissis præberetur signum odii, ac non teneri nos per se loquendo specialiter salutare inimicum, illum alloqui, & familiariter cum illo versari; nisi forte id postulet ratio vitandi scandalum, aut nisi speretur, quod per salutationem odium deponat; cuilibet enim mandatum est de proximo suo, & quilibet tenetur illius scandalum, & ruinam vitare, quoties absque gravi incommodo potest: Confessarii tamen consulere debent pœnitenti, ut sponte inimicum salulet, non solum ut Christum Dominum imitetur, qui pro inimicis oravit, sed etiam quia denegatio salutationis fere semper conjungitur cum odio, aut cum scandalo; & a fortiori scandalum, odium, & contemptus solet haberi, si inimicus non resalutetur: Quod si aliquando aliquis sit longe superioris conditionis, ut Prælati, vel Nobilis respectu subditi, vel plebei, & non sequatur

scandalum, neque adscribatur contemptui denegatio resalutationis, certe nec tenetur illum resalutare post inimicitiam, sicut non tenebatur ante inimicitiam.

III. Rogabis; An teneamur inimico veniam concedere, si illam petat? Respondeo, teneri quidem nos odium deponere, & signa benevolentiae communia illi exhibere, ut hæcenus ostendimus, sed non teneri actionem contra illum coram Judice omittere, ut satisfaciatur injuriæ, & damnis illatis; Immo si sponte satisfactionem præbeat, adhuc licitum est satisfactionem juridice exigere præciso gravi damno illius, quod forte ex charitate teneremur impedire. Ita Valent. Sylvest. & alii apud Bonac. hic disp. 3. quæst. 4. punct. 3. contra Azor. docentem teneri læsum actionem injuriarum coram Judice intermittere, si ille debitam satisfactionem exhibeat: Cujus sententia regulariter consulenda est; tum quia raro sine odio, & vindicta coram Judice agitur adversus inimicum; tum etiam quia id est conforme consilio Christi Domini, *Si quis percusserit te in maxillam, præbe ei & alteram.*

IV. Quæritur secundo; Quonam ordine proximus diligendus est?

Respondeo, conjunctos magis diligendos esse, quam extraneos, & inter conjunctos, qui magis sunt conjuncti. Quare cœteris paribus ante omnes diligendus est Pater, cui præcipua cura incumbit alendi, & instituendi filium. Secundo, Mater; quia parentes ex D. Th. magis Deo affilantur, nam post Deum illis debemus, quod simus, & vivamus. Tertio, Uxor, quæ una caro est cum marito. Quarto, Filii, (quamvis talis ordinis perversio non sit satis ad mortale propter exiguam inter has personarum distantiam, ut docent communiter Theologi apud Bonac.) Quinto,



ceteri confanguinei juxta gradum conjunctionis, itaut confanguinei præferantur affinibus. Demum reliqui, itaut vir justus peccatori præferatur. Dixi tamen, cæteris paribus; nam si mater sit benefica, pater crudelis, illa est præferenda; Et multi putant contra D. Th., Bonac., & alios, præferri posse parentibus eum, qui nos a morte liberavit; Et alii putant contra eundem Bonac., creditorem in extrema necessitate posse præferri etiam parentibus. Sicut autem in rebus temporalibus præferendus est Pater carnalis patri spirituali; ita in rebus spiritualibus præferendus Pater spiritualis patri carnali, ut communiter docent contra Bagnez. Hic autem ordo servandus inter personas privatas; persona vero publica cuilibet privata præferri debet, ex Valent., & Bonac., quia vices Communitatis sustinet; magnum autem bonum Communitatis etiam proprio bono præferendum est.

Notat tamen ex Less. Tambur. lib. 4. cap. 3. §. 5., quod in rebus pertinentibus ad vitam, & naturam sustentandam in extrema, vel gravi necessitate, Primo subveniendum sit Patri. Secundo, Matri. Tertio, filiis. Quarto, Uxori. Quinto, fratribus, & aliis; Sed extra necessitatem extremam, aut gravem in communibus necessitatibus succurrendum sit prius Uxori, quia est una caro cum marito; deinde filiis, quibus tenentur parentes alimenta præstare; Tertio, parentibus; & quidem prius Patri, quam Matri, eo quod illis debeamus vitam; Demum fratribus, tororibus, & aliis juxta ordinem assignatum. Henr. tamen apud Bonac. disp. 6. quæst. 7. punct. 10. docet, quod uxor præferenda sit parentibus, & filiis etiam in extrema necessitate, quia Genes. 2. dicitur, *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhæret uxori suæ*; Sed hoc intelligendum est de actu conjugali,

& circa domesticam inter conjuges administrationem.

V. Quæritur tertio; Quænam peccata commissionis, & omissionis charitati proximi opponantur?

Respondeo, peccata omissionis, quæ charitati proximi adversantur, sunt Primo, ommissio amoris interni, & formalis, ut diximus. Secundo, neglectio salutis spiritualis, vel corporalis gravis tam propria, quam aliena; unde contra charitatem peccat, tam qui in extrema necessitate spirituali proximi omittit illi succurrere, etiam si non possit aliter illi subvenire, quam cum periculo vitæ (modo sit æque certa spes illum juvandi) quam qui in extrema, vel gravi necessitate corporali proximi non erogat illi elemosynam. Tertio, ommissio correctionis fraternæ, prout a Christo Domino præcipitur Matth. 18., quando scilicet culpa est certa, & gravis, & est spes emendationis.

VI. Peccata vero commissionis sunt, Primo odium tam abominationis, quam malevolentia: Ubi notat Tambur. lib. 2. Confess. cap. 6. §. 3. quod si velis inferre proximo malum grave, teneatis in confessione aperire speciem mali; verbi gratia, si voluisti inferre mortem, infamiam, damnum in re familiari; quia diversa specie est malitia in his actibus, prout diversa sunt jura proximi ad vitam, famam, &c.: Contra vero si desideres illi malum grave, prout malum proximi est, nolis tamen illud inferre, probabiliter non est opus explicare speciem mali; Sicut nec etiam si gaudeas de malo proximi, puta de morte, infamia, dedecore, incendio, &c., sed satis est dicere, toties delectatus sum de malo gravi proximi, ut docent Valent., Bonac., & alii apud Trull. lib. 1. cap. 6. dub. 2., & Dian. part. 1. tract. de Circumstantiis resol. 30. contra Pal., Suar. de Char. dist. 6. sect.



2. num. 2. , & Con. Ratio est , quia per hæc omnia læditur sola charitas , qua tenemur proximum diligere , quin lædatur , aut desideretur læsio ullius juris particularis proximi .

Ubi notandum , damnatas esse ab Innoc. XI. propositiones illas , nempe 13. , quæ habet : *Si cum debita moderatione facis , potes absque mortali de vita alicujus tristari , & de illius morte naturali gaudere , illam inefficaci affectu petere , & desiderare , non quidem ex displicentia persona , sed ob aliquod temporale emolumentum .* Et 14. , in qua dicitur : *Licetum est absoluto desiderio cupere mortem Patris , non quidem ut malum Patris , sed ut bonum cupientis ; quia nimirum ei obventura est pinguis hereditas : Necnon 15. , quæ dicit : Licetum est filio gaudere de paricidio Patris a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hereditate consecutas .*

VII. Secundum peccatum commisionis contra charitatem est indignatio , quæ est dolor , quod bona temporalia quis habeat ; & Ira , quæ est irrationabilis , & immoderatus appetitus vindictæ ob injuriam acceptam ; Isti tamen duo actus possunt cum debita moderatione exerceri , juxta illud Psalm. *Irascimini , & nolite peccare , unde potest juridice exigi satisfactio deposito odio , ut diximus .*

Tertium est Invidia , quæ est tristitia de bono alterius , vel gaudium de illius malo , quatenus proprium dimittit ; Differt autem ab æmulatione , per quam dolemus de alterius bono , non quia in illo est , sed quia nos illo caremus ; Quare æmulatio licita est , si dolor sit moderatus , & circa res licite appetendas . & ideo Apost. dixit : *Æmulamini charismata meliora .*

VIII. Quartum est Discordia , quæ ex D. Th. est dissensio voluntatis a voluntate proximi circa bonum , quod quis tenetur velle ; ut si pauperem

volentem sibi providerè sine justitia cupias , quod non obtineat intentum . Non est autem peccatum , quando quis probabiliter putat non esse bonum , quod alter vult ; Quo pacto D. Th. excusat dissensionem inter Paulum , & Barnabam , Actor. 5. *Discordia opponitur paci , & concordia , & ideo est speciale peccatum contra charitatem : Proverb. autem 5. post sex , quos odit Dominus , numeratur septimo loco is , qui seminat discordias inter fratres .*

Quintum est Contentio , seu Altercatio verborum cum proximo contra veritatem ad eam impugnandam : proinde est quidam effectus discordiæ .

Sextum est Rixa , quæ est Pugna privatarum personarum ex mutua ira , & excandescentia concitata .

Septimum est Seditio , seu dissensio civium , quando scilicet una pars civitatis contra aliam insurgit ad pugnam : Hæc differt a Bello , quod est inter duas Respublicas , & a schismate , quia hoc est contrarium unitati spiritali Ecclesiæ ; seditio vero adversatur unitati politicæ Reipublicæ .

Denique adversatur charitati erga proximum Scandalum , de quo plura quaerenda sunt .

IX. Queritur itaque quarto ; Quid , & quotuplex sit scandalum ?

Respondeo , scandalum ex D. Th. definitur *Dictum , vel factum minus rectum præbens alteri occasionem ruinae ;* Verbi gratia , si Clericus domi suæ aliat mulierem suspectam , peccat peccato scandali , quia cum tale factum habeat mali speciem , dat occasionem ruinae aliis , qui tali exemplo ad simile peccatum facile possunt induci . Quare Apost. 1. ad Thesal. 5. ait , *Ab omni specie mali abstinete vos ;* non enim satis est abstinere a malo , sed etiam abstinere debemus ab omni specie mali , ut scandalum vitemus . Ubi duo notanda ; Primum est , operationem de se venialem aliquando ex circumstan-



stantia scandali evadere mortalem; ut si Religiosus, aut Sacerdos proferret verba jocosa coram feminis in iis circumstantiis, in quibus præbeat illis occasionem peccandi; vel si Adolescentens proferat verbum amatorium coram muliere, audiente ejus marito Zelotypo; unde probabiliter magna rixa sit secutura. Alterum est, quod si operatio de se non mala speciem mali habet, ita ut alteri possit esse occasio lapsus, & ruinæ, tu tamen conaris ostendere justam causam, cur ab ea non abstineas, non peccas peccato scandali; Et si scandalum sequatur, illud dicitur esse scandalum Acceptum, non Datum; Verbi gratia, si comedas die Veneris carnes, patrefaciendo ægritudinem tuam.

X. Dividitur itaque ex D. Th. scandalum in Activum, quod datur, & Passivum, quod accipitur, seu in Datum, & Acceptum; quæ iterum subdividuntur; nam scandalum Datum subdividitur in directum; ut si quis loquatur turpia directe intendens ruinam proximorum; & Indirectum, ut si quis loquatur turpia non intendens talem ruinam, sed solum prævidens fore, ut probabiliter ex tali peccato alii in mortale labantur. Scandalum etiam Acceptum (quod habetur quando præter intentionem operantis, & præter naturam, seu conditionem operationis, alter ex ea accipit occasionem peccandi) subdividitur in scandalum Pusillorum, quod scilicet ex hominis ignorantia, vel infirmitate provenit, & Scandalum Pharisæicum, quod ex mera malitia ortum habet; sicut Pharisæi ex propria malitia acceperunt occasionem occidendi Christum Dominum ex ejus verbis, & miraculis.

XI. Quæritur quinto; Quodnam scandalum sit peccaminosum?

Respondeo, & dico primo, scandalum activum directum semper esse illi-

Pars II.

citum; ut si quis jussione, consilio, aut exemplo expresse, vel tacite inducat alium ad peccandum, directe intendens id, quod sine peccato ab eo fieri non potest. Ratio est clara, quia talis inductio est contra virtutem charitatis, & misericordiam, & importat affectum ad peccatum. Hinc Christus Dominus Matth. 8. dixit: *Ve homini illi, per quem scandalum venit.*

Dico secundo, scandalum activum indirectum non semper est illicitum, quando scilicet quod præbet occasionem ruinæ proximo, est operatio de se bona, vel saltem indifferens, & ex bona intentione fit, & datur justa causa illam non omittendi; unde peccatum proximi solum permittitur, eo quod vel non possimus, vel non teneamur illud impedire; in quo casu dicimur materialiter tantum ad peccatum alterius concurrere, seu cooperari. Quare sicut sine peccato Deus tanquam causa prima concurrat ad peccatum creaturæ; ita sine peccato conjux reddit debitum alteri conjugi habenti votum castitatis, si illud exigat, nec possit a tali proposito illum avocare: Sine peccato etiam Parochus ministrat Eucharistiam peccatori occulto publice illam petenti; sine peccato in Civitatibus ad vitanda pejora mala locantur domus meretricibus; sine peccato Judæorum synagoga, & hæreticorum templa, permittente Republica, ædificantur. Ubi notandum Primo, quod major causa requiratur ad cooperandum materialiter peccato alterius, si cooperatio materialis ad peccatum sit propinquior, quam si sit remota; Verbi gratia, major causa requiritur ad associandum furem, quam ad scalas sustentandas, ut per fenestram ascendat. Secundo, major causa requiritur, si peccatum sit gravius; Verbi gratia magis requiritur ad cooperandum materialiter peccato injustitiæ, aut peccatis publicis, blas-

Z

blas-



blasphemiam, &c., quam peccato luxuria, aut peccato occulto. Tertio, si probabilius est, te non cooperante, alterum non cooperaturum. Quarto, si minus juris habeas ad tale opus.

XII. Hinc inferitur primo, licitum esse Christianis captis remigare in trimibus Turcarum contra Catholicos, quia cooperatio ista remote se habet ad peccatum Turcarum; & quia illis detrectantibus alii non deessent, qui hunc laborem obirent; ac demum quia metus gravis excusat. Contra vero non licet iisdem ignem admovere tormentis bellicis in perniciem Catholicorum; quia propinquius se habet ad peccatum talis cooperatio; immo aliquando est directa occisio, atque adeo intrinsece mala.

Inferitur secundo, posse artifices vendere res indifferentes, puta gladios, aleas, &c., etiamsi alter sit iis abusus; quia haec remote se habent ad peccatum. Si tamen quis vellet emere gladium ad alium occidendum, non posset illi vendi; quia modicum lucrum postponendum est vitae alienae; ideo non licet venena vendere, nisi iis, qui putantur bene usuri, verbi gratia ad medicinam, confectionem colorum, &c.

Inferitur tertio, non licere domum, aut instrumenta ministrare ad ludum, quoties ludentes praevidentur proni ad blasphemias, ad furta, &c., ut dicemus cum de contractu locationis; Nec licet meretricem paratam ad herum conducere, aut furi scalam applicare, &c., quae omnia proxime ad peccatum concurrunt, & non nisi metu mortis permitti possent.

Inferitur quarto, licitum esse probabiliter Patrifamilias famulo, aut filio suspecto de furto pecuniam apponere, ut cum deprehensum emendet, & graviore malo occurrat; quia hoc non est intendere malum, sed impe-

dire malum gravius; sicut Deus plurima peccata permittit subministrando materiam, ut majora bona inde resultent; Et Judith permittendo libidinem Holofernis ortam ex suo ornatu non peccavit. Ita Petrus Navar. contra Sanch. lib. 10. disp. 12. num. 35., Sa., & alios; quamvis recte notet Navar. id homini ordinarie non licere, cum non sit dominus absolutus rerum, & universalis.

XIII. Dico tertio, scandalum passivum, seu Acceptum, etiam pharisaeum, permitti non debet absque aliqua utilitate propria, vel aliena saltem temporali; ut notat Dian. part. 5. tract. 7. resol. 24., quia tenemur ex charitate impedire peccata proximi, quando facile possumus; Unde non licet sine ulla causa petere a Sacerdote excommunicato tolerato, vel concubinario, ut sacrificet, aut ab usurario petere pecunias mutuas: Permitti tamen potest huiusmodi scandalum data justa causa; Verbi gratia si indigeas, poteris petere nummos mutuos ab usurario, & juramentum a juraturo per falsos Deos. Hac ratione August. apud Laym. de scandalo excusat Abraham a peccato, quando Sara uxori suae Genes. 12. dixit; *Dixi, obsecro, quod soror mea sis, ut bene sit mihi propter te, & vivat anima mea ob gratiam tui.* Vere enim & uxor, & neptis erat ex fratre Aran; unde soror (licet ex paterno tantum sanguine) dici poterat, quia omnes consanguinei apud Judaeos dicebantur fratres ex August. Et constat in Evangelio de fratribus, & sororibus Domini. Permisit etiam Abraham, ut Aegyptii occasionem caperent mulierem rapiendi, confidens de illius pudicitia, quod ab eo periculo liberaretur.

Major autem causa requiritur ad permittendum scandalum Pusillorum quam Pharisaeorum, ut notat Busemb. ex Laym. & Bonac., illud quippe pro-



cedit ex ignorantia, aut infirmitate, ut si comedas carnes coram illis, qui nesciunt tuam necessitatem, & inde arrepturi sunt occasionem ad peccandum: Quamvis scandalum, quod procedit ex ignorantia, post debitam instructionem, & admonitionem, non est amplius Puffillorum, sed Pharisaorum, ut patet.

XIV. Ad vitandum tamen scandalum Puffillorum aliquando omitti debet observantia aliquorum præceptorum: Verbi gratia, potest uxor omittere aliquod jejunium ad vitandam gravem discordiam cum marito; Potest Superior dissimulare aliquos defectus ad vitandas turbas, & majora mala; Potest mulier, immo debet femel, aut iterum non egredi domo ad audiendam missam præcepram, si sciat aliquem in particulari ex suo aspectu scandalizandum; ut docent communiter apud Dian. part. 5. tract. 7. resol. 21., & 22. contra nonnullos; Quamvis ad id non teneatur, si putet aliquos tantum in genere esse scandalizandos; Qua ratione Doctores apud Busemb., & Laym. de scandalo num. 21. docent esse tantum veniale ornatum vanum mulierum, præsertim iuxta morem Patriæ, si putent aliquos tantum in genere, neminem vero in particulari ea occasione esse scandalizandos, ut videre est apud Dian. tract. 1. Miscell. resol. 30. Sã tamen docet, quod sceminam gerentem nudum pectus, quamvis non mala intentione, difficile absolveret (etsi nonnulli illam a mortali excusent) Potest etiam, & aliquando debet Prælati iurium, & honorum Ecclesiæ, aut Monasterii exactionem differre ob scandalum ignorantium, & infirmorum vitandum: Potestque mulier omittere in confessione peccatum illud, ex quo intelligit Confessarium ex infirmitate grave scandalum esse passurum. Ratio horum omnium est, quia præcepto po-

sitivo prævalet præceptum naturale de impedienda spiritali ruina proximi.

XV. Hic tamen notandum, neminem peccare peccato scandali, nisi probabiliter verbo, vel facto conjiciat proximum in gravem tentationem fore lapsurum, cui difficulter possit resistere.

Ex quo colligis primo, non peccare peccato scandali eos, qui ita pravi sunt, ut eorum pravum exemplum parum noceat; sicut etiam excusatur, qui peccat coram iis, qui tam proclives sunt ad malum, ut non censentur induci ab illo pravo exemplo; verbi gratia, si quis fornicetur coram aliis, qui parati sunt idem facere, & de se incitati, ut notat Sanch. prim. Moral. cap. 6.

Colligis secundo ex Pal. apud Trull. lib. 1. cap. 6. dub. 5. non peccare peccato scandali, qui solum dat occasionem admirationis, & horroris; ut si quis die Veneris comedat carnes, aut Moniales invisat, aut fornicetur coram illis, qui ex tali culpa horrorem tantum concipiunt, non vero propositum peccandi. Ratio est, quia in tali casu non præbet occasionem ruinae proximo. Notat tamen Navar. in his casibus raro abesse occasionem ruinae, & peccatum scandali, quia sæpe datur saltem occasio detrahendi, vel sinistre judicandi, vel liberius vivendi.

XVI. Quæritur sexto, An qui alterum scandalizat, peccet universim peccato speciali scandali aperiendo in confessione?

Respondeo, certum esse, quod qui verbis, aut factis inducit aliquem ad peccatum directe intendendo ejus ruinam, duplex peccatum committit in confessione aperiendum, alterum illius speciei, cujus est peccatum, ad quod inducit; alterum vero scandali contra charitatem; Verbi gratia, qui suo exemplo, vel suasionem inducit alium ad fornicandum, peccat tum peccato lu-



xuriae, tum etiam peccato scandalii, ut communiter docent apud Tambur. in Meth. Confes. lib. 2. cap. 1. §. 17. itaut non satis sit in confessione dicere, Volui meo exemplo inducere alium ad peccandum, sed debeat explicari, quod volueris illum inducere ad tale peccatum, videlicet ad fornicationem. Ratio est, quia qualibet virtus non solum obligat nos, ne contra illam peccemus, sed etiam ne alium positive inducamus ad peccandum contra illam; ergo qui intendit positive inducere alium ad fornicandum, non solum peccat peccato scandalii contra charitatem, sed etiam contra castitatem; atque adeo utrumque peccatum in confessione est explicandum.

Si vero non intendatur directe ruina proximi, sed illa solum praevideatur, putat Lug. de Poenit. disp. 16. sect. 4. contra Laym. de scandalo num. 5., Sanch., Vasq., Con. apud Tambur. loc. cit., quod non sit necesse explicare in confessione speciem peccati, ad quod proximus inductus est; Verbi gratia, an ad adulterandum, vel occidendum; Nec oportet explicare conditionem personae inductae ad peccatum, an scilicet fuerit Sacerdos, qui in adulterium inductus est. Ratio est, quia tale peccatum est solum contra charitatem, non contra alias virtutes, quae licet obligent, ne positive, & directe inducamus alios ad peccandum contra illas, non videntur tamen obligare, saltem graviter, ad impedienda vitia in aliis contra tales virtutes. Hinc qui furando praevidet, quod alter arrepturus sit ansum ad homicidium committendum, satis est, si in confessione dicat se furatum esse, & dedisse aliis occasionem peccandi graviter. Unde fit, quod quia non est reus homicidii talis fur, nec teneatur ad compensandum damnum ortum ex homicidio.

Qui tamen dum furatur occulte,

suspicitur fore, ut alteri innocenti tale furtum imputetur per accidens, ex Laym., peccat tantum contra charitatem relate ad istum; Quod si furtum ex intentione operantis, vel ex modo, quo fit, ex natura sua ordinetur, ut alteri imputandum esset, tunc fur etiam comparatione huius innocentis peccaret contra iustitiam, & teneretur ejus damna refarcire.

## ARTICULUS VI.

De Obligatione subveniendi proximo in suis necessitatibus.

- I. In extrema necessitate spirituali proximi tenemur illi, etiam cum vita discrimine, succurrere.
- II. In necessitate non extrema, sed gravi alicujus particularis non tenemur cum vita periculo succurrere; tenemur tamen in necessitate gravi alicujus Communitatis.
- III. Pastor, etiam in gravi necessitate suarum ovium, tenetur opem illis ferre cum vita discrimine.
- IV. Non tenemur, sed possumus periculo exponere vitam propriam pro vita temporali proximi.
- V. Divitibus praecipitur facile tribuere eleemosynam indigentibus.
- VI. In extrema proximi necessitate tenemur ad eleemosynam ex necessariis statui proprio, sed natura superfluis.
- VII. Num satis sit extreme indigenti mutare?
- VIII. Num in gravi necessitate proximi tenemur illi succurrere ex necessariis ad statum? Tenemur certe ex statui superfluis.
- IX. Ad quid tenemur in communibus pauperum necessitatibus?
- X. Beneficarii magis, quam alii obligantur ad succurrendum pauperibus. Quoniam pacto possint de redditibus Beneficii disponere?
- XI. Quandonam tenemur proximum fra-



fraternaliter corrigere, & Quomodo? Quid si dubitetur, an correctio sit profutura?

XII. Num etiam cum gravi incommodo fieri debeat aliquando fraterna correctio? Et num pramitti ea debeat semper, antequam delictum denuncietur?

I. **Q**uæritur primo, An teneamur spirituali necessitati proximi subvenire etiam cum periculo vitæ?

Respondeo, necessitatem spirituales aliam esse Extremam; quando scilicet aliquis non potest sibi aliunde providere; (ut si infans, aut amens baptizandus sit in periculo mortis) Aliam vero non esse extremam, quando scilicet quis aliunde potest sibi prospicere, & probabiliter prospiciet. His positis

Dico primo; si proximus sit in extrema necessitate spirituali, charitas obligat ad succurrendum illi, etiam cum periculo vitæ; si tamen sit spes, quod auxilium sit profuturum, nec detur periculum animæ propriæ in operem ferente: Dicitur enim Joan. 3. *Et nos debemus pro fratribus nostris animas ponere.* Quare si quis sit in extremo vitæ, & indigeat absolutione sacramentali, tenetur Sacerdos illam conferre cum periculo vitæ; dummodo tamen ex Malder., & Bonac. moraliter constet non esse illum propria contritione justificandum, nec esse alium, a quo absolvatur. Ita Valent., Navar., Malder., & alii apud Bonac. Ex quo sequitur nos non teneri ire ad Indos ad prædicandum Evangelium; nam sunt alii, qui id faciunt, & tenentur facere. Sequitur etiam, quod si quis injuste nos invadit, possumus illum occidere, si necessarium sit ad vitam tuendam, quamvis sciamus illum esse damnandum. Et ratio est, quia hic non laborat necessitate extrema, quandoquidem ex sua malitia se

conjicit in tale periculum.

II. Dico secundo. Extra extremam proximi necessitatem spirituales non tenemur proximo succurrere cum periculo vitæ, aut cum notabili detrimento famæ, aut facultatum; Verbi gratia, non tenemur adulterum ab adulterio cum vitæ periculo retrahere. Ita Doctores citati. Et ratio est, quia natura dedit nobis magnum jus ad vitam, & facultates, unde non est credibile, quod homines ad id obligarit. Id tamen intelligendum est de necessitate non extrema alicujus particularis; non vero alicujus Communitatis; nam Communitati etiam in gravi necessitate laboranti succurrendum est cum periculo vitæ; quia bonum spirituale communitatis pravalet bono privato; Quare tenetur Concionator cum periculo vitæ peccata publica reprehendere, quando imminet periculum ruinæ Communitati; ut accidit si peccata ex sua natura alios inficiant; Si tamen necessitas Communitatis sit levis, hoc est in qua sine magna difficultate potest sibi subvenire, non tenemur cum tanto periculo.

III. Dico tertio, ex D. Th. 2. 2. quæst. 21. art. 1., Valent., & aliis, Pastorem teneri ovibus suis succurrere cum periculo vitæ, quando sunt in gravi necessitate; nam *Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis.* Ratio est, quia cum major sit obligatio Pastoris, quam reliquorum, si reliqui tenentur in extrema necessitate, Pastor tenetur etiam in gravi necessitate subvenire: Immo ratione officii tenetur etiam inquirere, ex Bonac., & D. Th. 2. 2. quæst. 21. eos, qui laborant gravi necessitate spirituali, ut eis subveniat. Hinc sequitur quod tempore pestis non possit Pastor a suis recedere, nisi alios ministros idoneos, & sufficientes substituatur.

IV. Dico quarto; licet non teneamur, possumus tamen periculo vitam no-



nostram exponere pro vita temporali aliorum; hic enim est actus honestus; Nam Joan. 5. dicitur, *Majorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; unde possumus servare peste infectis, dissolvere rixam pugnantium, permittere, quod occidamur ab injusto in valore, ne ille, si a nobis occidatur, damnetur; Possumus etiam tabulam nobis necessariam in naufragio cedere amico, dummodo aliis damnum in his casibus non eveniat; ut si ex mea morte sequeretur damnum grave meae familiae; cum non possim ego cedere juri alterius.

V. Quæritur secundo, Utrum teneamur proximo in egestate constituto per eleemosynam subvenire?

Respondeo, certum esse dari grave præceptum divitibus de facienda eleemosyna; Nam Joan. 3. dicitur: *Qui viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua, quomodo charitas Dei erit in illo?* Et Matth. 5. damnantur propter omissam eleemosynam illi, quibus dicitur, *Esurivi, & non dedistis mihi manducare.* Et 1. ad Timoth. ult. dicitur: *Divitisibus hujus sæculi præcipe facile tribuere.* Et in cap. Pasce dicitur, *Quisquis pascendo hominem servare poterat, si non pavisti, occidisti.* Tenemur autem ex charitate, non ex justitia, ut communiter docent contra Mendoz. apud Dian. part. 5. tract. 8. resol. 2.

Difficultas est, num ad eleemosynam teneamur in extrema solum necessitate proximi, an in gravi, an etiam in communi? Dicitur autem extrema, vel quasi extrema necessitas, quando proximus est in probabili periculo mortis, aut ægritudinis, & miseræ, ex qua mors sequatur; aut in probabili periculo amittendi aliquod membrum; ut si quis fame, vel frigore pereat, nisi illi succurratur; aut latro illi minetur mortem, nisi det decem aureos, quos

non habet. Dicitur etiam ex Filiuc. probabiliter necessitas extrema, quando quis ad illam evadendam eligit mortem spiritualem, verbi gratia, prostituere filias, aut seipsum turpi lucro: non tamen quando Titius vult seipsum interficere, nisi dem illi mille aureos; quia hæc est malitiosa necessitas, a qua ipse potest se liberare. Gravis necessitas dicitur, quam incurrunt, qui non habent necessaria ad suum, & suorum statum; ut quando vir nobilis caret pallio, ut decenter adeat ad Divina audienda; Vel si quis ære alieno gravatus in carcere detineatur, aut inter hostes captivus, aut si victu, & vestitu tenuissimo vitam transigat. Communis, & ordinaria necessitas est, quæ passim occurrat in pauperibus ostiatim mendicantibus, & cui passim subvenitur. Sciendum præterea, quod bona, alia dicuntur esse superflua vitæ, alia superflua statui. Superflua vitæ sunt, quando sine illis potest quidem vita sustentari, non vero decenter juxta personæ statum. Superflua statui sunt, quando sine illis non solum vita, sed etiam status decenter conservari potest; Damnata autem est ab Innoc. XI. prop. 12. dicens, *Vix in secularibus invenies etiam in Regibus superfluum statui*; Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluis statui. Intantum autem dicebant vix reperiri superflua statui, quia multi cum Dian. part. 1. tract. 16. resol. 18. putant cum Vasq., quod bona, quæ conservantur ad acquirendum altiorum statum sibi, vel consanguineis, non dicantur superflua statui; quia ascensus ad majorem statum revocandus est ad necessitatem, & convenientiam status præsentis. His positis

VI. Dico primo; in extrema, vel quasi extrema proximi necessitate obligamur ad eleemosynam, etiam ex superfluis ad naturæ conservationem, & necessariis statui; quia ordine cha-



ritatis præferenda est vita proximi statui nostro decenti. Ita communiter contra nonnullos apud Dian. part. 1. tract. 16. resol. 26. Non est tamen improbabile ex Trull., Pal., Con., & Dian. part. 5. tract. 8. resol. 7., quod non teneamur in extrema necessitate aliorum dare, quæ omnino necessaria sunt ad tuum, ac tuorum statum; quia non tenemur vitam proximi conservare cum tanto detrimento, quale est fieri miserum. Immo Pal. cum Con. putat, te non teneri ingentes divitias etiam statui non necessarias expendere pro vita proximi, verbi gratia tria, vel quatuor millia aureorum; quia talis sumptus in morali æstimatione, & quoad Reipublicæ utilitatem pretiosior est vita hominis. Hinc non teneris pro infirmo Medicos longe distantes vocare, aut medicinas pretiosas dare, etiam si scires sic ægrotum non moriturum, quia charitas non obligat ad media extraordinaria.

VII. Dubium est, An quis possit satisfacere extreme indigenti mutuando, an debeat donare?

Sot. putat, quod debeat dare, contra Navar., & Tolet. Probabilius putat Sanch., Tambur., Trull., quod si egens non habeat hic pecuniam, aut aliud, quo indiget, sed habeat alibi, aut probabiliter credatur habiturus, satis sit mutuare; secus debeat illi dari gratis.

VIII. Dico secundo; in gravi necessitate proximi, quamvis multi apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 215. doceant, de necessariis ad statum teneri divitem sub mortali elargiri eleemosynam; probabile tamen est ex eodem Dian., & aliis non teneri; quia in pari necessitate præferenda est conservatio proprii status conservationi status proximi; Tenetur tamen dives sub mortali de superfluis statui succurrere gravi necessitati proximi. Ita communiter Doctores, quicquid contradicant Rosell.,

Gabriel, D. Antonin. apud eundem Dian. part. 5. tract. 8. resol. 14., & Bonac. disp. 3. quæst. 2. punct. 5., quorum sententiam probabilem putat Malder., & Dian. part. 1. tract. 16. resol. 28., ac Mendo V. *Eleemosyna*. Ratio est, tum quia 2. ad Timoth. ult. dicitur, *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere*; quomodo autem facile tribuit, qui expectat necessitatem extremam proximi ad tribuendum? tum etiam quia charitas præcipit proximo succurrere sine gravi incommodo succurrentis; qui autem de superfluis statui largitur, sine gravi incommodo succurrit; Ergo de iis tenetur in gravi necessitate.

IX. Dico tertio. In communibus pauperum necessitatibus multi cum Dian. part. 5. tract. 8. resol. 17., & part. 8. tract. 15. resol. 22., & tract. 16. resol. 28. putant, non teneri nos ad eleemosynam de superfluis statui; quia si hoc esset, nemo posset aliquid de superfluis statui donare, aut in pios alios usus erogare; nec posset sine peccato superfluum acquiri nisi ad subveniendum pauperibus. Verum probabilior videtur sententia Bonac., & aliorum apud ipsum, quod teneatur quilibet, prout judicaverit, sine notabili suo incommodo; Et ratio est eadem; quia cum præcipiatur nobis ex Apoll. facile tribuere, non debemus expectare necessitatem proximi extremam, vel gravem. Putat tamen Tambur., satisfacere huic obligationi, qui habens, verbi gratia, centum aureos annui redditus det duos in eleemosynam.

X. Dico ultimo; Probabiliter ex Granad. apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 214. satisfacit huic obligationi Episcopus, si quartam partem redditus Ecclesiastici det pauperibus; Et alii Beneficarii, si quintam, aut sextam partem, dummodo residuum post suam congruam sustentationem piis operibus impendant. Ratio est, quia tantum



tum obligantur ad abundantes, & frequentes eleemosynas; non vero ad dandum totum, quod superest, pauperibus. Communiter tamen ex Trident. sess. 25. cap. 1. docent peccari mortaliter, si redditus Ecclesiastici in profanos usus consumantur: Quicquid in contrarium doceat Lorca, quem novissime refellit Dian. part. 10. tract. 11. ref. 35.; Etenim talia bona appellantur in jure Canonico patrimonium Christi, bona Ecclesiae, bona pauperum. Illud certum est, quod si donent, verbi gratia parentibus, vel aliis non indigentibus, valide donant, eo quod Beneficiarii vere sint domini talium fructuum: Qui tamen ad id excitant, vel inducunt, peccant cooperando peccato illorum.

Adde, quod Beneficiarius attenta consuetudine loci, in quo non adest spoliatorum usus, potest valide, & licite testari non solum de bonis patrimonialibus, sed etiam de fructibus Beneficii necessariis ad congruam sui, & suae familiae sustentationem; unde ea potest consanguineis etiam divitibus relinquere. Verum fructus congruae sustentationi superfluos non potest licite nisi in pios usus erogare; quamvis valide de iis ad causas profanas disponeret, aut testaretur, cum Beneficarii sint eorum domini. Ita Bonac. ex Less. lib. 2. cap. 4. dub. 6., nec qui talem donationem acceptat, tenetur ad restitutionem. Qua de re fuse diximus in tertio Opusculo Theologico de Beneficiis Ecclesiasticis.

XI. Quæritur tertio; An, & quando teneamur proximum fraternaliter corrigere?

Respondeo, nos ad id teneri sub gravi, etiam ex præcepto naturali, (non secus ac tenemur subvenire proximo in suis necessitatibus) si tamen quatuor conditiones adsint, videlicet, Quod peccatum proximi, sive etiam

periculum peccandi sit moraliter certum; Quod sit spes emendationis (quamvis hæc conditio non requiritur in Prælato corripiente) Quod detur opportunitas personæ, & temporis, nec sit alius magis idoneus, qui id sit facturus; & demum, quod sine notabili incommodo correctio isthæc fieri possit. Dixi, quod peccatum proximi debeat esse moraliter certum; nam si sit dubium, aut sciatur per auditum, aut per rumorem, tunc ad Prælatum spectat corripere; quia hic tenetur etiam inquirere peccata subditorum ad correctionem faciendam; Reliqui tamen, non nisi in casu, quod peccatum redundet in damnum Communitatis, ut est hæresis, vel in damnum innocentis; aut si sit spes probabilis, quod proximus non sit id ægre laturus.

Quando tamen in aliquo habetur ignorantia invincibilis de legis transgressione, (ut si quis die festo labores ignorans illum esse diem festum) non tenemur ad correctionem, si non sit spes utilitatis, vel si timeatur scandalum; secus tenemur ignorantiam illam depellere, & impedire materialem illam legis transgressionem; ad id autem non tenemur ex præcepto correctionis, sed ex virtute Misericordiae spiritualis, cujus est docere ignorantem; atque adeo non tenemur sub gravi, ex Bonac., & aliis.

Dubium est primo; An teneamur ad correctionem, quando dubitatur, an ea sit profutura?

Respondeo cum Dian. part. 3. tract. 5. resol. 23., quod si dubium sit, an correctio sit animæ proximi nocitura, ut si ille eatenus induendus sit in blasphemias, contumelias, &c., non tenemur, quia prævalet præceptum de non nocendo alteri, quam de adjuvando illum; propterea non tenemur corrigere proximum, cujus naturam, & indolem ignoramus; nisi forte in arti-



articulo mortis, ne pereat, aut si peccatum vergat in damnum Communivitatis. Si tamen dubium solum sit, An correctio sit profutura, & non sit dubium, an ea sit nocitura animæ proximi, sed solum bonis illius temporibus, verbi gratia quia proximus non parum de illa tristaretur, tunc ex Trull. tenemur illum corrigere, quia bonum animæ præferendum est bono corporis.

XII. Dubium est secundo, An teneamur aliquando proximum corripere, etiam cum notabili damno proprio, immo etiam cum periculo vitæ?

Respondeo, Prælatum ad id teneri, si sit spes emendationis; reliqui vero ad id tenentur solum, quando proximus est in extrema necessitate, ut si fit in extremo vitæ, & aliter sit damnandus. Notat tamen Dian. part. 4. tract. 4. resol. 128. ex Sæ, & Granad. raro omissionem correctionis esse peccatum lethale, quia raro concurrunt quatuor illæ conditiones enumeratæ; præsertim quia sæpe potest proximus se se resipiscere; unde sæpe non est

in necessitate spirituali talis correctionis; unde raro ad illam cum gravi incommodo obligamur sub gravi.

Dubium est tertio; An correctio fraterna præmitti debeat ante denunciationem cujuscumque delicti?

Respondeo cum D. Th. 2. 2. quæst. 33. art. 7. negative. Si enim peccata sint publica, remedium publice adhibendum est; Nec habet tunc locum illud Christi Domini, *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe illum;* nam si peccatum sit publicum, peccat ille in omnes, quos turbat. Et eadem est ratio de peccato occulto, quod vergit in damnum proximorum five spirituale, five corporale, ut est hæresis, conjuratio, &c. Quare quando proximus non in te solum, sed in alios peccat, statim est denunciandus; nisi forte pro certo habeas, quod sit per secretam admonitionem corrigendus. Idque decrevit Sacra Congregatio anno 1660. approbante Alex. VII. ut notavimus in Trutina damnatarum Thesium exponendo quintam thesim ab eo Pontifice proscriptam.



## Q U Æ S T I O XII.

### De Octavo Decalogi Præcepto.

*Non loqueris falsum testimonium.*

**A** Quarto ad octavum Decalogi præceptum gradum facimus; diximus quippe in Proemio hujus tractatus, de quinto, septimo, ac decimo præcepto agendum esse in de Restitutione anno insequenti; de sexto vero, & nono in tractatu de Matrimonio. In octavo itaque præcepto prohibetur omnis injuria verbo illata proximo tam in judicio, quam extrajudicialiter. In judicio autem injuria committi potest, vel a Judice injuste judicando, vel a teste falsum deponente, vel a reo injuste negante, vel a falso accusatore, vel ab Advocato iniquam causam defendente. Extra judicium vero committitur mendacio, detractione, convitiis, contumelia, & improprio, susurratione, irrisione, maledictione, & judicio temerario. De his autem agemus cum de Restitutione, inquirentes quid pro tali injuria restituendum sit. Hic tantum agendum de injuria, quæ in judicio committitur, & quam primario hoc præceptum prohibet.

#### ARTICULUS I.

##### De Forma Juris a Judice servanda.

- I. Forma juris, seu Legum dispositio a Judice servanda est, tum in modo procedendi, tum in ferenda sententia.
- II. Modus procedendi juxta formam juris est triplex, per Accusationem, per Denunciationem, & per Inquisitionem: Hæc autem triplex est, Generalis, Particularis, & Mixta.
- III. Ut per Inquisitionem generalem procedat Judex, non prærequiritur Infamia, nec Accusatio. Debent tunc manifestari delicta, si delinquentes laborent infamia.
- IV. Ad Inquisitionem specialem prærequiritur accusatio, quæ sufficienter habetur per infamiam, aut per publicum rumorem.

V. Infamia habetur per vocem multorum, quin taxetur numerus, sed arbitrio Judicis relinquendus.

VI. Num sufficiant indicia certa, ut possit fieri specialis Inquisitio?

VII. Quid prærequiritur ad Inquisitionem Mixtam?

VIII. In quibusnam casibus fieri potest Inquisitio specialis, nulla infamia præveniente?

IX. Quanam forma debet procedere Judex post accusationem, aut denunciationem Rei?

X. Num licite procedat Judex propter meram querelam, aut denunciationem sine pravia infamia?

I. **J**udex multipliciter potest injuriam irrogare proximo in ferenda sententia, videlicet si non servet formam juris; si sine jurisdictione, seu potestate judicet; si in ferenda sententia judicet injuste, aut tarde; si careat debita scientia; si munera a par-



parte accipiat, &c. De quibus omnibus breviter agendum, ac primo quidem de forma Juris a Judice servanda.

Præmitto tamen, duplicem dari formam Juris in judicando, alteram in modo procedendi, alteram in modo ferendi sententiam: Etenim sententia ferri debet juxta utramque formam Juris, seu dispositionem legum, ex cap. 1. de Sententia, & rejudicata. Et ratio est, quia sententia judicativa est declaratio legis, & juris in casu particulari; ergo ferri debet juxta dispositionem legis; unde fit, ut qui leges ignorat, teneatur consultorem eruditum habere rerum, cujus consilio utatur, aliter peccabit graviter, & tenebitur ad damni restitutionem.

II. Verum circa formam juris in modo procedendi sciendum, tripliciter posse Judicem procedere juxta legum dispositionem, videlicet per Accusationem, per Denunciationem, & per Inquisitionem. Accusatio est delatio criminis a spondente se illud probaturum: Denunciatio judicialis est delatio criminis sine tali onere facta coram Superiore tanquam Judice, ut delictum puniat, & satisfactionem imponat; Et per hoc distinguitur a Denunciatione extrajudiciali, quæ fit coram Superiore, tanquam Patre, non ut puniat, sed ut corrigat reum. Utrovis modo procedat Juxta, sive per accusationem, sive per denunciationem, procedere debet ad instantiam partis. Ex consuetudine autem accusationi succedit querela, ratione cujus procedere potest Juxta ad capiendas informationes, ad examinandos testes vel productos ab accusatore, vel a denunciante nominatos, & ultimo ad examinandum delinquentem juxta communem praxim. Procedere etiam poterit ex Azor. cap. 22. Juxta per evidentiam criminis, & per deprehensionem in flagranti delicto.

At circa modum procedendi per Inquisitionem notandum, triplicem esse Inquisitionem, Generalem, Specialem, & Mixtam. Generalis inquisitio dicitur, quando a Judice inquiritur delictum in communi, ut faciunt Prælati in civitate suæ Diocæsis. Specialis dicitur, quando inquiritur aliquod delictum particulare de persona particulari, verbi gratia, an Titius commiserit adulterium. Mixta dicitur, quando vel de persona particulari inquiritur crimen in communi, ut si quærat, an Titius sit flagitiosus; vel de persona in communi crimen particulare, ut si invento cadavere occisi quærat, quinam fuerit homicida. His explicatis

III. Quæritur primo, Quam formam juris a Judice servanda est, quando procedit per Inquisitionem?

Respondeo, & dico primo; ut Juxta procedere possit per inquisitionem generalem, (quæ dicitur esse ex officio, & non ad instantiam partis) non prærequiritur infamia, vel accusatio, vel denunciatio; aliter non esset consultum publico bono. Quamvis autem facta generali inquisitione nemo teneatur manifestare delicta occulta; (nisi quando talis manifestatio esset necessaria ad bonum commune, vel ad utilitatem, & emendationem delinquentis) tenetur tamen quilibet ea manifestare, quorum auctores laborant infamia de aliquo delicto; quamvis nemo teneatur seipsum, aut complices manifestare.

IV. Dico secundo; Ut procedat Juxta per Inquisitionem specialem, per quam intenditur pœna delinquentis, prærequiritur infamia, aut clamorosa insinuatio, seu vox totius populi, & publicus rumor de tali delicto, ut præscribitur in cap. Cum oportet, De accusationibus. Et ratio est, quia Juxta non potest sic procedere, nisi præcedat aliquis accusator, qui sufficienter



ter habetur per infamiam, vel publicum rumore.

V. Est autem infamia frequens vox proborum virorum, quae hominem de tali delicto suspectum reddit; ut notat Sanch. l. 2. de Matrim. disp. 46.; Ubi etiam docet, quid requiratur, ut fama probet, & probetur. Dubium est, quot homines ad infamiam requirantur? Docet Sot. cum aliis apud Bonac., quod requirantur decem; Navar. requirit majorem partem populi, vel saltem vicinorum. Avil., & Molin. putant relinquendum id iudicio prudentis viri; quia nihil in jure praescribitur, & cum infamia sit vox multorum, non potest numerus taxari, quia decem in magnis populis sunt pauci, & in modicis multi.

VI. Ex dictis sequitur, non sufficere ad specialem inquisitionem indicia manifesta, praecisa consuetudine in contrarium. Ratio est, quia in jure praerequiratur vel infamia, vel clamorosa insinuatio; ergo indicia manifesta non sufficiunt. Adde, quod indicia certa in iudicio sunt minoris probationis, quam duo, vel tres testes; Innoc. quippe III. in cap. *Accusationis*, *De inquisitionibus* statuit, non posse iudicem inquirere contra non infamatum, etiamsi duo, vel tres testes asserant se vidisse delictum ab homine committi. Ita Navar., & Valent. contra Sa, Molin., Azor., qui putant etiam unum testem sufficere, ut iudex possit contra aliquem inquirere, atque adeo sufficere etiam indicia certa. Verum Bonac. utramque sententiam conciliat dicendo, ibi hoc permitti, ubi est talis consuetudo, quae potest derogare juri positivo; Et sic in multis locis est praxis, quod invento cadavere, habitisque indicibus de aliquo, formetur contra illum inquisitio; quia id expedit ad bonum publicum, quod praevalet infamiae personae particularis, quae sequitur ex tali inquisitione.

VII. Dico tertio; Ut procedat iudex per Inquisitionem mixtam, requiritur vel infamia, vel clamorosa insinuatio, (ut dictum est de Inquisitione speciali,) vel etiam indicia juxta receptam loci consuetudinem, vel semiplena probatio, & accusatio. Ita Less., Navar., & alii apud Bonac. Ratio est, quia ita videtur fama personarum, & bono publico expedire. Dicitur autem semiplena probatio dictum requirit testis oculati fide dignissimi id deponentis in iudicio cum juramento. Indicia autem certa, & indubitata dicuntur, quae sufficiunt non solum ad examinandum, sed etiam ad torquendum reum, vel ad deferendum illi juramentum; Delatio enim juramenti quaedam tortura est. Talia indicia sunt fuga delinquentis statim post crimen commissum, nisi forte suspectus purget suspicionem comparando statim post citationem: Item gravis inimicitia conjuncta cum aliis indicibus, vel existentia rei furto ablatae apud delinquentem, &c. Haec tamen indicia non sunt satis ad puniendum reum poena ordinaria, quia fieri potest, ut non sit reus: Indicia vero, quae reputantur levia, sufficiunt solum ad capiendum reum, ne fugiat, non vero ad illum examinandum; Et tale indicium ex Azor., & Sylvest. est dictum socii criminis, quod satis est ad capiendas contra illum informationes, & ad illum capiendum, ne fugiat, non vero ad illum examinandum, & torquendum. Indicia demum, quae reputantur gravia, sed non indubitata, sufficiunt ad reum capiendum simul, & examinandum, non tamen ad illum torquendum.

Ex dictis sequitur primo, quod si publice constet commissum esse homicidium, possit de illo fieri inquisitio generalis, seu mixta, quicumque illud commiserit; non vero specialis contra aliquem, nisi praecedat infamia, vel accu-



accusatio, vel semiplena probatio. Ita Molin., Valent., Reginald. contra Sot. apud Bonac.

Sequitur secundo, idem dicendum de iudice regulari, qui non potest inquirere delicta, nisi in casibus, in quibus potest iudex Ecclesiasticus, & Sæcularis, ut notat Sanch. lib. 6. Consil. cap. 8.; atque adeo si duo, vel tres jurent se vidisse delinquentem, non potest fieri inquisitio specialis, si non præcedat infamia, ex cap. *Inquisitionis*, *De accusationibus*, aut nisi aliter ferat consuetudo: Nec est puniendus judicialiter ille delinquens, nisi fraterna correptione præmissa processum sit per denunciationis viam, ut habent expresse Cajet., Navar. ex D. Th. 2. quæst. 33. art. 7. ad 5., quando tamen ex non inquirendo religionis perniciis, aut aliud damnum notabile non timeretur.

Sequitur tertio, quod in inquisitione mixta generali, quando iudex interrogat de veritate alicujus criminis notorii, cujus auctorem pauci norunt, nemo teneatur veritatem, seu auctorem criminis aperire, nisi præcedat infamia, vel semiplena probatio, vel accusatio de criminis auctore. Ita Bonac., Less. contra Azor., Sylvest., & alios, qui putant teneri auctorem criminis aperire, etiam si ipse solus noverit.

Sequitur quarto, quod qui suum delictum confessus est, vel de illo est convictus, non possit interrogari de aliis delictis, de quibus non extat contra ipsum infamia, vel certa indicia, nisi cum priori delicto connexionem habeant; quamvis in aliquibus locis contrarium sit usu receptum, ut notat Julius Clarus lib. 5. quæst. 64.

Sequitur quinto, quod quando reus suum crimen confessus est, neque possit interrogari de crimine sociorum, quando illorum crimen est occultum, ex *leg. final. ff. de accusatione*; nisi ta-

men crimen ejus rationis sit, ut sine alio committi non possit; ut est adulterium, sodomia, &c.; Vel publico bono repugnet, ut sunt crimina læsæ Majestatis, latrocinia, falsa moneta, assassinia, &c.; tunc enim debet interrogari, & tenetur reus revelare complicem occultum, quia præceptum non scandalizandi fortius obligat, quam præceptum non infamandi; in his enim casibus sequeretur scandalum, si remaneret impunitus socius criminis, quando crimen, quod est publicum, fert de se socium: Quamvis Trull. dub. 22. putet id esse verum, quando delictum est valde atrox, itaut si non puniatur, magnum, & certum scandalum sequatur.

VIII. Rogabis. An dentur aliqui casus, in quibus nulla præcedente infamia possit fieri inquisitio vel generalis, vel specialis?

Respondeo, dari. Primus est, quando talis inquisitio necessaria est ad præcavendum malum futurum, etiam privatum, præsertim animarum; Verbi gratia, ad impediendum crimen hæresis, læsæ Majestatis, &c. Ratio est, quia bonum animæ præstat bonis famæ, honoris, &c., & melior est conditio innocentis. Unde fit, ut hæreticus, etiam occultus, debeat manifestari. Secundus est, quando non proceditur ad puniendum delictum, sed vel ad celebrandum, verbi gratia, matrimonium, vel ad conferendum beneficium, vel ad eligendum, &c., in quibus casibus reus tenetur vel se prodere, vel a tali matrimonio, aut beneficio abstinere. Tertius, quando suspicio communis supplet vicem infamæ. Quartus est, quando delictum committitur coram ipsis iudicibus; vel si incidenter illud reus confessus est, quia fit tunc notorium notorietate juris, quod sufficit ad specialem inquisitionem; non tamen si confessio facta sit metu tormentorum, & postea

REVO-



revocetur, quia perinde est ac si facta non fuisset.

IX. Quæritur secundo, Quanam sit forma juris servanda a iudice in accusatione, & denunciatione?

Respondeo, iudicem juridice procedere via accusationis, si post accusationem interrogat testes, & postea, habita saltem semiplena probatione, procedit ad interrogandum reum. Ita communiter; quamvis Clavis regia, & alii putent sufficere ad reum interrogandum indicia manifesta. Ubi notandum, quod si crimen probatum est per duos, vel tres testes omni exceptione majores, iudex procedere potest non solum ad examinandum, sed etiam ad condemnandum reum; Si vero per unum tantum testem crimen probatum est, procedere solum potest ad reum examinandum, & torquendum; idque verum est, etiam si iudex non procedat via accusationis proprie dictæ, sed per querelam, vel per denunciationem juridicam; quæ scilicet fit coram iudice in ordine ad punitionem Rei, non vero per denunciationem Evangelicam, quæ fit Superiori tanquam Patri in ordine ad correctionem delinquentis.

X. Dubium tamen est; An licita sit talis praxis procedendi propter meram querelam, vel denunciationem ad capiendas informationes, & indicia, quibus habitis, formetur specialis inquisitio?

Sot., Navar., & alii illam damnant, quia qui sine prævia infamia inquirat, præbet occasionem detrahendi, seu infamandi delinquentem nondum laborantem infamia, quod est contra jus naturale, & divinum. Verum Less. l. 2. cap. 28. Azor., alique illam permittunt, dummodo fiat in gravibus causis, & quando necesse est ob Reipublicæ utilitatem. Ratio est, tum quia si id non permitteretur, multa crimina remanerent impunita; tum etiam

quia jure tantum humano introductum est, ut non fiat specialis inquisitio sine prævia auctoris infamia, ex cap. *Accusationis, de Inquisitionibus*; Jus autem humanum per contrariam consuetudinem aboleri potest.

## ARTICULUS II.

De Jurisdictione in Iudice requisita.

- I. *Requiritur Jurisdictio in Iudice, ut valide sententiam ferat, sive ea sit ordinaria, sive delegata, sive Arbitraria, sive Accessoria.*
- II. *Judices seculares num possint vi consuetudinis immemorabilis aliquam sententiam ferre adversus Ecclesiasticos?*
- III. *In pluribus casibus permittitur Iudicibus laicis de Clericis cognoscere.*
- IV. *Qui patrato delicto assumpsit habitum Clericalem, aut Religiosum, poteritne a Iudice laico puniri?*
- V. *Clerici turbantes Rempublicam possunt a Iudice laico reprimi, capi, & illico Superiori Ecclesiastico tradi, ut puniantur.*

I. **Q**Uæritur primo, An, & quæ jurisdictione requiratur in Iudice in ferenda sententia?

Respondeo, certum esse requiri ad sententiæ validitatem in Iudice potestatem, seu jurisdictionem. Sententia enim, seu iudicium est quædam lex particularis; lex autem non potest valide ferri a non habente jurisdictionem. Quando autem aliquis ex errore communi cum titulo colorato putatur verus Iudex, tunc etiam jurisdictionem veram habet, ut dicemus in de Pœnitentia; quia Superior in bonum commune confert in tali casu iudici putato veram jurisdictionem, ex leg. *Barbarius*; quod etiam multi probabiliter docent verum esse, ubi datur opinio de jurisdictione in iudice.



ce, aut error communis sine titulo colorato.

Præterea quælibet jurisdictionis satis est ad reddendum iudicem competentem, & ad sententiæ validitatem, sive ea ordinaria sit, sive delegata, sive arbitraria, sive accessoria. Est autem potestas, seu jurisdictionis ordinaria, quæ alicui competit ratione sui officii, quia scilicet ex jure, vel ex consuetudine, aut ex præscriptione tali officio competit: Hanc habet Papa, & Episcopus respectu suorum subditorum in rebus ad animæ salutem pertinentibus: necnon Vicarius Generalis Episcopi vivente Episcopo. Delegata est illa, quæ alicui competit ex concessione illius, qui ordinariam habet potestatem. Arbitraria est illa, quæ alicui competit ex communi consensu partium litigantium; ut si quis a colligantibus vel eligatur in Arbitrum, qui amicabiliter componat litem, vel eligatur in iudicem, qui juxta ordinem juris sententiam ferat. Accessoria demum est illa, quæ alicui aliunde accedit, verbi gratia ratione delicti in proprio territorio commissi a non subditis, ex leg. *ultima*, ff. de *Accusationibus*. Et eadem ratio est, si quis injuriam irrogavit subdito alterius superioris; Si enim Superior ejus, qui injuriam fecit, interpellatus omittit injuriam vindicare, poterit id facere superior ejus, qui injuriam accepit.

Hinc inferitur primo, invalide judicare, qui absque aliqua ex dictis potestatibus judicat: Et qui alienam potestatem usurparet, mortaliter peccaret; immo teneretur ad restitutionem damni secuti, qui usurpatione iudicii peccaret contra iustitiam.

II. Inferitur secundo, mortaliter peccare iudices sæculares judicando aut de personis Ecclesiasticis, aut de rebus spiritualibus. Immo incurrunt excommunicationem in Bulla Cœnæ; cum Trident. sess. 23. cap. 20. eximat Ec-

clesiasticos ab eorum jurisdictione: Nec possunt tali privilegio Ecclesiastici cedere, quia hoc non est privilegium personale, sed toti communitati Ecclesiasticæ indultum. Quare, ut notat Sanch. apud Trull., si pecora Clerici damnum inferant pascuis alienis, iudex sæcularis non potest ea capere, sed ad summum punire potest pastores sæculares propter malam custodiam, ut solvant pœnas, & damna. Quamvis in hac re attendenda potius sit legitima, & approbata consuetudo; quia in consuetudine immemorabili præsumitur privilegium, nec laici videntur incapaces privilegii judicandi de Ecclesiasticis ex consensu Pontificis, ut docent Bonac. hic §. 3. cum Suar.: Sed verius Azor., & alii docent, quod omnis hujusmodi consuetudo sublata sit per Bullam Cœnæ in Excommunicatione decima quinta.

III. Possunt autem in sequentibus casibus iudices laici de Clericis cognoscere. Primo, si Clericus sit degradatus, & brachio sæculari traditus. Secundo, in casu reconventionis civilis; si enim Clericus laicum convenit apud iudicem sæcularem, potest apud talem iudicem reconveniri in causa tantum civili; (si scilicet putet laicus aliquam actionem habere contra eundem Clericum in causa civili) Unde Clericus tenetur stare sententiæ talis iudicis, ex cap. 1. & 2. de *mutuis petitionibus*: Quamvis non possit cogi ab eodem iudice, ut stet tali sententiæ. Tertio, ex Trident. sess. 23. cap. 6. Clericus prima tonsura, aut etiam minoribus ordinibus insignitus amittit privilegium fori, nisi beneficium habeat, aut habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inserviat; Vel in Seminario Clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate quasi in via ad majores Ordines de licentia Episcopi versetur, Quarto, si Clericus fiat



fiat bigamus, vel bigamia vera, ducendo successive duas uxores, vel interpretativa, ducendo viduam, ex capitulo *De bigamis in 6.* Quinto, in causa feudi; Clericus enim in iis, quae pertinent ad feudum, subicitur domino feudi, quamvis saeculari, ex cap. *Verum, de foro competenti*: Unde fit, Clericum teneri stare juramento fidelitatis praestito domino directo feudi, Sexto, si quis patrato delicto in fraudem assumpsit habitum clericalem; fraus enim nulli debet patrocinari. Putat tamen Bonac. contra communiorem, quod non dicatur assumere in fraudem, qui patrato delicto assumit habitum clericalem animo simul inserviendi Deo, & subtrahendi se a potestate saeculari; sed solum si id faciat animo vitandi forum; Censetur autem suscipere habitum clericalem ad vitandum forum, qui statim patrato delicto, aut postquam fuerit diffamatus, habitum clericalem assumit. Immo ex Bulla Sixti V. Religiosus, qui patrato delicto assumpsit habitum religionis, nec gaudet privilegio fori, si ad religionem admittatur non adhibita a Superioribus inquisitione praescripta, an videlicet aliquod delictum commiserit? An aere alieno sit gravatus?

IV. Sed notat Bonac. num. 18., quod qui patrato delicto in fraudem fori saecularis assumpsit habitum vel clericalem, vel religiosum, possit quidem puniri a iudice laico poena pecuniaria, non tamen corporali; quia per susceptionem habitus effectus est de sorte, & hereditate Christi Domini; Nam Clericus idem sonat, ac in sortem Domini vocatus; Unde par non est, quod corporaliter potestati saeculari subiciatur.

V. Demum possunt a iudicibus saecularibus Clerici Republicam turbare, vel homicidium committere intentantes reprimi, & capi, ut a malo

cessent, & suo legitimo iudici tradantur. Possunt etiam similiter capi in flagrante crimine, si periculum est, quod fugam arripiant; Immo ex Farinac. possunt spoliari armis, quae Principum edictis deferri prohibentur, & tradi Ecclesiastico iudici, ut puniantur. Quod tamen negat Decian. apud Bonac., tum quia Clerici non tenentur vi coactiva legibus Principum saecularium, tum quia delictum hoc non est adeo grave, ut debeat ob illud Clericus laicae subijci potestati.

### ARTICULUS III.

De Iudice in ferenda sententia.

- I. Iudici non licet in ferenda sententia sequi opinionem minus probabilem, omitta probabiliore. Cur id liceat Confessariis?
- II. In causis civilibus, in quibus opiniones circa ius sunt aequae probabiles, unversim perest iudex causam adjudicare, cui mansit, favenda tamen Reo, prout fieri potest. At si opiniones sunt aequae probabiles circa factum, debet dividi res, aut pretium rei.
- III. In causis vero criminalibus, quando opiniones circa factum sunt aequae probabiles, sequenda est opinio magis favens Reo.
- IV. Iudex inferior nequit damnare Reum, si solum privata scientia sciat illum esse reum. Potest tamen debitorem huiusmodi cogere ad solvendum.
- V. Iudex supremus regulariter non potest Reum condemnare, nisi citatum, & auditum.
- VI. Num possit Iudex damnare iudice Reum, si privata scientia sciat illum esse innocentem? Probabilius id non licet in causis capitalibus, sed solum in civilibus, ac levis momenti.



VII. *Quanam munera accipi possunt a iudice, preciso juramento de non acceptandis muneribus a partibus, & precisis legibus id vetantibus?*

VIII. *Pretium acceptum pro ferenda sententia injusta, post illam non est restituendum; sicut restitui debet pretium pro ferenda sententia iusta.*

IX. *Leges positivæ vetantes munerum acceptationem non allicientium ad injustitiam probabiliter non obligant sub mortali; secluso juramento quod a iudicibus præstetur de iis non acceptandis.*

X. *Dari possunt iudici munera ad vexationem injustam redimendam. Sed non est de facili credendum, quod ea intercedat; nec quod propter munera diligentius merita causa ille sit discussurus.*

I. **Q**Uæritur primo; An possit iudex in iudicando sequi opinionem probabilem, omiſſa probabiliore, & tutiore?

Respondeo, damnatam esse ab Innoc. XI. propoſ. 2., quæ dicit: *Probabiliter existimo, iudicem posse iudicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Et ratio est, quia a Republica constituitur, ut unicuique tribuat jus suum juxta merita causæ; Illa autem pars, pro qua stat opinio probabilior, habet majora merita causæ, & majus jus; ergo pro illa iudicandum; alioquin iudex erit acceptor personarum.

Neque dicas, licitum esse Confessario, qui est iudex in foro interno, iudicare secundum opinionem minus probabilem, etiam si agatur de damno alterius, puta de restitutione faciendâ; ergo etiam id licebit iudici in foro externo.

Nam concessio antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia in foro externo iudicare debet inter partes juxta uniuscujusque merita; at

Pars II.

in foro interno confessarius iudicat inter Deum, & hominem, ut homo præstet Deo debitam satisfactionem; hanc autem præstare potest sequendo opinionem probabilem relicta probabiliore.

II. Notandum hic, quod in causis civilibus si opiniones sint æque probabiles ex parte juris, potest iudex sequi, quam maluerit, & cessante scandalo potest modo unam, modo alteram sequi. Ratio est, quia cum utraque sit probabilis, prudenter agit, quamcumque sequatur: Quamvis si una sit benignior altera, & magis favens Reo, illa sequenda sit; Sicut etiam si faveat juramento, matrimonio, viduæ, pauperibus, operi pio; aut si defendat valorem actus, etiam si in præjudicium Rei, ut notat Navar. Quod si in iisdem causis civilibus opiniones sint æque probabiles ex parte facti, (quatenus scilicet utraque pars probat causam suam testibus, & scripturis æque idoneis) debet iudex componere partes inter se, dividendo rem, aut pretium rei, si hæc sit indivisibilis. Ratio est, quia cum probationes litigantium sint æquales, æqualia pariter sunt ipsorum jura in rem, atque adeo iudex debet illam dividere.

III. In causis autem criminalibus, quando opiniones etiam ex parte facti sunt æque probabiles, amplectenda est opinio magis favens Reo, ut communiter Doctores docent. Ratio est, quia in criminalibus accusator, vel fiscus se habet ut aggressor, & reus ut aggressus, ac se defendens; Omnia autem jura dicunt aggresso, & se defendenti favendum potius esse, quam aggressori. Quamvis Bonac. punct. 9. num. 15. apud Trull. putet non esse improbableem, quod in opinione æque probabili, sive ex parte juris, sive ex parte facti, possit iudex sequi sententiam, quam

B b ma-



maluerit tam in causis civilibus, quam in criminalibus, nisi aliter ferat consuetudo, vel decreta. Damnatur tamen ab Alex. VII. propos. 26. dicens: *Quando litigantes habent pro se opiniones aequae probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius pro alio.*

IV. Quæritur secundo, An iudex damnare possit reum non auditum; aut quem ex privata scientia cognoscit esse reum, si iudice sit innocens?

Respondeo, & dico primo; Iudex inferior non potest condemnare reum, qui non sit citatus, & auditus cum omni iudicii solemnitate, nec illum, quem ex sola privata scientia habet reum. Ratio est, quia tenetur parere juri naturali, & legibus communibus ad ordinem juris pertinentibus; Quare si secus faceret, peccaret contra iustitiam, & teneretur ad restitutionem. Scimus autem Deum ipsum non protulisse sententiam contra Adamum, nisi prius vocatum, auditum, & defensum. Notat tamen Dian. part. 2. tract. 5. resol. 98., quod si agatur non de puniendo, sed de avertendo malo in posterum imminente aut Reipublicæ, aut innocenti, possit iudex ex privata scientia jubere, ut auctor interficiatur, si alia via non suppetit; quia tunc non agit ut iudex ex auctoritate publica, sed ut privatus, se, aut rem sibi commissam defendens, occidendo aggressorem cum moderamine inculpatae tutelæ.

Oppones: Potest iudex cogere ad restituendum, quem privata tantum notitia cognoscit debitorem; ergo etiam damnare, quem privata tantum notitia cognoscit reum.

Respondeo, nego consequentiam. Ratio est, quia sicut potest creditor uti compensatione, & tertius aliquis conatum, & operam suam præstare, ut creditori debita satisfactio exhibeatur; ita potest iudex ad id suam

auctoritatem interponere, non vero ad damnandum reum auctoritate publica. Immo, ut notat Bonac. quaest. 2. punct. 2. neque potest iudex præter solutionem debiti damnare debitorem ad aliam pœnam pecuniariam ex privata scientia; quia pœna non imponitur, nisi crimine probato.

V. Dico secundo; neque iudex seipsum potest ordinarie ex privata scientia aliquem condemnare; nec nisi citatum, & auditum. Ratio est, quia non censetur Respublica suam potestatem in principem transtulisse, nisi eo modo, ut jus gentium servet; & prout utile est ad bonum regimen. In aliquo tamen raro casu ex Covar. posset id facere: Verbi gratia si quis Regina vim intulisset, & solus Rex id cognoscat, aut si conjuratio fieret in principem, nec expediret resciri personas, posset illas veneno, aut alia via interficere; quia in tali casu videtur Respublica consentire.

Eodem modo potest in quibusdam casibus reum non citatum; nec auditum damnare: Primo, ut notat Bonac. loc. cit., si crimen sit publicum, & ut addit Sanch., certo constat nullam defensionem esse reo. Ratio est, quia citatio interponi debet, ut reus se defendat; quare si constat nullam esse defensionem, frustranea esset citatio. Proinde sæpe latrones in crimine reperti statim suspenduntur sine processu, quia factum publicum est loco accusatoris, & testium.

Secundo, si quis contra Rempublicam, vel alios privatos perniciam machinetur, & sit periculum in mora. Ratio est, quia hoc non esset punire delictum, sed se defendere, & impedire damnum imminens.

Tertio, si crimen notum sit Principi, & tribus aliis, sed sine gravi incommodo non possit iudice probari, posset interfici reus occulte, ut notat Less. apud Trull.



VI. Dubium est; An vice versa possit judex damnare reum juridice probatum, si ex privata scientia cognoscat illum esse innocentem?

Respondeo, D. Th. 2. 2. quæst. 67. art. 2. Sanch. lib. 6. Consil. cap. 1. dub. 17. aliosque apud Tambur. & Bonac. loc. cit. affirmare. Ratio est, quia judicare pertinet ad personam publicam; ergo judex in judicando sequi debet notitiam publicam, non privatam, quando non potest effugere, quin judicet. Verum communis cum Scotistis, & Less. lib. 2. cap. 29. num. 84. docent in causis gravibus id non licere, etiamsi deberet cæteroqui judex & officium, & vitam ipsam amittere. Ratio est, quia occidere innocentem est intrinsece malum. In causis autem levibus id permittunt, videlicet in causis civilibus, aut in pœna modici momenti. Ratio est, quia cum frequenter hi casus accidant, ne juris ordo pervertatur, & ne detur occasio iudicibus, ut etiam reos liberent prætextu, quod cognoscant illos esse innocentes, publicum bonum id exposcit. Et disparitas ulterior est manifesta, quare scilicet id liceat in causis levibus, non in gravibus; quia judex, & Respublica non habent potestatem in vitam innocentis, habent vero potestatem in bona externa, & facultates civium; itaut possint propter bonum publicum eas uni auferre, & dare alteri; Præsertim quia in tali casu adhuc innocens habet jus utendi deinde occulta compensatione contra illum, cui propria facultates per sententiam iudicis translatae sunt, cum sententia injusta non obliget.

VII. Quæritur tertio, Utrum judex possit pro ferenda sententia in favorem unius partis accipere munera, quæ dari solent ad ejus animum movendum?

Respondeo, Petrum Navar., alios-

que apud Dicastil., & Tambur. lib. 9. cap. 2. permittere, quod judex accipiat munera a partibus, si ea donentur titulo amicitia, vel alio titulo; non tamen si ea dentur ad animum movendum; Quod tamen Dicastil. reprobatur, quia Eccles. 20. dicitur, *Xenia, & dona excacant oculos judicum.* Sed probabiliter Tambur. docet, quod præscindendo a juramento, quod emittunt iudices de non admittendis muneribus, & præscindendo a legibus positivis id vetantibus, si munera accipiantur a iudice, itaut non sit periculum proximum, quod ab iis ad injustitiam moveatur, possit ea accipere sine obligatione restitutionis; & talia solent esse esculenta, quæ paucis diebus consumuntur, & res parvi momenti; Si vero adsit tale proximum periculum, illicite accipiuntur; immo ante causam expeditam restitui debent, cum debeat judex remove periculum suæ subversionis; (nisi forte confessione, jejuniis, & elemosyna ita se muniat, ut a proximo periculo peccandi sit immunis) Causa vero expedita, potest ea retinere, quia gratis data sunt, nec restitui debent ratione periculi subversionis, quia finita causa non est amplius locus tali periculo.

VIII. Pretium autem datum pro ferenda injusta sententia, quamvis ante illam restitui debeat, at non post illam, ut alias diximus; esto pretium acceptum pro justa sententia ferenda restitui debeat etiam post illam.

IX. Notat idem Tambur., quod iudices sæculares, si contra leges positivas juris communis accipiant munera, quibus non alliciantur ad injustitiam, (quod tamen raro contingit,) probabiliter non teneantur ad restitutionem, antequam damnentur ad illam; Immo probabiliter nec peccent mortaliter, præscindendo a juramento, quod emisissent; Nonnulli enim probabiliter cum Navar., & Valent. putant



rant leges sæculares, saltem de facto, ad mortale non obstringere, nisi id expresse declarent; Immo addit, idem dicendum probabiliter de iudicibus Ecclesiasticis, quia Sacri Canones ventantes, ne munera accipiantur a iudicibus, nisi forte esculenta & poculenta, aut quæ ex mera liberalitate offeruntur, & paucis diebus consumi possunt, non utuntur alio verbo, quam *Mandamus*, quod non ostendit obligationem ad mortalem culpam, ex Cajet., Azor., Sà.

X. Dubium est, An dantes munera iudicibus peccent?

Respondeo, non peccare, si dent ea, quæ licite potest iudex accipere; immo nec peccare, si dent ea, quæ illicite accipiuntur, modo dentur, & offerantur ad redimendam vexationem injustam. Cavendum tamen, ne litigantes facile credant vexationem injustam intercedere, vel quod iudex facilius expediat causas, ob quas munera accipit. Ubi notandum, iudicium famulos peccare, si aliquibus facilem aditum ad iudicem præbeant propter munera accepta, injuste alios excludendo; quia non sine iniustitia id faciunt: Licebit tamen etiam iisdem munera dare ad vexationem redimendam; Quamvis qui ad redimendam vexationem munera accipiunt, peccent, & teneantur ad restitutionem; quia in vitis absolute dominis ea accipiuntur.

#### ARTICULUS IV.

##### De Accusatore.

I. *Accusatio differt a denunciatione iuridica, eo quod hæc fieri possit solis verbis sine aliis solemnitatibus propriis accusationis; Nec tenetur denunciator crimen probare, & pœnam talionis subire; Differt etiam a denunciatione paterna, quia hæc ordinatur ad emendationem, non*

*ad punitionem Rei. Quanam dicatur denunciatio Canonica?*

II. *Denunciatio paterna in foro Ecclesiastico transire potest in iudiciale. Ad paternam denunciationem præcedere debet fraternæ correctio, non ad accusationem.*

III. *Licetum est accusare, vel iudicialiter denunciare reum propter injurias nobis irrogatas, & propter quodcumque crimen, licet occultum.*

IV. *Num præmitti debeat accusationi correctio fraternæ? Num condonare offensas sit solum consilium, ita ut licite possimus reum accusare, non ex odio erga illum, sed ex amore iustitiæ?*

V. *Raro in praxi peccatur, si ob offensas occultas nobis irrogatas reum accusamus, si odium omnino absit.*

VI. *Qui omittit accusationem, vel denunciationem debitam ex charitate, peccat; sed non tenetur ad restitutionem, nisi ad illam teneatur ex iustitiâ.*

VII. *Plurimi sunt, qui ab accusando repelluntur.*

VIII. *In nonnullis casibus non licet reum accusare, etiam posito Superioris præcepto.*

I. **A**ccusatio est Delatio criminis libello facta ad vindictam publicam; ita ut scribatur nomen accusatoris, & accusati, species delicti, tempus, & locus, ac demum accusator obliget se ad pœnam talionis, si non probet crimen, quod defert: Quamvis hoc postremum non sit amplius in usu, ut videre est apud Farinac. quæst. 16., qui late ostendit, quomodo, & quando calumniator sit puniendus. Differt itaque accusatio a Denunciatione iuridica, quod hæc potest fieri solis verbis, & sine dictis solemnitatibus; nec tenetur denunciator probare crimen, & subire pœnam talionis. Differt etiam a Denunciatione



paterna, quia hæc non ordinatur ad punitionem, sicut denunciatio judicialis, sed solum ad emendationem fratris. Quod si quis superiori deferat crimen, ut pro suo munere faciat, quod judicabit expediens, sive solum corrigendo, sive puniendo delinquentem, talis denunciatio dicitur proprie canonica.

II. Notat hic Azor. part. 3. lib. 13. cap. 19., quod denunciatio paterna in foro Ecclesiastico transire possit in judiciale; Si enim reus post paternam denunciationem non corrigatur, tunc denunciatur Prælo tanquam Judici, qui procedere incipit contra illum per inquisitionem, & excommunicando, nisi intra tempus determinatum destiterit. Notat etiam idem Azor. loc. cit. contra alios, quod correctio fraterna præmitti debeat ex præcepto Christi Domini solum denunciationi paternæ, non vero accusationi, quia illa ordinatur ad emendationem, hæc vero ad punitionem; unde etiam emendatus potest accusari, non tamen paterne denunciari.

III. Quaritur nunc primo, An licite possimus accusare, vel saltem judicialiter denunciare reum propter quamcumque injuriam nobis factam, licet illa probari non possit?

Respondeo, ex genere licitam esse accusationem, si modo debito fiat, quia est actus virtutis justitiæ; unde si quis accuset non ex odio, aut animo vindictæ, sed amore justitiæ, & ut scelerati timore pœnæ cohibeantur, actum virtutis exercet.

IV. Quamvis autem ex divina institutione dicamus in Oratione dominica, *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; hoc tamen non est præceptum dimittendi injurias nobis factas, sed consilium, quia facillimum est, ut qui injurias sibi irrogatas non vult dimittere, eas non dimittat ex odio erga of-

fensores, non vero ex amore justitiæ. Debet autem debito modo fieri accusatio, ut sit licita; nam ex Evangelio præmitti debet correctio fraterna, præcipiente Domino, *Si peccaverit in te, &c.*, quamvis, ut notavimus, Azor. putet correctionem præmittendam esse solum denunciationi paternæ, non accusationi. Sed Fagund. lib. 8. in Decalog. cap. 47. docet, quod licet delictum sit omnino occultum, adhuc teneamur accusationi præmittere monitionem fraternam, quando est spes emendationis; non tamen si delictum probari possit in judicio; etenim qui ita publice deliquit, dedit unicuique jus, ut accusaretur; & nimis durum videtur obligare ad præmittendam correctionem accusationi eum, qui atroci injuria est affectus. Lug. autem apud Tambur. hic cap. 2. §. 4. cum Suar., Molin., Filliuc. putat probabilius esse, quod crimen occultum possit etiam denunciari absque malitia detractionis, quia præponderat famæ illius bonum publicum, contra quod esset, si homines scelerati persuaderent sibi posse peccare absque metu pœnæ, quamdiu delicta non sunt divulgata.

V. Demum Tambur. putat, raro in praxi peccari, si occultissima crimina judici deferantur ab iis, qui injuriam passi sunt, vel ad quos injuria pertinet, ut sunt pater, frater, &c., modo absit omnino odium, aut desiderium injustæ vindictæ. Ratio est, quia fere nunquam habetur spes emendationis in criminibus, quæ adeo occulte committuntur; Et ad bonum publicum pertinet, ut corrigantur, & puniantur. Favet huic doctrinæ praxis, quam approbat Less. lib. 2. cap. 29. num. 131. contra Navar., per quam judices sæculares nulla præcedente infamia ex simplici delatione alicujus procedunt ad specialem inquisitionem contra aliquam personam.

VI. Quæ-



VI. Quæritur secundo, An peccet, & ad restitutionem teneatur, qui delinquentem non accusat?

Respondeo cum communi apud Busemb., raro homines teneri ad accusandum, ut constat ex praxi timoratorum. Verum peccat mortaliter contra charitatem, qui non accusat, vel saltem denunciatur delictum, quod vergit in damnum publicum, aut privatum. Ratio est, quia quilibet tenetur sub gravi peccato succurrere proximo graviter indigenti, quando potest sine suo gravi incommodo; Nam Eccles. 17. dicitur, *Unicuique mandavit Deus de proximo suo*. Non tenetur tamen ad restitutionem, qui accusationem debitam omittit, nisi quando ex iustitia tenetur accusare, ut cultos, non vero quando tenetur solum ex charitate.

VII. Quæritur tertio, Quinam in iudicio repellantur ab accusando?

Respondeo cum Bonac., Less., & Farinac. repelluntur excommunicatos, publicos concubinos, usurarios, & quoscumque iure infames, excepto casu hæresis, proditoris, & criminis læsæ Majestatis; tunc enim quilibet admittitur; Sicut etiam si quis suam, vel suorum injuriam prosequatur, ex leg. *Hi tamen omnes, ff. de Accusatione*. Secundo, repelluntur ob decentiam subditi, filii, servi relate ad suos Prælatos, parentes, dominos; nisi contrarium exposcat bonum commune. Tertio, Clerici ratione decentiæ status non possunt laicos in causa sanguinis accusare; excepto casu hæresis, criminis læsæ Majestatis, & aliis, quæ respiciunt bonum aut publicum, aut proprium, aut innocentis; & præmissa protestatione, quod non intendatur vindicta sanguinis, sed bonum commune vel proprium, vel proximi. Quarto, excluditur inimicus capitalis, quia facile calumniator potius est, quam accusator. Quinto ex Foller. apud Trull., non possunt laici accusare Sa-

cerdotes, nisi hæreticos, sacrilegos, simoniacos, bonorum Ecclesiæ dilapidatores, &c.; Nec admittitur ad accusandum sæmna, nec secularis, aut Clericus contra Regulares, cum sint diverſi fori.

VIII. Quæritur ultimo, In quibusnam casibus nemo potest accusare, etiam posito Superioris præcepto?

Respondeo, Primo, si delinquens sit emendatus, nec subsit periculo proximo relabendi, & parti læsæ satisfecerit, nec aliis imminet periculum. Secundo, si crimen sub secreto naturali quis noverit, ut consultor, advocatus, &c.; nisi tamen qui secretum commisit, Rempublicam, vel innocentem vexaret, nec vellet desistere. Tertio, si crimen probare cogeretur, nec posset. Quarto, si imminet periculum honoris, vitæ, vel rerum suarum; non enim cum tanto incommodo parere tenemur legi humanæ. Quinto, si crimen est occultum, unde ex delatione solum infamia proximi sequeretur sine causa; ut notat Busemb.

## ARTICULUS V.

### De Testibus, & Notariis.

- I. *Quinam testes requirantur, & sufficiant, ut possit Reus damnari? Quinam vero iure Canonico, quinam iure civili inhabiles sunt ad testandum?*
- II. *Nemo tenetur testari, nisi a charitate, aut a præcepto superioris ad testandum adigatur. Num. teneatur ad restitutionem, qui contra præceptum superioris renuit testari?*
- III. *In quibus casibus non datur obligatio testandi, etiam posito præcepto Superioris?*
- IV. *Non tenemur, sed possumus offerre nosmet ad testandum ad vitam innocentis salvandam, quamvis inde sequatur mors delinquentis.*

V. Te.



V. Teneatur retractare testimonium falsum etiam cum periculo vita, qui ob illud est in causa, ut alius mortui damnetur.

VI. Qui pecuniam accipit, ut verum testetur, non teneatur illam restituere; sed ante paratum crimen teneatur illam restituere, si acceperit ad deponendum falsum; post crimen vero teneatur compensare damnum illatum.

VII. Num teneatur iustificari posito iudicis precepto, qui novit crimen ab Accusatore, aut a Teste?

VIII. Si iudex legitime interroget, nequit testis equivocare; Secus vero si non procedat legitime; Et aliquando ad hanc equivocationem teneatur.

IX. Si testis sibi contradicat in eodem examine, standum est posteriori dicto; secus vero si sibi contradicat in diversis examinibus.

X. Si Notarius aliquid scripserit, & testis juret se illud non dixisse, credendum est potius Notario.

I. Certum est, neminem damnari posse, nisi vel ipse crimen consteatur, vel in flagranti crimine deprehendatur a iudice cum tribus, vel quatuor aliis, vel duo testes omni exceptione majores testentur cum juramento, se sensu externo crimen percipisse, & sint contestes.

Testes autem, qui a jure excipiuntur, sunt, Primo, in causis criminalibus Mulieres jure canonico propter sexus fragilitatem; jure vero civili solum in testamento repelluntur. Secundo, in causis criminalibus, qui est minor viginti annis; quamvis in civilibus admittatur pubes. Tertio, inimicus capitalis, consanguinei, domesticus actoris in causa ipsius actoris. Quarto, infames jure, vel facto, perjury, & viles, ac inopes propter suspicionem, quod pecunia corrupti factum deponant. Quinto, locii criminis,

excepto crimine hæresis, sodomie, maleficii, falsificationis monete, &c.

II. Quæritur nunc primo: An, & quando teneatur quis testari?

Respondeo, & dico primo, nemo teneatur testari, nisi charitas id exigat ad avertendum grave damnum proximi, vel iudex, aut superior habens potestatem id præcipiat. Quod si tale præceptum legitimum iudicis transgrediaris, & nolis testari in præjudicium alterius, communior sententia apud Bonac. hic docet, quod teneris ad restitutionem, quia posito præcepto iudicis facis injuriam non testando; nam testis per mandatum iudicis applicatur parti, ac proinde pars tunc habet jus ad tale testimonium; Probabiliter tamen ex Sayro, Less., Molin., Sanch. apud Trull. dub. 10. ad restitutionem non teneris, quia præceptum superioris non imponit obligationem iustitiæ, sed obedientiæ ad testandum; teneris certe ad restitutionem, si falsum testareris culpabiliter in præjudicium alterius; quia esset causa efficax, & injusta damni proximi.

III. Dico secundo; posito præcepto Superioris legitime interrogantis, non teneris testari, quæ accepisti sub sigillo, nisi forte ad avertendum grave malum Reipublicæ, vel innocentis, etiamsi juraveris, te id nulli dicturum; Nec teneris testari, quando tibi grave damnum imminet, nisi damnum publicum, vel alterius prævaleat; Unde non teneris contra consanguineos, & affines testari, nec quæ a viris non satis fide dignis accepisti; Proinde poteris in tali casu negare te aliquid scire: Nec testari teneris quæ per injuriam cognovisti, ut aperiendo literas, &c.; nec si alter probabiliter in eo facto non peccavit, vel propter invincibilem ignorantiam, vel quia aliquid in compensationem accepit, unde de furto fit accusatus, ut notat Busemb.



femb. hic ex Azor. , Filliuc. , Laym. , & aliis.

IV. Dico tertio cum Bonac. Quilibet potest se offerre ad testandum ad salvandam vitam innocentis , etiamsi inde reus sit damnandus ad mortem. Idque verum est ex Less. cap. 9. dub. 12. , etiamsi innocens nollet defendi , quia non est dominus suæ vitæ ; unde non potest jus defensionis alteri adimere. Non tenemur tamen offerre nosmetipsos ad sic testandum ; quia nemo tenetur tueri vitam propriam , & a fortiori nec alienam cum morte alterius . Si tamen innocens vult defendi , etiamsi mors nocentis sequatur , putat Bonac. , quod nos teneamur ad testandum ; quia melior debet esse conditio innocentis , quam nocentis . Verum ad salvanda bona externa innocentis , licet non teneamur offerre nos ad testandum , si inde mors nocentis sequatur , tenemur tamen respondere , si juridice interrogemur.

V. Dico quarto. Qui falsum culpabiliter testatus est , itaut ob tale testimonium innocens ad mortem damnetur , tenetur retractare suum delictum etiam cum periculo similis pœnæ incurrendæ , si credit se profuturum per retractationem. Ratio est , quia in æquali damno potior est habenda ratio innocentis .

VI. Dico quinto. Testis , qui pecuniam pro vero testimonio ferendo accepit , non tenetur illam restituere ; quia non tenetur ex iustitia ad testandum , sed solum ex charitate , vel ex obedientia ; at si pecuniam acceperit pro falso testimonio ferendo , debet illam ante factum restituere ; post factum vero non tenetur , sed solum tenetur damnum alteri illatum compensare .

VII. Dico sexto. Si delictum sciatur solum ab accusatore , & teste , non tenetur hic testificari ; Immo Veracrux apud Trull. putat hunc teneri

sub mortali dicere se nihil scire , quia ad hoc ut testis crimen teneatur , aut possit fateri , debet præcedere infamia , vel semiplena probatio , vel indicia contra reum . Multi tamen apud Dian. part. 2. tract. 5. resol. 100. probabilius tenent , testem in hoc casu obligari ad testificandum , quia iudex habet jus ad interrogandum .

VIII. Dico ultimo. Non licet testi cum juramento æquivocare , si legitime a iudice interrogetur . Ratio est , quia ob bonum publicum tenetur parere ; Si tamen iudex non procedat legitime , licitum est æquivocare , ut communiter docent apud Tambur. lib. 3. cap. 4. Unde si interrogetur testis de crimine occulto , vel quod non tenetur testificari , eo quod , verbi gratia , notabile damnum sequeretur , potest jurare se rem nescire ; sic enim non utitur restrictione pure mentali , sed respondet ad mentem boni , & iusti iudicis . Hinc non solum Clericus , sed etiam alii coram sæculari iudice possunt cum æquivocatione jurare Clericum reum non deliquisse ; & qui licite aliqua bona abscondit ad vitam sustentandam , non solum ipse , sed etiam alii , quibus id constat , possunt cum æquivocatione jurando testari ipsum nihil abscondisse . Addique Sanch. lib. 3. cap. 6. , aliquando testem ad talem æquivocationem teneri ; nam si iudici peccatum omnino occultum alterius prius manifestavit , deinde tenetur cum juramento testificari reum non commisisse tale delictum , ( ita scilicet ut iudicio externo subsit , ) quando sperat ex tali retractatione reparandum damnum iniuste illatum per manifestationem criminis occulti . Quæ omnia fulse explicavimus in Trutina exponendo theses 26. & 27. ab Innoc. XI. proscriptas de Amphibologiis .

IX. Quæritur secundo , Utrum standum sit primo , an secundo dicto testis



stis contraria dicentis in iudicio in diversis actibus, & examinationibus?

Respondeo, quod si testis statim in eodem examine se retractet, standum est posteriori dicto; si vero in diversis examinationibus se retractet, standum est priori dicto; dummodo aliud non dicat in articulo mortis coram iudice cum juramento; tunc enim præsumitur dicere verum, ex leg. *Ultima, Cod. Ad legem Juliam*. Ita Bonac.; Quamvis Sayr. apud Trull. putet talem testem repellendum, & puniendum esse tanquam perjurum.

X. Quod si Notarius unum scripsit, & testis juret se aliud dixisse, credendum est potius Notario, ex cap. *Ad audientiam, De præscriptionibus*; quia cum sit persona publica, & approbata, mendacium in ipso non præsumitur.

## ARTICULUS VI.

### De Reo.

- I. *Reus in iudicio non tenetur respondere, nisi iudice interrogetur, ita scilicet ut præcesserit vel semiplena probatio, vel indicia clara, aut infamia, qua per duos testes probata sint. Et in nonnullis casibus iudice interrogatus potest equivocare.*
  - II. *Non sufficit ad semiplenam probationem solus accusator, aut denunciator.*
  - III. *Improbabiliter reus iudice interrogatus non tenetur veritatem fateri, si inde sibi imminet grave damnum.*
  - IV. *Quid si reo nulla sit spes evadendi mortem, aut aliud grave damnum? Num peccet lethaliter, si veritatem non fateatur?*
  - V. *Num sine mortali possit equivocare, qui iudice interrogatur de re levi?*
- Pars II.*

VI. *Propter opiniones utrinque probabiles saepe datur bellum utrinque iustum; Unde potest iudex iuste interrogare, quin teneatur reus veritatem fateri.*

VII. *Potest reus e carcere fugere, quamvis inde sequatur custodis mors a iudice illi infligenda. Nequit tamen reus ministris iustitiae vim inferre, illos percutiendo, &c.*

VIII. *Cum moderamine inculpa tutela potest Reus, ejusque advocatus propalare occulta crimina testium ad eorum auctoritatem infringendam; sed non potest iis falsa crimina appingere.*

I. **Q**uæritur primo, Quandonam reus teneatur aperire veritatem in iudicio?

Respondeo, & dico primo. Reus non tenetur veritatem aperire, nec jurare, si non interrogetur iudice, seu juris ordine servato, videlicet itaut præcesserit vel semiplena probatio, aut infamia, vel manifesta indicia, itaut infamia, vel indicia sint probata per duos testes. Immo si reo non constet, quod iudice interrogetur, nec tenetur respondere, quamvis iudex sub pœna Excommunicationis interroget. Ita communiter cum Less. lib. 2. cap. 3. Unde fit, iudicem teneri aperire reo statum causæ, probationes, indicia, & testes, (quamvis non nomina testium in delictis Sanctæ Inquisitionis) ut videat an iudice contra se procedatur; Quamvis enim in levioribus rebus teneatur reus credere iudici prudenti, & perito, non tamen in gravioribus; Nec tenetur respondere, quamvis iudice interroget iudex, verbi gratia de homicidio, si homicidium sine culpa paratum sit; quia iudex inquit tantum de occisione criminosa. Immo Less., & alii apud Trull. dub. 21. docent, quod si tu non es auctor criminis, nec teneatur.

C c ris



ris fateri circumstantias veras, ex quibus oriatur vehemens suspicio, quod tu sis auctor criminis; verbi gratia, hunc esse tuum pugionem, te in eodem loco fuisse, &c. Ratio est, quia quamvis iudicis interrogatio sit iuridica, procedit tamen ex falsa presumptione delicti; nam si iudex veritatem sciret, non posset interrogare de talibus circumstantiis, ut docet D. Th. 2. 2. quæst. 69. art. 1. apud Dian. part. 3. tract. 5. resol. 66.

H. Dubium est, An denunciatus faciat semiplenam probationem; ita ut reus non teneatur respondere ex defectu semiplenæ probationis, si præter denunciantem non adsit testis?

Respondeo cum Valent., Bonac. contra Sot. requiri ad semiplenam probationem, præter denunciantem, vel accusantem, alium testem: omni exceptione majorem, aut infamiam, vel indicia sufficientia. Ratio est, quia Actor non potest simul esse testis in propria causa; Denunciator autem, vel accusator, cum intendat punitionem, suscipiunt causam ut propriam.

III. Dico itaque primo. Iudice legitime interrogante communiter docent, quod reus teneatur fateri veritatem, etiamsi sibi imminet periculum vitæ, aut tristemur, exilii, gravis infamiae, excommunicationis, aut alterius gravis incommodi. Verum Delugo, & Joan. Sanch. cum viginti duobus Doctoribus apud Tambur. lib. 3. cap. 4., & Dian. part. 1. tract. 1. Miscell. resol. 27. advertentes id esse onus supra vires naturæ, docent probabilissimum esse, ac tutum, Reum non teneri ad fatendum crimen suum, quando ex confessione tantum malum sibi imminet. Ratio est, tum quia res admodum difficilis, ac moraliter impossibilis ab humana potestate non præcipitur, nisi quando intercedit bonum commune; tum etiam quia non

potest quis ab humano superiore, & iudice obligari ad concurrendum ad propriam occisionem, cum id iure naturæ nobis veteretur. Unde præceptum iudicis in tali casu non obligat; atque adeo si cum æquivocatione reus juraret, negando se commisisse delictum, non peccaret; Sicuti non peccat, qui negat delictum, quando a iudice non interrogatur iuridice. In utroque enim casu negatur solum delictum, quod debeat manifestari, & ideo nullum adest mendacium, nec restrictio pure mentalis, sed solum æquivocatio, respondendo ad mentem boni, & iusti iudicis: Eodem modo, ac sine mendacio, aut restrictione pure mentali Christus Dominus dixit: *De die illa, vel hora nemo scit, neque filius hominis*, ita scilicet ut expediat revelare, ut notat Trull. dub. 4., & Dian. part. 2. tract. 5. resol. 76.

IV. Hanc doctrinam aliqui admittunt, si negando delictum sit spes evadendi mortem, aut grave incommodum. Tambur. autem putat, quod etiamsi non sit spes evadendi, adhuc a mortali excusetur, qui negat delictum; quia de iure naturæ est, ut nemo concurret ad sui occisionem; & si in hoc casu offenditur potestas iudicis, non nisi leviter offenditur; quia iudex etiam sine confessione Rei potest illum sufficienter damnare.

V. Docet præterea Tambur. contra Lug., quod si iudici veritatem iuridice interroganti de peccato levi, puta de levi furto, reus cum æquivocatione illud neget, quamvis leve tantum malum sibi imminet, non nisi leviter peccet; tum quia de iure naturæ videtur esse, quod ne leve quidem vulnus sibi quis infligat; tum etiam quia cum agatur de poena levi infligenda, non videtur rigorosum esse, & graviter obligans præceptum superioris; unde talis æquivocatio esset tantum leviter peccaminosa.



VI. Oppones. Quando iudex iudice interrogat, tunc iuste præcipit reo, ut veritatem aperiat; ergo tenetur reus illam aperire etiam cum vitæ periculo.

Respondeo cum Filliuc., Bonac., Sanch. negando consequentiam; non enim est novum, quod propter opiniones utrinque probabiles detur bellum utrinque iustum: Sic qui est in periculo vitæ, potest fugere a carcere, licet iudex, & lex præcipiant, ne fugiat, & fugientes puniant: Sic servus bello captus potest fugere, quamvis dominus iuste præcipiat, ne fugiat: Sic citatus potest non comparere, si sibi grave malum imminet, quamvis iudex iuste præcipiat, ut compareat; Et eodem modo reus potest veritatem celare, cum habeat jus defendendi vitam suam, quamvis iudex iuste præcipiat, ut veritatem aperiat ex iure ad inquirendos auctores criminum occultos.

VII. Queritur secundo, An possit reus e carcere fugere?

Respondeo, posse, (nisi iuraverit ibi permanere) etiam si custos carceris grave inde malum passurus sit. Ratio est, quia hoc malum sequitur per accidens, & reus utitur iure, quod habet effugiendi carcerem; si enim potest effugere, ne capiatur a ministris iustitiæ, poterit etiam fugere, ne in carcere detineatur, nisi bonum publicum aliud postulet. Non potest tamen vim interre ministris iustitiæ, percutiendo, vulnerando, &c., sequeretur enim scandalum, & perturbatio Reipublicæ, ac boni communis, quod est præferendum privato: Præterquam quod hoc reputaretur crimen læsæ Majestatis: quamvis possit carcerem effringere, & custodes decipere citra vim, & injuriam.

VIII. Queritur tertio, An possit reus aperire crimina occulta testium ad inveniendam illorum testificatio-

nem, verbi gratia perjurium, excommunicationem, infamiam, &c.?

Respondeo, posse tam a reo, quam ab advocato propalari, cum modè tamen inculpatæ tutelæ, & quatenus ad sui defensionem est necesse, ut communiter docent; quamvis citra mortale non possint iidem falsa crimina iis appingere: Contraria enim opinio damnata est in thesi 44. ab Innoc. XI., quæ habet: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alteri, ut suam iustitiam, & honorem defendat.*

## ARTICULUS VII.

### De Advocato, ac Procuratore.

- I. *Ad restitutionem tenetur Advocatus, (sicut & Procurator) si ex sua negligentia, aut imperitia causa amittatur. Sicut etiam si causam manifeste injustam defendat; aut si partem inducat ad transactionem in causa injusta; Necnon si secreta cause alteri parti prodant.*
- II. *Potest Advocatus causam minus probabilem, immo & dubiam patrocinari; non tamen causam, quæ parum habet probabilitatis, in quam fere nunquam iudices inclinant.*
- III. *Veritum est Advocatis pacisci de quota litis. Id tamen ex natura rei licitum videtur pro foro interno, modo absit periculum fraudis, & iniustitiæ.*

I. Queritur primo, An Advocatus (sicut etiam Procurator) teneatur ad restitutionem, si ex sua imperitia, aut negligentia causam amittat?

Respondeo affirmative; tenetur enim ex officio esse saltem mediocri scientia instructus, & cognoscere sufficienter merita, & iustitiam causarum,



& diligentiam adhibere, quæ iudicio peritorum censetur sufficiens: Teneatur etiam ad restitutionem, si defendat causam manifeste injustam, cum sit injusta causa moralis damni alterius consulendo, & adjuvando: Debet autem restituere non solum parti contrariæ expensas, & litem, quam perdidit, in defectum sui principalis, sed etiam Clienti expensas, si bona fide procedentem non monuit de injustitia causæ. Immo tenetur etiam ad restitutionem, si defendat articulum iustum causæ injustæ; necnon si adversarium sic vexet, aut differat; nam sic censetur causam injustam defendere. Si tamen causam iustam defendat, potest adversarium citra injuriam decipere, & cavillationibus uti, modo nulla falsitate utatur. Nec tenetur ad restitutionem, (quamvis peccaverit) si causam evidenter iustam falsis scripturis, aut testibus defenderit. Contra vero ad restitutionem tenetur, si partem inducat ad transactionem, seu compositionem, quando cognoscit causam esse omnino injustam; sicut etiam si secreta causæ alteri parti prodatur; esset enim prævaricator, seu adjuvans diversam partem, prodita causa sua, ut notat Trull.

II. Quæritur secundo, An possit Advocatus causam dubiam tueri?

Respondeo cum Pal. licere Advocato causam probabilem patrocinari relicta probabiliori; quia Advocatus non est iudex, qui debeat sententiam ferre pro merito causæ, sed solum debet merita Clientis allegare; sæpe autem accidit, quod verius sit id, quod sibi minus probabile videtur, atque adeo licite potest causam minus probabilem defendere. Immo potest ex Lorca, Maldero, Merolla apud Dianam part. 4. tract. 3. resol. 47. contra Salas, patrocinari etiam causam dubiam. Verum si altera pars parum habeat probabilitatis, & in quam ra-

ro, aut nunquam iudices inclinant; puto cum Salon., quod peccet Advocatus non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam defendendo talem causam; quia quod habet parum probabilitatis, non est simpliciter probabile, ut constat ex definitione Probabilis, Quod magnum pondus ingerere debet intellectui ad extorquendum assensum; Sicuti levis gravitas simpliciter non est gravitas, sed gravitas cum addito distrahente. Quamvis autem non possit Advocatus tueri causam tenuis probabilitatis, seu quæ non sit absolute probabilis, poterit tamen defendere causam dubiam, de cuius scilicet felici exitu prouidenter dubitatur, ut plures docent apud Dianam part. 4. tract. 3. resol. 47., quia ad Advocatum non spectat rem definire, sed solum merita causæ sincere exponere, ut postea Iudex illa expendendo iustam sententiam ferat.

III. Quæritur ultimo, An possit Advocatus de quota litis pacisci, videlicet de tertia, vel quarta parte, si vincat, quod dicitur palmarium pro victoria?

Respondeo, lege humana id prohiberi, ne scilicet per fas, aut nefas victoriam consequi nitatur; non est tamen improbabile ex Trull., quod ex natura rei in foro conscientie id liceat, si absit periculum alicujus actionis injustæ, ut Advocatus ardentiori studio ad causam incumbat, & Principalis se liberet a molestia sæpius illum adeundi. Ita etiam Navar., & Valent., apud Dianam part. 1. tract. 2. Miscel. resol. 49., ubi docent, communem contrariam opinionem loqui de foro externo, non de interno, ubi Deus veritatem perscrutatur, cui cedunt præsumptiones, super quibus fundantur leges id prohibentes. Debet tamen manifeste deesse præsumptio fraudis, & injustitiæ, ut solum pro



pro foro externo leges istæ sint obli- de Præceptis Decalogi ( Sed oh ubi  
gatoræ . Sit tandem hujus Opusculi Æternitatis)

F I N I S .

A . M . D . G . ;

ac Deiparæ sine labe Conceptæ ;

S Y.

linant;  
et Ad-  
tatem,  
tenden-  
habet  
simpli-  
defini-  
in pon-  
ad ex-  
vis gra-  
s, sed  
mente .  
ocatus  
is, seu  
, pot-  
n du-  
tu pru-  
locent  
refol-  
pectat  
caufe  
dex il-  
um fe-  
it Ad-  
videli-  
i vin-  
ro vi-  
prohi-  
fas vi-  
est ta-  
od ex  
id li-  
actio-  
riori  
Prin-  
us il-  
, &  
ct. 2.  
com-  
loqui  
rno ,  
, cui  
ibus  
De-  
sum-  
olum  
ro



# SYNOPSES OMNES,

Quæ in singulis Articulis Tractatus hujusce de  
Præceptis Decalogi habentur hic colliguntur.

QUESTIO I. Pag. 3

De Prolegomenis ad Præcepta  
Decalogi.

ARTIC. I. ibid.

De Numero, Ordine, & Dispensabi-  
litate Præceptorum Decalogi.

I. Præcepta Decalogi sunt Legum Sum-  
ma, & Eptome. Tria prima, quæ  
respiciunt Dei cultum, dicuntur Prime  
tabule; reliqua, quæ ad homines refe-  
runtur, Secunda tabule appellantur.  
II. His decem præceptis corde, ore, &  
opere ad Deum, & ad homines ordi-  
namur. III. Cur non plura enumeren-  
tur, aut pauciora? IV. Quare dupli-  
ci præcepto vetatur Adulterium, ac de-  
siderare Uxores alienas, & non veta-  
tur pariter duplici præcepto Homicidium,  
ac desiderare mortem alterius? V. Num  
possit Deus in præceptis Decalogi dispen-  
sare? VI. Qua ratione dicatur aliquan-  
do Deus in his præceptis dispensasse?

ARTIC. II. 5

Quanam via Præceptorum transgressio  
possit de mortali in veniale  
transire, & e contra?

I. Transgressio præceptorum Decalogi  
secundum se, & ex genere suo est mor-  
talis. II. Quid importet peccatum esse  
ex genere suo mortale, & esse ex gene-  
re suo veniale? III. Plures regula re-  
censentur ad discernendum, num pecca-

tum ex genere suo sit mortale, an venia-  
le? IV. Quomodo possit peccatum de se  
mortale per accidens in veniale transire?  
V. Undenam conjicere poteris, quod cum  
imperfecta solum deliberatione, aut con-  
sensu peccatum commiseris? VI. Num pec-  
cet mortaliter, qui plene advertit ad ma-  
litiæ objecti, præscindit tamen num ea  
sit gravis, an levis? VII. Non quodvis  
peccatum ex genere suo mortale potest  
ratione parvitas materia transire per  
accidens in veniale. VIII. Undenam men-  
suranda sit hac in re materia parvitas,  
aut magnitudo? IX. Materia, quæ tam  
secundum se, quam relate ad finem a  
Legislatore intentum est levis, non est  
capax præcepti graviter obligantis. X.  
Quid si dubitetur, an res præcepta levis  
graviter conducat ad finem? XI. Quom-  
plicitur possit peccatum de se, & ex genere  
suo veniale per accidens in mortale transi-  
re? XII. Quandoque contemptus rei le-  
vis præceptæ est mortalis? Et quando  
frequentia venialium est mortalis, ut patet  
ad mortale disponens? XIII. Potest ot-  
niale in mortale transire etiam ratione  
conscientiæ erroneæ, aut perplexæ; Nec-  
non ratione scandali; aut per additi-  
onem materia, quæ in unam gravem con-  
lescat.

ARTIC. III. 11

Quinam ad præcepta teneantur?

I. Non est idem lege non obligari, & a  
lege excusari. II. Pueri nulla lege obli-  
gantur ante rationis usum. Postea ve-  
ro legibus etiam Ecclesiasticis tenentur,  
præterquam Jejunii, & Communionis,  
quam-



quamvis ante pubertatem pœnas Ecclesiasticas non incurrant. III. Num possunt pueri Divinis assistere in loco interdito, aut introduci in Monasteria Monialium? IV. Quid si dubitetur, an usum rationis adepti sint? V. Quibus legibus teneantur Infideles, Amentes, Ebrui? Num amentes aequiparentur infantibus? VI. Nec amentes, nec ebrui cogendi sunt ad Missam audiendam die festo: Possunt autem probabiliter amentibus & infidelibus die festo injungi opera servilia. VII. Quibus legibus teneantur Peregrini, & Vagi? Num licitum sit recedere a loco, ubi est dies festus, ad exercenda opera servilia? Num debeat tunc mane audiri Sacrum? Num liceat egrediendi a loco, ubi jejunatur, mane sumere jentaculum? VIII. Probabiliter Peregrini non tenentur, secluso scandalo, legibus loci, ubi brevi morantur; (nisi eadem sint leges in proprio domicilio) tenentur tamen iis Vagi. IX. Leges autem juris communis servare tenentur peregrini, quamvis in Patria essent abrogata.

ARTICULUS IV. 15

De Intentione requisita ad observantiam præceptorum.

I. Ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio ponendi opus injunctum. II. Præcepto jejunii non satisfacit, qui invitus abstinet cibo. III. Satisfacit tamen præcepto restitutionis, qui pravo sine restituit; Et qui invitus restituit, licet præceptum non impleat, non tenetur tamen iterum restituere. IV. Non requiritur ad satisfaciendum præcepto intentio satisfaciendi per opus, quod ponitur; Non enim imponitur obedientia formalis, sed materialis. V. Num satisfaciat debito justitia, qui immemor debiti elemosynam largitur? VI. Num præcepto, aut voto satisfaciat ponens opus præceptum, sed positive nolens per illud satisfacere?

VII. Qui volens satisfacere per opus præceptum, quod ponit, mutata voluntate, nolit aliud opus ponere, requiritur ne, quod velit per illud opus satisfecisse; an satis est, quod sciat se satisfecisse? VIII. Qui audit Sacrum præceptum nolens per illud satisfacere, nec volens aliud audire, non transgreditur præceptum Ecclesiasticum, sed naturale.

ARTICULUS V. 20

De Impedimentis non apponendis observantiæ Præceptorum.

I. Diversimode quoad hoc in diversis præceptis ratiocinandum; inspiciendo num præceptum rigidius obliget? Num impedimentum sit proximum? Num necessitas sit gravior? II. Quenam defatigatio incompossibilis cum jejuniis liceat ipso die jejunii, aut pridie illius diei? III. Num tempore Interdicti privilegiarius teneatur sacrum audire? Et deentus in carcere num teneatur uti licentia egrediendi ad sacrum audiendum? IV. Quando nam possit quis iter arripere prævidens, quod non possit deinde die festo sacrum audire? V. Tenetur excommunicatus tollere impedimentum excommunicationis, ne possit in Paschate communicare; non tamen ut possit die festo sacrum audire. VI. Præceptum non solum obligat ad non apponenda impedimenta, sed etiam ad ea etiam pridie removenda.

ARTIC. VI. 22

De Ignorantia, Metu, & Dispensatione excusantibus a Præceptorum transgressione, ac de Impotentia excusante.

I. Ignorantia præcepti, seu inadvertentia, si non sit graviter culpabilis, excusatur a gravi culpa legis transgressorem. II. Ignorantia vincibilis dividitur in affectatam, crassam, seu supinam, &



levem. Præter ignorantiam vincibilem, seu consequentem, & invincibilem, seu antecedentem, datur ignorantia comitans, sive ea sit juris, sive facti, sive solius pœna. III. Ignorantia solius pœna excusat ab illa incurrenda, si hac sit extraordinaria. Ab ea tamen non excusat ignorantia crassa, supina, & affectata. IV. Eiusdem speciei est peccatum commissum ex ignorantia culpabili legis, ac scienter commissum. V. Ignorantia, quæ est graviter culpabilis respectu juris Divini, & Naturalis, aliquando non est graviter culpabilis respectu juris humani, quod non obligat adeo stricte. VI. Ignorantia etiam crassa pœna non petendi debitum excusat ab ea incurrenda, utpote imposta contra scienter operantes. VII. Meius gravis non excusat a culpa, quando prohibetur res intrinsece mala, aut præcipitur res ex se connexa cum vita periculo; secus vero si connectatur per accidens. VIII. Excommunicatus vitandus potest ad mortem declinandam celebrare; non tamen confessiones auare, & absolvere. IX. Num liceat ob metum gravem simulare Matrimonium, illudque consummare? X. Num Carthusiani teneantur vesci carnibus in extrema necessitate? XI. Qui non potest totum præceptum implere, tenetur ad partem, quam potest, si ea sit notabilis, & dividua, & censeatur a Legislatore intentia. XII. Quandonam dispensatio obienta excuset a præcepti transgressione? XIII. Num possit Episcopus in lege Pontificia dispensare in casu occurrenti, sive quia necessitas urget, sive quia dubitatur, an res indigeat dispensatione?

## De Primo Decalogi Præcepto.

Unum cole Deum.

## ARTICULUS I. ibid.

## De Virtute Religionis.

I. Religio est virtus inter Morales præstantissima, quæ habet pro formali objecto cultum Divina excellentia præstantum. II. In quo differant virtutes Theologales a Moralibus? III. Quinam sint actus a virtute Religionis eliciti, & quinam imperati? IV. Primum Decalogi præceptum obligat ad actus Religionis externos, inquam conjunctos cum internis. V. Ad quos actus externos Religionis obligat lex positiva, & lex naturalis? VI. Quandonam exercendi sunt actus Religionis?

## ARTICULUS II. 31

## De Virtute Theologica Fidei.

I. Per fidem, quæ virtus Theologica est, quid præcipiatur? II. Tria sunt præcepta fidei affirmativa, & duo negativa. III. Ad fidei confessionem quandonam teneamur? IV. Ad quid obliget præceptum negativum non negandi fidem exterius? V. Quando dubius in fide est infidelis? VI. Quinam dicantur Pagani? Quinam Judæi? Quinam Hæretici, Schismatici, & Apostata? VII. Quanam sit pertinacia ad hæresim requisita? VIII. Ad hæresim externam requiritur, ut signum externum de se sit significativum hæresis internæ, & ad incurrendas censuras debet esse actus exterior de se gravis. IX. Quanam communicatio cum Judæis, & Saracenis prohibeatur? X. Quid teneamur prestare erga Paganos? XI. Num liceat Catholicis de rebus fidei disputare?

AR.



ARTICULUS III. 35

De Spe, & Charitate.

*i.* Contra spem Theologalem peccat tam qui præsumat propriis viribus beatitudinem supernaturalem obtinere, quam qui ex sola Dei misericordia sine propriis operationibus illam expectat. *ii.* Duplex datur præceptum Spei, alterum Negativum non desperandi, nec præsumendi; alterum positivum idem sperandi. *iii.* Qui post peccatum omittit actus fidei, ac Spei debitos, directe peccat contra virtutem Penitentia, qua prævious illos actus requirit. *iv.* Charitas debet super omnia Deum amare appreciative, non intensive. *v.* Duplex pariter est præceptum Charitatis; videlicet negativum non odio habendi, aut contemendi Deum, & Affirmativum amandi illum idemdem; Sed quamam frequentia? *vi.* Non datur materia parvas in odio Dei; sicut nec in Infidelitate.

ARTIC. IV. 37

De Oratione, qua Deum colimus.

*i.* Quanam a Deo in oratione petenda, in Oratione dominica discretissime recensentur. *ii.* Oratio definitur, Petiitio decentium a Deo. Ea nobis præcipitur tum præcepto naturali, tum etiam positivo Divino, & Ecclesiastico. *iii.* Triplex est Orationis effectus, mereri, satisfacere, & impetrare. *iv.* Etiam peccatoris oratio est impetratoria ex divina promissione, dummodo ille non petat, in quantum peccator est, videlicet aut mala, aut ad malum finem. *v.* Quid requiritur, ut Oratio impetret infallibiliter? *vi.* Oratio vocalis natura humana conformior est, quam mentalis, multis de causis.

Pars II.

QUÆSTIO III. 39

De Horis Canonicis.

ARTICULUS I. ibi.

Quinam ad horas Canonicas obligentur?

*i.* Ad horas tenentur Clerici in Sacris constituti, Beneficarii, & Regulares Professi ad Chorum deputati. *ii.* Plura requiruntur, ut Beneficiarius ad horas teneatur. *iii.* Non tenetur ad horas Beneficiarius iis annis, quibus ob sterilitatem non recipit fructus a Beneficio. *iv.* Quid si Beneficium sit tenue? Et quodnam dicatur tenue? *v.* In dubio de tenuitate Beneficii, num deobligetur Beneficiarius totaliter, an partialiter? An vero absolute obligetur? *vi.* Prælatus regularis sub mortali tenetur efficere, ne Chorus desit. Quid tamen si non nisi quatuor, aut quinque Monachi sint in Monasterio? *vii.* Professi, & Moniales tenentur privatim officium recitare, si absint a Choro. Num sit probabilis sententia opposita? *viii.* Probabiliter satisfacit obligationi horarum, qui illas recitavit mane, antequam ordinaretur in Sacris. *ix.* Excommunicatus quamvis fructus Beneficii non percipiat, adhuc ad horas obligatur. Quid de Degradato? *x.* Probabiliter excusantur ab horarum recitatione damnati ad irremes. Quid de inclusis in carcere terro? Quid de Uxoratis ex dispensatione Pontificis? Quid de maximo merore affectis?

ARTIC. II. 43

Quodnam officium recitandum sit?

*i.* Quinam possint horas recitare, & non ex Romano Breviario? *ii.* Num recitandum sit privatim officium B. Virginis, & defunctorum, quando in Rubrica

D d ca



ca praescribitur; praesertim die Commemorationis defunctorum? III. Num liceat Horas recitare idiomate Graeco, aut Hebraeo, vel vulgari? IV. Peccat graviter, qui semel unum officium pro alio notabiliter diverso, necnon qui sapius unum officium pro alio recitat. V. Rubricae servandae aliae sunt Praeceptiva, quae obligant sub mortali; aliae Directiva, quae non obligant sub mortali. VI. Si per errorem officium pro officio recitatum sit, corrigatur error, ubi deprehenditur. VII. Qui missam celebrat de Sancto, cuius festum in aliqua Ecclesia celebratur, potest probabiliter officium de eodem Sancto recitare. VIII. Quilibet potest sequi ritum socii, cum quo Horas recitat.

## ARTIC. III. 46

Sub qua Culpa, & Poena officium sit recitandum?

I. Etiam qui semel officium omittit, peccat graviter. II. Num septem peccata committat, qui septem officii horas omittit, an vero unum dumtaxat? III. Quanam dicatur pars Officii notabilis, cuius omissio sit lethalis? IV. Qui omittit Horas, ad quas obligatur ratione Ordinis Sacri, & ratione Beneficii, probabiliter unum peccatum contra Religionem committit, cum onere restituendi fructus. V. Si dubites an partem officii omiseris, ad quid teneris? VI. Surdus, qui cum socio recitat, tenetur recitare, quae ipse non audit. VII. Potest alter ex sociis omnes Lectiones, Capitula, & Orationes recitare. VIII. Quandonam Beneficiarius omittens horas ad restitutionem fructuum tenetur?

## ARTIC. IV. 49

Quo pacto recitandae sunt horae Canonicae?

I. In virtute Sanctae Obedientiae praeci-

tur, ut studiose, & devote, atque adaequum attentione, & intentione debita Officium recitetur. II. Pronunciatio debet esse de se audibilis, saltem ab ipso loquente. III. Debent posse audiri, quae socius pronunciat; non sunt tamen supplenda, quae per accidens non audiuntur; Secus si per se. IV. Quanam verborum mutilatio dicatur notabilis? V. Interruptio horarum, aut Psalmorum non pertinere possit ad culpam gravem? VI. Quanam attentio, & quanam intentio requiratur in officii recitatione? Num satisfaciat, qui solam habet attentionem externam? VII. Qui voluntarie distractus caret attentione debita, si sit Beneficiarius, licet graviter peccet, probabiliter tamen non tenetur fructus restituere. VIII. Num similis attentio, & intentio requiratur in auditione Missae praecipuae? IX. Probabiliter in virtute Obedientiae praecipitur solum actus studiosus externus.

## ARTICULUS V. 53

De Tempore, Loco, & Situ recitationis Horarum.

I. Quodnam sit tempus, quo singula hora recitari debent? II. Num possit officium defunctorum recitari pridie Commemorationis Defunctorum? Et num etiam Litaniae, quando debent recitari? III. Peccat mortaliter, qui incipit recitare officium hodiernum paulo ante mediam noctem sequentem cum animo prosequendi illud post mediam noctem. IV. Qui mane recitavit totum officium circa ullam obligationem, si deinde meridie ordinetur, non tenetur repetere horas vespertinas. V. Deputati ad Chorum tenentur illud in Ecclesia recitare publice; alii vero possunt ubilibet privatim recitare; non tamen in locis, quae attentionem debitam impediunt, aut in locis immundis. VI. Non vacat veniali culpa recitare Horas aut decumbendo



## QUÆSTIO IV. 58

De Dei Cultu per Adorationem.

## ARTICULUS I. 59

De Adoratione Christi Domini, &amp; Eucharistiæ.

do, aut cum sit parum decenti. VII. Num sit veniale recitare stando, aut sedendo, qua flexis genibus recitanda sum?

## ARTIC. VI. 55

De Causis excusantibus ab Horarum recitatione.

I. Excusare solent ab Horarum recitatione Infirmetas, Gravis occupatio, Impotentia, & Dispensatio. II. Infirmetas ut excuset, debet esse gravis, itant recitatio valde noceat valetudini. III. In dubio an infirmitas sit huiusmodi, standum est iudicio Medici, aut Periti; sed quid si Medicus ipse dubitet? IV. Quanam a Doctoribus censeatur esse infirmitas gravis? Num aliquando excusetur ratione aegritudinis ab officio, qui potest missam celebrare? V. Qui excusatur a recitatione Horarum ob visum debilitatem, num peccet legendo diu Historias, & omitiendo officium? VI. Quanam dicatur occupatio gravis, qua excuset? Num aliquando Concionatores, & Confessarii excusentur? VII. Qui prouidet se vespere impediendum, num teneatur mane Vesperas recitare? VIII. Num excusentur ob moralem impotentiam, qui in irremediabilibus, aut in carcere detinentur? Num gravi morore perturbati, ac scrupulosi? IX. Num teneatur cæcus, aut carens Breviario recitare Psalmos Matutini, aut Horarum, quos solum scit memoriter. X. Qui nequit sine socio officium recitare, num teneatur illum procurare, ac etiam conducere? XI. Licite utitur dispensatione, qui a suo Episcopo, aut a suo Pralato regulari dispensatur ex causa rationabili, non tamen si dispensetur in perpetuum. XII. Beneficiatus non teneatur fructus restituere, si Horas ob impotentiam omitat; secus vero si eas omitat ex dispensatione Episcopi.

I. Adoratione Latriæ Christus Dominus adorandus; ita tamen, ut primario, & per se natura Divina adoretur, secundario vero, & concomitanter natura humana. II. Etiam Christi corpus in sepulchro adorandum erat adoratione Latriæ. III. Christus Dominus non orat pro nobis, sed misereatur nostri; orat tamen ejus Humanitas secundum voluntatem creatam. IV. Quamvis Humanitas Christi Domini secundum se per intellectum separata a Verbo adorari possit adoratione Hyperdulia; in praxi semper Christus Dominus adorari debet adoratione Latriæ. V. Crux adoratur adoratione Latriæ, non tamen adoratione absoluta, sed respectiva. Beata Virgo in praxi non adoratur adoratione Latriæ respectiva, quamvis etiam Christum tetigerit, ne videatur illi tribui adoratio debita Deo. VI. Cur qualibet crux adoretur adoratione Latriæ, & non qualibet spina, lancea, clavus, &c., sed solum illa, qua Christum Dominum tetigerunt? VII. Eucharistia Sacramentum adoratur unica adoratione Latriæ, inquit primario Christus Dominus in eo contentus adoretur, & concomitanter species Sacramentales. VIII. Non vacat culpa adorare Hostiam consecratam conditionate, videlicet si sit consecrata; cum sit imprudens talis conditio. IX. Si appareat in Eucharistia infans, non videtur adorandus adoratione Latriæ; sed hac adoratione adoranda tunc est hostia consecrata.



## ARTICULUS II. 62

## De Adoratione Sanctorum, &amp; Beatorum.

1. Vocantur Sancti, etiam qui sunt in vita, si sanctam vitam vivant. II. Debetur Sanctis Imaginibus, & Reliquiis Sanctorum, ac Sanctis Angelis cultus religiosus, & Sacer, & adorari possunt adoratione dulcia. III. Sancti canonizati adorari possunt etiam cultu publico, hoc est ab Ecclesia instituto; alii vero cultu privato etiam coram aliis. IV. Etiam cultu publico adorari possunt qui ab Ecclesia habebantur ut Sancti, antequam a Leone III. institueretur Canonizatio. V. Juxta Ecclesie institutionem septem enumerantur cultus, quibus Sancti adorari possunt. VI. Quinam cultus Beatis exhiberi potest? Et quinam defunctis cum fama Sanctitatis? VII. Quid permittatur, & quid vetetur a Sede Apostolica erga defunctos cum fama Sanctitatis exhibere?

## ARTIC. III. 64

## De Adoratione Sacrarum Reliquiarum.

1. Quenam dicantur Reliquia Sanctorum? Vermes, in quos eorum carnes conversa sunt, non dicuntur Sacra Reliquia, licet materiam Sanctorum contineant. II. Reliquia adoranda sunt eadem adoratione, qua adorantur Persona, cujus sunt reliquia. III. Cur possit adorari adoratione laetitia Crux, qua tetigit Christum Dominum, & non pariter Asellus, qui etiam tetigit Christum Dominum? IV. Adorari possunt Sanctorum reliquia cultu privato, si de iis moralis certitudo, aut etiam probabilis conjectura habeatur. Ut adorentur tamen cultu publico, requiratur approbatio Pontificis, aut Episcopi. Sed quid si sint dubia? V. Quid si ali-

cujus Sancti corpus duobus in locis cum Episcoporum approbatione colatur? VI. Agni cerei adoratione laetitia adorandi sunt. Neque possunt minio, aut alio colore pingi; Neque cirra Simoniam vendi, nisi solum ratione materia. VII. Qui reliquias furatur, peccat peccato furti, & Sacrilegii, si grave damnum, & non levis injuria irrogetur.

## ARTIC. IV. 66

## De Adoratione Sacrarum Imaginum.

1. Imagines Sacrae, non secus ac Reliquia, adorantur adoratione respectiva per ordinem ad personam, quam representant. II. Sculptile, quod prohibetur a Deo, est Idololum. III. Deus, & Tres Personae representari, ac adorari non debent, nisi sub imaginibus ab Ecclesia deputatis. IV. Deus, & Angeli per quandam metaphoram sub corporis imaginibus adumbrantur. V. Sicut imagines, ita etiam Nomina Sacra honore, ac adoratione digna sunt. VI. Cur magis nonnulla eorundem Sanctorum imagines adorentur, quam alia. VII. Quomodo in VII. Synodo generali dicatur, minori adoratione colendam esse Christum imaginem, quam ipsum Christum? VIII. Magis Christus, quam ejus imago adoratur, non solum si imago adoretur secundum se, tanquam res sacra; sed etiam si adoretur adoratione respectiva, quatenus primario Christus, & concomitantur imago adoratur.

## QUÆSTIO V. 68

## De Superstitione.

## ARTICULUS I. 69

## De Superstitione universim, ac in specie Primo de Idololatria.

1. Superstitio est falsa Religio, qua vel crea-



creatura cultu divino, vel Deus cultu indebito adoratur. Utraque superstitio, sive ratione rei culta, sive ratione modi, quo Deus colitur, plures sub se species continet. II. Cultu indebito Deus adoratur, tam si colatur cultu falso, quam si cultu superfluo. III. Quando nam jejunare diebus Dominicis dicatur Dei cultus superstitiosus, aut superfluus, aut falsus? IV. Cultus superstitiosus falsus ex genere suo est mortale; Superfluus vero secundum se est peccatum veniale. V. Idololatria proprie dicta habetur, quando quis Creaturae tribuit honorem Deo debitum. VI. Censura Bulla Coena tunc incurritur ob Idololatriam, quando baptizatus internam simul, & externam Idololatriam committit cum errore intellectus, & pertinacia voluntatis. Ignorantia invincibilis, qua excusat ab heresi, nequit ab Idololatria excusare.

## ARTIC. II. 71

## De Divinatione.

I. Divinatio est praenunciatio rerum occultarum ope demonis facta. II. Divinatio habetur vel cum expressa, vel cum tacita demonis invocatione; Eaque haberi potest, etiam si quis protestetur se nolle demonem invocare. III. Ars inveniendi furtum occultum, vel quid simile per Astrologiam est superstitiosa. IV. Divinatio per expressam demonis invocationem est multiplex, videlicet Oraculum, Praestigium, Necromantia, &c.: sicut est multiplex per demonis invocationem tacitam, ut Astrologia, Augurium, Omen, Chiromantia, &c. V. Sortilegium divinatorium de se est mortale. Quid de Consultorio, aut Divisorio? VI. Non datur materia parvitas in Divinatione. Multipliciter tamen saepe a mortali excusatur Divinatio, videlicet ratione ignorantia, curiositatis, joci, &c. VII. Eiusdem speciei sunt omnes divi-

nationes, sive fiant cum tacita, sive cum expressa demonis invocatione: Sape tamen expressa invocatio annectitur aliis peccatis in Confessione explicandis. VIII. Quandonam liceat somnia, motus animalium, aut astra observare? IX. Physionomia quomodo liceat? Non licet tamen Aegyptios consulere, ut futurorum eventus predicant.

## ARTIC. III. 74

## De Vana Observatione.

I. In hoc differt Vana observatio a Divinatione, quod illa ordinetur ad aliquid obtinendum; hac vero ad aliquid cognoscendum. II. Sape Vana observantia habetur solum cum tacita demonis invocatione, quamvis fiat protestatio, quod demonis concursus in ea re recusetur. III. Ea dividitur in Artem notoriam, in Observationem sanitatum, & Observationem eventuum. In quo hac differat a Divinatione? IV. Plura recensentur, quae non raro ponuntur, & tamen sunt superstitiosa. V. Quonam pacto possit quis aliquando in his vanis observationibus a mortali excusari? VI. Quonam observationes non sunt vanae, nec superstitiosae, sed licitae? VII. Quid de unguento armario? VIII. Unde dignosci possit, quod aliqua observatio non sit superstitiosa? IX. Quid si dubitetur num effectus aliquis sit superstitiosus, an naturalis? Aut si dubitetur num effectus praeternaturalis sit a Deo, an a demone?

## ARTIC. IV. 77

## De Magia.

I. Magia est ars operandi mira ope demonis. Differt Magia superstitiosa a naturali; quia hac operatur mira per causas naturales. II. In quo differat Magia a Vana observatione, a Maleficio,



ficio, & ab Incantatione? III. *Magia naturalis non est superstitiosa, sed Auctores, qui de illa pertractant, non raro plura superstitiosa permiscunt.* IV. *Naturalis a superstitiosa Magia discerni facile potest ex conditione Causarum, Operationis, & Effectus. Quonam pacto philtrea amatoria ad amorem, ac libidinem alliciant?* V. *Quonam arte demones familiares in annulis, aut phialis includantur?* VI. *Num vis fascinantia sit naturalis, an superstitiosa?*

## ARTICULUS V. 79

## De Maleficio.

I. *Maleficium est ars nocendi aliis ope demonis. Dividitur in Amatorium, & Veneficum; quod appellatur Veneficum.* II. *Remedia adversus maleficium alia sunt naturalia, alia Supernaturalia, alia Moralia.* III. *Num liceat a Maleficio petere, ut Maleficium dissolvat, si non constet, quod sine novo maleficio possit illud dissolvere?* IV. *Quid si constet posse illum quidem sine novo maleficio maleficium dissolvere, sed non esse illud dissoluturum sine novo maleficio?* V. *Licuum est dissolvere maleficium ponendo signa contraria, quibus positus expiret pactum cum demone.* VI. *Idque verum est, etiamsi per accidens inde sequatur alteri damnum; dummodo illud non sequatur ex actione demonis positiva. Sed quid si de hoc dubietur?* VII. *Quomodo gerere se debeat Confessarius cum Maleficis, Magis, & Incantatoribus?*

## QUÆSTIO VI. 83

De Irreligiositate, & in specie de Sacrilégio, Blasphemia, & Tentatione Dei.

## ARTIC. I. ibid.

## De Sacrilégio.

I. *Sacrilégium est rei Sacra læsio. Triplex autem est, Personale, Locale, & Reale: Specialiter autem in Confessione aperienda sunt Sacrilégii species.* II. *Probabiliter tres ista Sacrilégii species sunt atomæ, non subalterna; itaui de consilio, non de præcepto explicandus sit in confessione modus Sacrilégii, tanquam circumstantia aggravans.* III. *Quonam Persona dicatur Sacra, itaui eam lædens Sacrilégium committat?* IV. *Per læsionem Personæ Sacra quadruplè committitur Sacrilégium; iniuriando manus violentas, perducendo ad tribunal sæculare, subiciendo oneribus velligalium, & per actiones venereas.* V. *Novitius non habens votum castitatis non est sacrilégus, si carnaliter peccet. Quid de habente hoc votum, si alios inducat ad peccandum carnaliter? Quid de Sacerdote Græco, si peccet contra castitatem?* VI. *Communius docent contra nonnullos, fractionem cuiuscumque voti esse sacrilégam.* VII. *Quare non sint sacriléga omnia peccata Personæ Sacre, sed solum peccatum contra castitatem?* VIII. *Quare percussio Clerici habentis primam Tonsuram, & Novitii sit sacriléga, & non sit sacrilégum peccatum istorum contra castitatem?* IX. *Quonam dicatur locus sacer, cuius violatio sit Sacrilégium?* X. *Latus patet locus sacer relate ad effectum gaudendi immunitate, quam relate ad effectum constituendi furtum, verbi gratia, sacrilégum.* XI. *Locus sacer violatur per illas dumtaxat actiones, quæ in locis Sacris immunitati Religionis prohibentur, puta per effusionem sanguinis, vel seminis, si delicta sint publica, per*



extractionem violentam e loco Sacro, per mercatus, convivia, farta, &c. XII. Est sacrilegium furium sacri de sacro, Sacri de non Sacro, & non sacri de Sacro, si res non sacra sit in Ecclesia custodia causa, aut illi commodata. XIII. Num sit Sacrilegium furari aliquid e Sacristia? Non est sacrilegium furari aliquid e Claustris Religiosorum, aut ex Oratoriiis privatis. Quid de furto in Oratoriiis Xenodochiorum, & Eremitiorum? XIV. Nomine rei Sacra veniunt Sacramenta, ornamenta Ecclesia benedicta, bona Ecclesia, & similia. Non tamen Tempus, & locus; unde de se non est Sacrilegium peccare die festo, aut in Ecclesia. XV. Est Sacrilegium concupiscere copulam habendam in Ecclesia; sed non est Sacrilegium in Ecclesia concupiscere copulam habendam extra Ecclesiam. Actus turpes si in Ecclesia committantur, explicandum est in Confessione. XVI. Multipliciter Sacrilegium reale committi potest; praesertim si quis abutatur aut rebus, aut verbis sacris, si irreverenter officium recitetur, si imagines Sacrae, vel Reliquia male habeantur, &c.

## ARTICULUS II.

### De Blasphemia.

I. Blasphemia proprie solis verbis, non vero factis contumeliosis exhibetur contra Deum, aut Sanctos, sive mente, sive ore, sive scripto. II. Non datur materiae parvitas in blasphemia, etiamsi joci gratia proferatur. III. Ex consuetudine sine plena advertentia blasphemare non vacat culpa lethali. IV. Blasphemia hereticalis continet haesim, seu quod articulo fidei directe opponitur; secus vero Blasphemia simplex. Hereticalis aut tollit a Deo quod habet, aut per contumeliam tribuit Deo, quod non habet. V. Simplex Blasphemia est quadruplicis generis, Enunciativa, De-

testativa, Irrisoria, & Juratoria. VI. Probabiliter non differunt specie Blasphemia in Deum, & Blasphemia in Beatam Virginem, & in Sanctos; nisi proferrantur in Sanctos ob propriam eorum excellentiam. VII. Qui maledicit creaturis, inquantum Creatura Dei sunt, profecto blasphemat; sicut qui rebus sacris maledicit: Quid si quis creaturis irrationabilibus maledicat? Et quid si tempori, pluvia, ventis? VIII. Discutiuntur plures formulae, quae frequenter usurpantur, num sint Blasphemiae. IX. Quid de formula illa conditionata, Deum abnego, si res non ita se habet? Quid de illa, Per vitam Dei? aut de illa alia, Corpo di Dio con voi? X. In dubio, an formula aliqua sit blasphemata, non est talis censenda. XI. Blasphemi denunciandi sunt (si Blasphemia sit hereticalis) intra sex dies a notitia, sub poena Excommunicationis lata sententia.

## ARTIC. III. 91

### De Tentatione Dei.

I. Tentatio secundum se alia est Probationis, alia Inductionis. Ad primum genus spectat tentatio Dei, quippe quae est Probatio alicujus divini Atributi modis indebitis. II. Expressa Dei tentatio habetur, si directe intenditur experimentum de aliqua Dei perfectione. Tacita vero habetur, quando sine tali expressa intentione aliquid ad id ordinatur. III. Tentatio Dei ex genere suo est peccatum lethale; cum gravem irreverentiam erga Deum importet. IV. In lege veteri praecipiebantur a Deo nonnulla purgationes, itant miraculis innocentia alicujus detegeretur; At in nova lege prohibentur. V. Tentat Deum, qui miraculum ab eo petit citra necessitatem, aut Dei impulsu; Sicut etiam qui ex curiositate vult experiri opus aliquod supernaturale. VI. Poterit aliquando Tentatio



tio Dei a mortali excusari, si aut desit plena deliberatio, aut deur materia parvitas.

QUÆSTIO VII. 94

De Secundo Decalogi Præcepto

Non assumendi in vanum Dei Nomen.

ARTIC. I. 94

Quid, & Quotuplex sit Juramentum?

I. Juramentum est Divini testimonii invocatio ad fidem faciendam; seu invocatio Dei in testem. Invocatur autem Deus in testem vel explicite, vel implicite; ut quando juratur per Creaturas, quatenus in iis Deus relucet. II. Juramentum fieri potest verbo, nuntio, facto, scriptura, & mentaliter. III. Jurans per falsos Deos vere non jurat. IV. Num sint juratoria hæc verba, Per fidem meam, Per conscientiam meam, Per fidem boni Christiani, Sacerdotis, &c. V. In dubio num formula sit juratoria, quid in foro externo judicandum, & quid in interno? VI. Jurans per suam barbam, vestem, aut alias res viles, in quibus divinitas specialiter non relucet, vere non jurat. VII. Quid si quis usurpet formulas juratorias, nesciat tamen, quid sit juramentum, ut pueri, rudes, & muliercula? Quomodo Confessarii cum istis se gerere debent? VIII. Hæc verba, Coram Deo loquor, Deus vider meam conscientiam, enunciative prolata non sunt juramentum; secus vero prolata invocative. IX. Rustici passim dicentes, Per Deum, Per Corpus Christi, raro jurant, sed vel blasphemant, si adversus Deum indignentur, vel peccant contra charitatem, si adversus homines indignentur. X. Jurans, Per hanc Crucem, nullam signando Crucem, vere non jurat. XI. Jura-

mentum aliud Assertorium, aliud Promissorium, quod vel est Absolutum, vel Conditionatum, vel Penale. XII. Per Juramentum Invocatorium, seu Constitutum Deus invocatur ut testis; Per Execratorium, seu Imprecativum invocatur etiam ut Vindex: Omnia autem juramenta censentur esse ejusdem speciei. XIII. Juramentum Comminatorium (puta, Per Deum te occidam) vel reducitur ad Promissorium, vel ad Execratorium.

ARTIC. II. 97

De Conditionibus requisitis ad licite jurandum.

I. Tres sunt juramenti liciti comites, Veritas, Justitia, & Judicium; jurari enim nequit, nisi de re, qua satis probabiliter putatur vera; item de re honesta, & ex necessitate. Si quis juret se venialiter peccaturum, num peccet mortaliter? II. Gravius peccatum est jurare se mentiurum sine animo ponendi mendacium, quam jurare cum tali animo. III. Pejerat, qui rem dubiam asserit cum juramento. IV. Ad licite jurandum privatim satis est certitudo moralis de rei veritate; at ad jurandum in judicio requiritur notitia de visu, & presentia. V. Quamvis jurans se positurum rem levem graviter peccet, si tunc non habeat animum illam ponendi, non peccat tamen graviter, si deinde illam non ponat. VI. Mater, qua juramento comminatorio jurat se punituram filium, peccat graviter, si non punit, quando punitio est justa, & gravis. VII. Non dicitur esse universim juramentum falsum, sed temerarium, quando quis jurat se positurum rem illicitam, puta homicidium: Sicut etiam quando quis jurat se, verbi gratia, patrassse homicidium, ordinando hoc peccatum jactantia ad alios scandalizandos. VIII. Si Sortes pucec aliquid esse verum, quod tu scis esse



esse falsum, non poteris inducere illum ad jurandum hoc, quod materialiter est falsum.

ARTIC. III. 100

De Materia Juramenti.

I. Juramenti promissorii materia debet esse res licita, possibilis, honesta, & non indifferens, nec impeditiva majoris boni. II. Si jures in obsequium Dei ducturum Uxorem, ad id non teneris; Secus vero si id jures in gratiam faminae, quam vis ducere. III. Qui rem bonam, puta jejunium, jurat ob finem malum, ad illam non tenetur; Secus vero si illam jurat ob finem bonum, quamvis hic per peccatum assequendus sit. IV. Secunda sponsalia jurata, etiam dissolutis prioribus sponsalibus, non obligant. V. Promissio facta pro turpi facinore patrando, num eo patrato obliget? VI. Promissio prodiga num obliget ad totum? num ad partem, in qua non sit prodigalitas? Num simpliciter non obliget? VII. Juramentum non obligat ad ponendum, quod lege etiam civili vetatur; obligat tamen ad id, quod lege civili non prohibetur, sed permittitur in favorem jurantis. VIII. Juramentum de non acceptando Episcopatu, si fiat ex affectu humilitatis, validum est; secus vero si fiat ad declinandam curas Episcopales.

ARTIC. IV. 102

De Juramenti Obligatione.

I. Qui jurat sine animo jurandi, secundum se peccat graviter: sicut etiam qui jurat sine mentione se obligandi. II. Quandoam possit sine mendacio, & perjurio quis jurare, utendo equivocatione, aut restrictione non pure mentali, siue locutione materiali? III. Juramentum, sicut & votum, non obligat, si do-

Part II.

lus, aut error dans illi causam versetur circa substantiam rei, aut circa circumstantias notabiles, quae in ipsam rei substantiam redundant; secus vero si versetur circa circumstantias parvi ponderis. IV. Est pariter invalidum juramentum, & votum, si error dans causam contractui versetur circa causam finalem. (quod verum est, etiam si error sit concomitans,) non tamen si error incidat in contractum, & versetur circa causam impulsivam. V. Error tamen circa qualitates magni ponderis, & circa causam finalem non invalidat Professionem Religiosam; sicut nec matrimonium, aut susceptionem Ordinis Sacri, nisi exprimitur. VI. Qui juravit, vel vovit, & dubitat an habuerit animum se obligandi, probabiliter obligatur. Qui tamen juravit se non lusurum, praescindendo a lusu moderato, vel immoderato, poterit lusu moderato ludere. VII. Juramentum metu extortum obligat pro foro interno, non pro externo. Et nisi a Praelato ex justa causa relaxetur, poni debet, quantumvis arduum sit, quod juratum est, si circa culpam poni potest. VIII. Matrimonium, & votum extorta metu gravi injusto ideo sunt irrita, quia jure Ecclesiastico irritantur; Juramentum tamen hujusmodi ab Ecclesia non irritatur.

ARTICULUS V.

Quomodo quaedam celebriora Juramenta interpretanda sint.

I. Prima regula servanda, quod juramentum, quantum fieri potest, minus obliget servata verborum proprietate. Altera, quod cadens supra promissionem, hujus naturam sequatur. II. Juramentum de non ludendo secundum se intelligitur de ludo illicito. III. Qui jurat se solviturum debita infra mensem, prorogato tempore de consensu creditoris, non tenetur amplius vi juramenti. IV. Juramentum

E c tum



rum Medicorum de non visitandis post  
terium diem infirmis, nisi confessionem  
promiserint, quomodo intelligendum est?  
v. Si quis jurat se ducturum Bertam  
divitem, & sanam, non tenetur eam du-  
cere, si incidat in gravem aegritudinem,  
& paupertatem. vi. Qui promittit ali-  
quid Titio cum juramento, non tenetur,  
si ille fiat ingratus, aut frangat fidem  
datam. vii. Si quis juratus promittat  
aliquid absenti, potest promissionem revo-  
care, antequam accipietur. Pariformi-  
ter discurrendum de pluribus aliis jura-  
mentis, quae passim fiunt.

## ARTIC. VI. 108

Quomodo tollatur juramenti  
obligatio?

I. Juramenti obligatio impeditur aut  
per legem irritantem contractum, aut  
per legem prohibentem contractus jurati  
executionem. II. Tollitur vero juramen-  
ti obligatio aut per cessationem cause prin-  
cipalis, aut per mutationem materiae,  
aut per irritationem, aut per commuta-  
tionem, aut per relaxationem. Et eadem  
est ratio de Voto. III. Cessat juramen-  
ti, & voti obligatio, si superveniat nota-  
bilis mutatio, qua praevisa non jurasses,  
aut vovisses. Sed quid si dubietur,  
an sit hujusmodi mutatio, quae super-  
venit? IV. Quanam possint, & quomo-  
do juramenta, ac vota irritare. IV. Quid  
interfit inter irritationem, & dispensa-  
tionem voti, ac relaxationem juramen-  
ti? VI. Quanam vota, aut juramenta  
filiorum possit Pater irritare? Num et-  
iam id possit mater? Quanam servorum  
juramenta possit Dominus irritare?  
VII. Quanam possit Uxor juramenta  
Mariti irritare, aut Uxor Mariti?  
VIII. Superiores Regulares quanam vo-  
ta, & juramenta subditorum irritare  
possint? Pontifex Regularium vota potest  
irritare, saecularium vero potest solum  
dispensare. Quid hac in re possint Ab-

batisse? Quid de novitiis? IX. Quanam  
possit juramenta relaxare, ac vota di-  
spensare? Et quanam causa ad id re-  
quiratur? X. Voti vinculum est fortius  
vinculo juramenti; unde reservato voto,  
verbi gratia castitatis, non eatenus refer-  
vatur tale juramentum. XI. Qui potest  
vota, & juramenta commutare, non ea-  
tenus potest dispensare in illis; quan-  
vis e converso qui potest dispensare,  
potest etiam vota jurata commutare.  
XII. Ipse vovens, & jurans potest vo-  
tum, & juramentum, si non sint refer-  
vata, commutare in melius, & proba-  
biliter etiam in evidenter aequale; jurans  
tamen, aut vovens in favorem alte-  
rius nequit ea, si sint acceptata, com-  
mutare.

## ARTIC. VII. 116

De Perjurio, ac de assuetio ad  
jurandum.

I. Perjurium presse sumptum est jura-  
mentum, cui deest veritas; late vero  
sumptum est, cui deest iudicium, &  
justitia, seu necessitas, & honestas.  
Est perjurium peccatum gravius homici-  
dio. II. Estque pariter peccatum  
gravius homicidio, nullum tempus  
velle dicare divino cultui. III. Consue-  
tudo conjungendi juramentum cum men-  
dacio sub mortali tollenda est. Immo  
mortaliter peccat, qui cum hac consue-  
tudine inadvertenter jurat cum proximo  
periculo pejerandi; etiam si tunc juret  
verum. IV. Quanam remedia adhiberi  
possint ad evellendam jurandi con-  
suetudinem? V. Ut mortaliter peccet,  
qui assuetus juramentis hic, & nunc  
jurat, debet advertere ad obligatio-  
nem, quam habet evellendi talem con-  
suetudinem, aut ad periculum proximum  
pejerandi. Quonam pacto hac peccata  
in confessione aperienda? Et quando  
negari debet absolutio?



## ARTIC. VIII. 117

## De Adjuratione.

*i.* Adjuratio vel est Imperativa, ut erga demones, vel Obsecrativa, ut erga Deum. *ii.* Obsecrativa est actus laicæ, sicut invocatio Dei; Est actus Dulia, si fiat invocatio Sanctorum; Et Hyperdulia, si Beata Virginis. Quando autem fit per alias creaturas, non est actus Religionis. *iii.* Creatura irrationalis adjurantur improprie, quatenus obediunt Creatori. *iv.* Per orationem petimus aliquid a Deo; Per Adjurationem petimus aliquid propter Deum. *v.* Differt Adjuratio a juramento; quia per illam adducitur Deus non ut testis, sed ut ejus amore, vel timore aliquid obtineatur. Requirit tamen Adjuratio tres illos juramenti Comites, Veritatem, Justitiam, & Judicium. *vi.* Quibus liceat demones adjurare adjuratione imperativa? Num etiam laicus possit exorcizare publice citra mortale? *vii.* Vis expellendi demones per exorcismos est ex opere operato. *viii.* Privata Adjuratio adversus demones cuilibet est licita. *ix.* Quid possint, aut non possint Exorcista a demone interrogare? *x.* Videtur mortale creaturas irracionales exorcizare directe. Indirecte adjurari possunt, vel adjuratione deprecativa, prout moventur a Deo, vel imperativa, prout moventur a demone.

## QUÆSTIO VIII. 102

## De Voto.

## ARTIC. I. 120

## Quid, &amp; Quotuplex sit Votum?

*1.* Votum est promissio deliberata facta Deo de meliori bono. *ii.* Differt a proposito,

quippe quod non est obligatorium, saltem sub gravi. *iii.* Si votum fiat cum semiplena deliberatione, non obligat. Quid si dubitetur, an deliberatio fuerit plena? *iv.* Ad votum sufficit voluntas implicita illud emittendi; ut in suscipiente Ordines Sacros; Qui si nolit vivere castitatem, adhuc ad illam obligatur, saltem ex statuto Ecclesia, & est sacrilegus, si adversus illam peccet. *v.* Qui invalide suscipit Ordines Sacros, ad castitatem non tenetur: Secus vero qui invalide in Religione profectus. *vi.* Soli Deo votum fieri potest, Deipara vero, & Sanctis, quatenus Deus in iis inhabitat. *vii.* In quo sensu votum est de meliori bono? *viii.* Vinculum voti est fortius vinculo juramenti promissorii. *ix.* Votum invalidum per ratificationem non revalidatur, si ejus invaliditas ignoretur. Quid si quis dubitet, an voluerit per ratificationem novum votum emittere? *x.* Multipliciter dividitur votum; præsertim in Solemne, & Simplex: Solemne emittitur in susceptione Ordinis Sacri, & in Professione Religiosa, & irritat matrimonium; Quod pariter irritat Votum simplex in Societate Jesu. *xi.* Per votum pœnale, putanon blasphemandi sub pœna jejunandi, ut plurimum duo promittuntur Deo; Id tamen pendet ex intentione votantis.

## ARTIC. II. 123

## De Materia, &amp; Obligatione Voti.

*1.* Quando materia voti partim est apta, partim inepta, vovens ad nihil tenetur, si utramque materiam vovit per modum unius; secus si per modum plurium. *ii.* Quandiu differri possit voti adimpletio, præsertim si sit de Religione ingredienda? *iii.* Num possit emitti votum cum intentione, quod solum obliget sub levi in materia gravi, & sub gravi in materia levi? *iv.* Quandonam materia levis ex circumstantia evadit gravis? *v.* Num peccet

E c z aer



et graviter, qui saepe violat votum in materia levi? VI. Peccatne mortaliter, qui eodem die violat plurima vota diversa, quorum singula sunt de re levi? VII. Cessat voti obligatio, facta, aut deprehensa notabili mutatione, qua si fuisset pravis, votum non fuisset emissum.

## ARTIC. III.

125

Quonam pacto tolli possit obligatio Voti per dispensationem?

I. Potest Episcopus in omnibus votis suorum subditorum dispensare, nisi expresse a Pontifice nonnulla reserventur; ut de facto quinque reservantur Pontifici. II. In dubio an votum sit Pontifici reservatum, potest dispensare Episcopus; sicut etiam in dubio an egeat dispensatione. III. Pariter potest Episcopus in votis Pontifici reservatis dispensare in casu necessitatis, quando periculum gravis damni esset in mora. IV. Sicut etiam probabiliter id potest, si votum reservatum sit emissum ex metu levi; Aut si votum castitatis sit ad tempus, aut non sit perfecta castitatis. V. Potest Episcopus dispensare in voto penali castitatis relate ad penam, qua est accessoria; Et in voto suscipiendi Ordines Sacros. VI. Facta a Pontifice commutatione Voti sibi reservati, potest Episcopus dispensare in materia subrogata. VII. Si votum sit disjunctivum, antequam eligatur pars reservata, potest in illo Episcopus dispensare. VIII. Potest etiam dispensare in differenda executione voti Religionis; & in voto ingrediendi Ordinem Militarem, dempto Ordine Sancti Joannis Hierosolymitani. IX. Pariter dispensare potest in votis factis in favorem alterius, si nondum sunt acceptata; Si tamen sint acceptata, tunc solum probabiliter potest dispensare, quando emissa sunt principaliter in honorem Dei, & secularia in favorem alterius. X. Itidem

vota reservata, si sint conditionata, (& probabiliter etiam post conditionem purificatam) dispensari possunt ab Episcopo. XI. Habens potestatem commutandi vota, aut in iis dispensandi, potest illam secummet exercere. XII. Habens facultatem dispensandi in Votis num. possit eatenus juramenta relaxare? XIII. Quenam dicatur causa justa ad dispensandum in Votis?

## QUÆSTIO IX.

129

De tertio Decalogi Præcepto.

Diem Sabbati sanctifices.

## ARTICULUS I.

130

De Abstinencia ab operibus servilibus die festo.

I. Non est speciale peccatum die festo peccare, & diabolo inservire; sed est peccatum opera servilia exercere. Sunt autem servilia opera non solum qua a servis communiter exerceri solent, sed etiam qua servis, & liberis solent esse communia, ita ut usus, & consuetudo habeat pro servilibus. II. Prohibentur servilia, etiamsi gratis, & sine labore exercentur; & permittuntur liberalia, etiamsi ob stipendium, & cum labore fiant. III. Permittitur transcribere etiam notas musicas, non tamen lineas his notis subjectas ducere. Licitum etiam est Typographo characteres ordinare, rationes dati, & accepti facere, & transcribere. IV. Probabiliter licet etiam delineare, & sine magno apparatu pingere; Immo etiam acu pingere. V. Permittitur etiam probabiliter piscari, & venari sine magno apparatu, ac labore. VI. Pariter permittuntur praelationes, artes militares, & ars digladiandi. VII. Ars sculptoria censetur servilis, sive in ligno, sive in marmore, aut creta sculptur. VIII. Licitum est iter facere etiam in



lectica, qua portetur ab hominibus. IX. Non licet ducere iumenta, aut currus onustos, si cum magno labore onera iis imponenda sunt. Qui vero comitantur iumenta onusta, raro peccant mortaliter; quia raro ultra spatium duarum horarum in imponendis oneribus laborant. X. Idem dicendum de iis, qui ducunt animalia, quae in pistrino molunt, ac de iis, qui exercent opus distillandi; aut frumentum cribro eventilatum manibus purgant. XI. Num liceat Infidelibus injungere die festo opera servilia?

## ARTIC. II. 132

De Operibus forensibus vetitis die festo.

I. Prohibetur die festo Mercatus, Judicium forense, & Juramentum. II. Nomine mercatus veniunt Nundinae universales, & particulares, necnon actus mercandi. Quid tamen permittitur ex consuetudine? III. Nomine Judicii forensis venit strepens judicialis; itaque actus judiciales sine invalidi, nisi necessitas, aut pietas aliud suadeat. IV. Sententia excommunicationis nec irritatur, nec prohibetur; Sicut neque aliae sententiae, & actiones, quae strepitum judiciale non requirunt: Probabiliter tamen licita est Appellatio. V. Nomine Juramenti, quod prohibetur die festo, venit juramentum judiciale, quod fit pro rebus temporalibus. VI. Pluribus de causis aut licent opera forensia, ac servilia die festo, aut non est mortale ea exercere; Praesertim ratione necessitatis, consuetudinis, dispensationis, aut parvitas materia. VII. Quid de sutoribus laborantibus die festo? VIII. In dubio an detur necessitas, aut consuetudo approbata, petenda est dispensatio: Secus tamen si probabile sit dari necessitatem, aut consuetudinem, & scandalum vitetur. IX. Est sufficiens causa excusans timor gravis damni, & amissio ingentis lucri. X. Num possit quis

ad orium vitandum laborare, saltem ad sublevandam alicujus gravem necessitatem? Num possint ea fieri die festo, quae ad cultum divinum spectant? XI. Quanam sit parvitas materia in operibus servilibus; quanam in forensibus, quae a mortali excuset? XII. Plurimi ex consuetudine a Doctoribus excusantur. Quid de barbitonsoribus, & sutoribus? Quid si de consuetudine dubitetur? XIII. Demum excusat dispensatio, quam data justa causa potest etiam Vicarius Generalis ex speciali mandato concedere; Immo etiam Parochus; qui potest etiam in jejuniis dispensare. Praelati Regulares dispensare possunt cum subditis suis, non cum famulis secularibus.

## ARTIC. III. 137

De Missa die festo audienda.

I. Probabiliter satisfacit praecepto de missa audienda, qui successive duas missas partes audit, quamvis ordine inverso. II. Num partem missae notabilem omitat, qui incipit illam audire post Evangelium? Aut qui per breve tempus abest, dum fit aut Consecratio, aut Communio? III. Quanam dicatur praesentia moralis requisita ad satisfaciendum praecepto audiendi missam? IV. Non satisfacit, qui toto tempore missae confitetur peccata sua. V. Praesentia moralis haberi potest aliquando, etiam si audiens missam sit extra Ecclesiam; & potest non haberi, etiam si sit intra Ecclesiam. Quid si inter fenestram domus, e qua auditur Missa, & Ecclesiam intercedat via publica? VI. Missa in Oratoriis privatis Magnatum a quibusdam familiaribus die festo audiri potest, itant non teneantur illam in Ecclesia audire? VII. Excusat ab audienda missa Impotentia, Censura, Consuetudo, & dispensatio. Impotentia habetur ab eo, qui sine gravi incommodo illam audire non potest. Quid



si lucrum ingens amitteret? VIII. Num excusetur puella, qua credit se ab adolescente lascivo concupiscendam, si domo egrediatur? IX. Num teneatur privilegiarius missam audire tempore Interdicti? Et quid de detentio in carcere, si facile potest facultatem egrediendi obtinere? X. Excusantur viduae, & similes, ubi est consuetudo, quod per aliquod tempus domo non egrediantur post mortem mariti: Sic etiam nubiles, pauperes, &c. XI. Num peregrinus teneatur missam audire, ubi est festum municipale, si per viginti dies circiter ibi sit commoraturus? XII. Num possit quis die Sabbati ire venatum, si die dominico non possit audire Sacrum?

QUÆSTIO X. 43

De Jejunio.

ARTICULUS I

Quibus cibis abstinendum die jejunii? Et an etiam a potu?

I. Quenam animantia, qua extra aquam vivunt, non prohibeantur? II. Num laridum, & sagimen inter lacticia numerentur? Quid de intestinis animalium? III. Num lacticia, qua ex evidenti totius Ecclesie consuetudine obligatoria prohibentur in Quadragesima, pariter in aliis vigiliis prohibeantur? IV. Dispensatus ad carnes, & non ob virium imbecillitatem, num teneatur ad unicam comestionem die jejunii? V. Num dispensatus ad carnes, quo die ab iis abstinet, ad unicam comestionem teneatur? VI. Utrum die jejunii liceat vinum bibere in fraudem jejunii ad vires reficiendas? VII. Num liceat comedere, & bibere ob delectationem, & non ad satietatem? VIII. Quinam universim dicatur potus usualis, a quo jejunium non frangatur? Num cerussa, num a-

qua saccharo, & aromatibus condita? Num Chocolata?

ARTICULUS II. 148

De unica Refectione, ac de ejus Hora.

I. Ex consuetudine, non ex lege scripta tenemur die jejunii ad unicam dumtaxat refectionem: Et ex consuetudine etiam permittitur refectiuncula. II. Quibus comedit die jejunii, si iterum comedat, non peccat amplius; At si comederet carnes, peccat toties, quoties iterum illas comedit. III. Qui inculpabiliter bis comedit, num teneatur non amplius comedere? IV. Ut refectio dicatur moraliter unica, quantum temporis intercedere potest inter plures refectiones? Num possit vespere comedere, qui mane carni notabili parte refectionis? V. Hora refectionis, qua olim erat ad Solis occasum, & deinde ad Tertiam post meridiem, nunc temporis est ad meridiem. VI. Quid si anticipetur hora comestionis sine causa, aut privilegio per horam ante meridiem?

ARTIC. III. 150

De Refectiuncula.

I. Varie opinantur Doctores circa quantitatem cibi in Refectiuncula; Omnium benignissima, & usu recepta opinio est, quod ea sit octo unciarum. II. In per-vigilia Nativitatis Domini refectiuncula potest esse duplo major; & in iis Regionibus, ubi est consuetudo sumendi triplo majorem, immo etiam in vigilia Paschatis, & Pentecostes servari illa licite potest. III. Num possit in refectiuncula sumi exigua pars piscis majoris? IV. Licetne sex uncias panis cum duabus uncias liquoris amygdalini coquere, & sumere pro jejunio? V. Num liceat sine causa cantinam sumere mane, rejecta in Vesp-



trās cenā? VI. Non licet diluculo jentaculum sumere, & ad meridiem, seu ad Vesperas cenare.

ARTIC. IV. 152

De Obligatione Jejunii, & non cooperandi cum aliis in illius fractione.

I. Jejunium Quadragesimale non est de jure divino, sed jam inde ab Apostolis in Ecclesia praeceptum. II. Consuetudine plura jejunia in Ecclesia introducta sunt, & plura abrogata. Num Regulares teneantur ad jejunia consuetudine alicubi introducta? III. Quando nam frangens jejunium, ad quod ex pluribus titulis obligatur, plura peccata committat? IV. Num Franciscanus ad jejunia sua Regula obligetur ante vigesimum primum aetatis annum? V. Lex jejunii obligat etiam ad non cooperandum cum aliis in ejus fractione. VI. Num liceat invitare, ac offerre carnes parato jejunium frangere, non quidem absolute, sed sub conditione, quod velit omnino carnibus vesci? VII. An peccent Caupones ministrando omnibus indiscriminatim carnes diebus esurialibus? VIII. Licite carnes ministrantur Infidelibus die jejunii, sicut pueris ante rationis usum.

ARTICULUS V. 155

De Infirmis, & Paupertate a Jejunio excusantibus.

I. Excusant Dispensatio, & Impotentia saepe orta ex infirmitate, paupertate, labore, aetate. II. Infirmis excusantibus debet esse notabilis, puta si timeatur ex jejunio capitis vertigo, aut stomachi dolor; Aut si ex illo impediantur consueta uniuscujusque operationes. III. Praegnantibus, & nutrices, etsi valida, ad jejunium non tenentur,

sed tenentur secundum se a carnibus abstinere. Qui absque cena nequit noctu calefieri sufficienter, non tenetur mane jentare, ut vespere cenet. IV. In dubio an jejunium sit graviter nociturum, standum iudicio Medici docti, & timorati; vel petenda est dispensatio; Quae probabiliter dari potest, etiam si dubitetur, an detur iusta causa ad dispensandum. V. Nec Medicus, nec Confessarius dispensare potest in jejniis, sed solus Superior; etiam Parochus; non tamen Abbatissa. VI. Excusatur pauper, si careat sufficienti cibo. Sed quinam dicitur cibus sufficiens? VII. Num liceat messoribus, ac iter agentibus vesci lacticiis, si desit sufficiens aliud alimentum?

ARTICULUS VI. 157

De Labore, & Aetate, quae a Jejunio excusant.

I. Excusantur a jejunio, qui exercent artem de se laboriosam, quamvis possent commode jejunare. II. Quanam dicatur ars de se laboriosa impossibilis cum jejunio? III. Non videntur artes de se laboriosae, Ars Sutoris, qui pannos sūt, & Ars Barbitonsoris; unde solum per accidens excusari possunt. IV. Quanam reputentur exercitia de se non laboriosa? Num Cantoris, Advocati, Concionatoris? Et quid de iter agentibus? V. Qui arti laboriosae operam navant, si uno, aut altero die a labore desistant, num teneantur iis diebus jejunare? VI. Quando nam Coniux a jejunio excusatur, si non possit aliter debitum reddere? VII. Non licet in fraudem jejunii opus laboriosum assumere, aut longum iter. Quomodo liceat aliquando ire venatum, quamvis non sit compossibile jejunium cum ea venatione? VIII. Probabiliter senes etiam robusti ad jejunium non obligantur inchoato anno sexagesimo; Et feminae juxta nonnullos inchoato quinta-



quagesimo? Quid si dubitetur de tali aetate?

QUÆSTIO XI. 161

De quarto Decalogi Præcepto

Honorandi Parentes.

ARTICULUS I.

De Obligatione filiorum erga parentes.

I. Filii Parentibus debent Amorem, Reverentiam, Obedientiam, & Subventionem. II. Amor Parentibus debitus consistit in fuga odii, & in exhibitione signorum amoris; necnon in dilectione interna, & formali. III. Reverentia Parentibus debita quid ferat? Et quando ab ea filii deobligentur? IV. Quando graviter peccent filii non obtemperando Parentibus? V. In iis, quæ pertinent ad viam statum, tenentur filii consulere Parentes, quamvis non teneantur deinde eorum consilium sequi. VI. Tenentur filii Parentibus subvenire tam in necessitatibus spiritualibus, quam in temporalibus. VII. In gravi necessitate Parentum tenentur filii abstinere ab ingressu in Religionem; necnon in extrema fratrum, aut sororum. At egredi e Religionem tenentur solum in extrema Parentum necessitate. VIII. Eodem modo Parentes tenentur ab ingressu in Religionem abstinere in gravi necessitate filiorum, & in extrema egredi.

ARTICULUS II. 164

De Obligatione Parentum erga filios.

I. Tenentur parentes bono spirituali, & temporalis filiorum multipliciter prospicere; & si ad eorum emendationem est necessarium, possunt percutere etiam in Sacris constitutos. II. Mater solum te-

netur lactare, & educare filium usque ad tertium annum, nisi pater sit impotens ad alendum filium. In defectum parentum tenentur Avi, deinde Avia. Si divites exponant filios Hospitali, tenentur huic expensas compensare. III. Plurima causa a Doctoribus assignantur, ob quas potest Pater filium exheredare. IV. Si filia contra voluntatem Patris nubat indigno, non potest exheredari. V. Num Pater filio, quem exheredare potest, teneatur alimenta prestare ad vitam sustentandam? VI. Quid veniat nomine alimentorum, quæ Pater tenetur filio prestare? Num teneatur etiam alere uxores filiorum, & filia spuis dotem constituere? VII. Obligatio, quam habent parentes alendi filios, transit ad heredes; Sicut etiam si bona parentis donentur Monasterio, aut addicantur fisco. VIII. Quinam debet filium alere, si dubitetur num sit filius Petri, an Pauli? Et Pater paratus a Patre, an a filiis alendus est?

ARTIC. III. 166

De Obligatione Conjugum ad invicem.

I. Etiam vir debet uxori præter amorem, obedientiam in iis, in quibus est subiectus, & honorem. II. Potest vir objurgare, & leviter percutere uxorem, si sit spes emendationis; at nequit sine gravi culpa illam graviter percutere. III. Secundum se tenetur vir alere uxorem, quamvis illam duxerit indotatam. IV. Num teneatur illam alere, quando ob utriusque culpam ab eo recessit? V. Aliquando tamen uxor tenetur virum alere. VI. Majorem debet amorem, reverentiam, & obedientiam uxor viro, quam uxor Vir, quippe qui est caput mulieris; unde tenetur uxor virum sequi: Sed quid si patrum intercedat non mutandi locum?

AR-



De Obligatione Dominorum, Superiorum, & Principum relate ad subditos, & ad invicem.

I. Mancipia tenentur cum periculo vite dominum defendere. II. Servis in bello iusto captis licitum est fugere, si non dederint fidem non fugiendi. III. Quicquid servus acquirit, domino acquirit, si de consensu domini non habeat peculium. IV. Famuli non tenentur, sicut tenentur servi, dominum defendere cum vita discrimine. Num debeatur famulo salarium, si diu agrotat? V. Num Superiores, Magistri, Parentes possint moderate ad correctionem verberare etiam in Sacris constitutos? VI. Quomodo se gerere debet Herus erga famulos? Num possit illos agrotantes mutere ad Hospitale subtrahendo mercedem? Ecclesia Clericis agrotantibus non denegat distributiones. VII. Religiosi non tenentur obedire Pralatis suis in iis, qua sunt aut supra regulam, aut prater regulam. VIII. Pralati tenentur ad residentiam, & ad dispensandos redditus Ecclesiasticos superfluos congrue sustentationi in usus pios. IX. Parochus quomodo debeat providere de Vicario, si non resideat ex iusta causa? X. Subditi erga Principes laicos ad quid tenentur? XI. Ad quid vero Principes laici erga Vassallos? XII. Peccat Princeps, & ad restitutionem damni secuti tenetur, si ad Officium Gubernatoris, vel Judicis promoveat ineptos. XIII. Peccat etiam plerumque graviter, & contra fidelitatem erga Republicam, & contra iustitiam distributivam, si ad hac Officia promoveat dignos, omissis dignioribus, seu Republica utilioribus. XIV. Officia secularia solus Princeps supremus potest aliquando moderate vendere, idque propter Republicam utilitatem, non ob privatam commodum.

Pars II.

De obligatione diligendi proximum.

I. Tenemur proximum diligere etiam actu interno, & formali. II. Etiam peccatores diligendi sunt, ac etiam inimici actu interno, & formali amore prosequendi. Non tenemur tamen per se loquendo illos salutare, si scandalum absit. III. Non tenemur actionem coram Iudice omittere, ut offensio satisfactio nem prabeat pro injuria, & damnis illatis. Quid si sponte exhibeat ipse satisfactionem? IV. Quonam ordine proximus diligendus est? Diversus ordo servandus in necessitate extrema, vel gravi, ac extra necessitatem. V. Quanam sint peccata omissionis, & commissionis, qua charitati erga proximum adversantur? VI. Explicanda est in confessione species mali, quod vis proximo inferre, non tamen species mali, quam proximo desideres. VII. Adversantur charitati erga proximum non solum Odium, sed etiam Indignatio, & Ira; qui tamen actus licite cum moderatione debita exerceri possunt. VIII. Adversantur etiam Discordia, Contentio, Rixa, Seditio, (qua a Bello, & a Schismate differt) & Scandalum. IX. Non est peccatum contra charitatem scandalum acceptum, sed Scandalum datum. X. Scandalum Activum aliud est directum, aliud indirectum; Scandalum passivum aliud est Pusillorum, aliud Pharisaeicum. XI. Scandalum directum semper est peccaminosum; at non semper scandalum indirectum; quod cum nonnullis limitationibus permitti potest. XII. Quanam dicantur actiones licite, quamvis cum iis materialiter cooperemur cum peccato proximi? XIII. Sine causa permitti non potest scandalum acceptum, ne pharisaeicum quidem. XIV. Ad vitandum scandalum Pusillorum omitti aliquando potest nonnullorum preceptorum observantia.

F f xv.



xv. In pluribus casibus abesse potest peccatum scandalum, quamvis coram aliis peccetur. xvi. Num aperienda sit in confessione species peccati, ad quod inducitur proximus, qui scandalizatur.

## ARTICULUS VI. 180

De Obligatione subveniendi proximo in suis necessitatibus.

i. In extrema necessitate spirituali proximi tenemur illi, etiam cum vita discrimine, succurrere. ii. In necessitate non extrema, sed gravi alicujus particularis non tenemur cum vita periculo succurrere; tenemur tamen in necessitate gravi alicujus Communitatis. iii. Pastor, etiam in gravi necessitate suarum ovium, tenetur opem illis ferre cum vita discrimine. iv. Non tenemur, sed possumus periculo exponere vitam propriam pro vita temporali proximi. v. Divitibus precipitur facile tribuere elemosynam indigentibus. vi. In extrema proximi necessitate tenemur ad elemosynam ex necessariis statui proprio, sed natura superfluis. vii. Num satis sit extreme indigenti mutare? viii. Num in gravi necessitate proximi teneamur illi succurrere ex necessariis ad statum? Tenemur certe ex statui superfluis. ix. Ad quid teneamur in communibus pauperum necessitatibus? x. Beneficariis magis, quam alii obligantur ad succurrendum pauperibus. Quonam pacto possint de redditibus Beneficii disponere? xi. Quandonam teneamur proximum fraternaliter corrigere, & Quomodo? Quid si dubitetur, an correctio sit profutura? xii. Num etiam cum gravi incommodo fieri debeat aliquando fraternam correctio? Et num premissa ea debeat semper, antequam delictum denunciatur?

## QUÆSTIO XII. 186

De Octavo Decalogi Præcepto.

Non loqueris falsum testimonium.

ARTICULUS I. *ibid.*

De Forma Juris a Judice servanda.

i. Forma juris, seu Legum dispositio a Judice servanda est, tum in modo procedendi, tum in ferenda sententia. ii. Modus procedendi juxta formam juris est triplex, per Accusationem, per Denunciationem, & per Inquisitionem: Hac autem triplex est, Generalis, Particularis, & Mixta. iii. Ut per Inquisitionem generalem procedat Judex, non prærequiritur Infamia, nec Accusatio. Debent tunc manifestari delicta, si delinquentes laborent infamia. iv. Ad Inquisitionem specialem prærequiritur accusatio, qua sufficienter habetur per infamiam, aut per publicum rumorem. v. Infamia habetur per vocem multorum, quin taxetur numerus, sed arbitrio Judicis relinquendus. vi. Num sufficientia indicia certa, ut possit fieri specialis Inquisitio? vii. Quid prærequiritur ad Inquisitionem Mixtam? viii. In quibusnam casibus fieri potest Inquisitio specialis, nulla infamia præcurre? ix. Quanam forma debet procedere Judex post accusationem, aut denunciationem Rei? x. Num licite procedat Judex propter meram querelam, aut denunciationem sine prævia infamia?

## ARTICULUS II. 190

De Jurisdictione in Judice requisita.

i. Requiritur Jurisdictio in Judice, ut valide sententiam ferat, sive ea sit ordinaria, sive delegata, sive Arbitraria, sive Accessoria. ii. Judices saculares



num possint vi consuetudinis immemora-  
bilis aliquam sententiam ferre adver-  
sus Ecclesiasticos? III. In pluribus ca-  
sibus permittitur Judicibus laicis de Cle-  
ricis cognoscere. IV. Qui patrato delicto  
assumpsit habitum Clericalem, aut Re-  
ligiosum, poteritne a Judice laico pu-  
niri? V. Clerici turbantes Rempubicam  
possunt a Judice laico reprimi, capi,  
& illico Superiori Ecclesiastico tradi, ut  
puniantur.

### ARTICULUS III. 192

#### De Judice in ferenda sententia.

I. Judici non licet in ferenda sententia  
sequi opinionem minus probabilem,  
omissa probabiliore. Cur id liceat Con-  
fessariis? II. In causis civilibus, in  
quibus opiniones circa jus sunt aequae  
probabiles, univrsim potest iudex causam  
adjudicare, cui mavult, favendo ta-  
men Reo, prout fieri potest. At si opinio-  
nes sunt aequae probabiles circa factum,  
debet dividi res, aut pretium rei. III.  
In causis vero criminalibus, quando o-  
piniones circa factum sunt aequae proba-  
biles, sequenda est opinio magis favens  
Reo. IV. Judex inferior nequit damna-  
re Reum, si solum privata scientia  
sciat illum esse reum. Potest tamen  
debitorem hujusmodi cogere ad solven-  
dum. V. Judex supremus regulariter  
non potest Reum condemnare, nisi cita-  
tum, & auditum. VI. Num possit Ju-  
dex damnare juridice Reum, si pri-  
vata scientia sciat illum esse innocen-  
tem? Probabilis id non licet in cau-  
sis capitalibus, sed solum in civilibus,  
ac levis momenti. VII. Quanam mune-  
ra accipi possunt a Judice, praefato jū-  
ramento de non acceptandis muneribus  
a partibus, & praefatis legibus id vetan-  
tibus? VIII. Pretium acceptum pro  
ferenda sententia injusta, post illam non  
est restituendum; sicut restitui debet pre-

rium pro ferenda sententia justa. IX.  
Leges positivae vetantes munerum ac-  
ceptionem non allicientium ad injus-  
tiam probabiliter non obligant sub mor-  
tali; secluso juramento quod a Judici-  
bus praestatur de iis non acceptandis. X.  
Dari possunt Judici munera ad vexa-  
tionem injustam redimendam. Sed  
non est de facili credendum, quod ea  
intercedat; nec quod propter munera  
diligentius merita cause illo sit discus-  
surus.

### ARTICULUS IV. 196

#### De Accusatore.

I. Accusatio differt a denunciatione ju-  
ridica, eo quod hac fieri possit solis ver-  
bis sine aliis solemnitatibus propriis ac-  
cusationis; Nec tenetur denunciator cri-  
men probare, & poenam talionis subire;  
Differt etiam a denunciatione paterna,  
quia hac ordinatur ad emendationem,  
non ad punitionem Rei. Quanam dica-  
tur denunciatio Canonica? II. Denu-  
ciatio paterna in foro Ecclesiastico tran-  
sire potest in judicalem. Ad paternam  
denunciationem procedere debet fraternam  
correctio, non ad accusationem. III.  
Licitum est accusare, vel judicialiter  
denunciare reum propter injurias nobis  
irrogatas, & propter quodcumque cri-  
men, licet occultum. IV. Num premiti  
debeat accusationi correctio fraternam?  
Num condonare offensas sit solum consi-  
lium, itaut licite possimus reum accu-  
sare, non ex odio erga illum, sed ex  
amore justitiae? V. Raro in praxi pecca-  
tur, si ob offensas occultas nobis irroga-  
tas reum accusamus, si odium omnino  
absit. VI. Qui omittit accusationem,  
vel denunciationem debitam ex chari-  
tate, peccat; sed non tenetur ad resti-  
tutionem, nisi ad illam teneatur ex ju-  
stitia. VII. Plurimi sunt, qui ab accu-  
sando repelluntur. VIII. In nonnullis  
Ff 2 casi-



casibus non licet eum accusare, etiam  
posito Superioris precepto.

ARTICULUS V. 198

De Testibus, & Notariis.

I. Quinam testes requirantur, & sufficiant, ut possit Reus damnari? Quinam vero iure Canonico, quinam iure civili inhabiles sunt ad testandum? II. Nemo tenetur testari, nisi a charitate, aut a precepto superioris ad testandum adigatur. Num teneatur ad restitutionem, qui contra preceptum superioris renuit testari? III. In quibus casibus non datur obligatio testandi, etiam posito precepto Superioris? IV. Non tenemur, sed possumus offerre nosmet ad testandum ad vitam innocentis salvandam, quamvis inde sequatur mors delinquentis. V. Teneatur retractare testimonium falsum etiam cum periculo vita, qui ob illud est in causa, ut alius morti damnetur. VI. Qui pecuniam accipit, ut verum testetur, non tenetur illam restituere; sed ante patratum crimen tenetur illam restituere, si acceperit ad deponendum falsum; post crimen vero tenetur compensare damnum illatum. VII. Num teneatur testificari, posito iudicis precepto, qui novit crimen ab Accusatore, aut a Teste? VIII. Si iudex legitime interroget, nequit testis equivocare; Secus vero si non procedat legitime; Et aliquando ad hanc equivocationem tenetur. IX. Si testis sibi contradicat in eodem examine, standum est posteriori dicto; secus vero si sibi contradicat in diversis examinibus. X. Si Notarius aliquid scripserit, & testis juret se illud non dixisse, credendum est potius Notario.

ARTICULUS VI. 201

De Reo.

I. Reus in iudicio non tenetur respondere, nisi iudice interrogetur, ita scilicet ut precesserit vel semiplena probatio, vel indicia clara, aut infamia, que per duos testes probata sint. Et in nonnullis casibus iudice interrogatus potest equivocare. II. Non sufficit ad semiplenam probationem solus accusator, aut denunciator. III. Probabiliter reus iudice interrogatus non tenetur veritatem fateri, si inde sibi imminet grave damnum. IV. Quid si reo nulla sit spes evadendi mortem, aut aliud grave damnum? Num peccet letaliter, si veritatem non fateatur? V. Num sine mortali possit equivocare, qui iudice interrogatur de re levi? VI. Propter opiniones utrinque probabiles saepe datur bellum utrinque iustum; Unde potest iudex iuste interrogare, quin teneatur reus veritatem fateri. VII. Potest reus e carcere fugere, quamvis inde sequatur custodis mors a iudice illi instigenda. Nequit tamen reus ministris iustitia vim inferre, illos percutiendo, &c. VIII. Cum moderamine inculcata tutela potest Reus, ejusque advocatus propalare occulta crimina testium ad eorum auctoritatem infringendam; sed non potest in falsa crimina appingere.

ARTICULUS VII. 203

De Advocato, ac Procuratore.

I. Ad restitutionem tenetur Advocatus, (sicut & Procurator) si ex sua negligentia, aut imperitia causa amittatur. Sicut etiam si causam manifeste injustam defendat; aut si partem inducat ad transactionem in causa injusta; Non



non si secreta causa alteri parti pro-  
dat. II. Potest Advocatus causam mi-  
nus probabilem, immo & dubiam pa-  
trocinari; non tamen causam, qua pa-  
rum habet probabilitatis, in quam fe-

re nunquam iudices inclinant. III. Ve-  
ritum est Advocatis pacisci de quota li-  
tis. Id tamen ex natura rei licitum vi-  
detur pro foro interno, modo absit pe-  
riculum fraudis, & iniustitia.

FINIS.

IN

201  
espon.  
a scili-  
batio,  
, qua  
, non  
pot-  
ad se.  
ator,  
reus  
erit.  
gra-  
lla sit  
grave  
r, s  
s sine  
vidice  
er a-  
datur  
st ju-  
reus  
car-  
er cu-  
Ne-  
vino  
111,  
porej  
e oc-  
nto  
st iis  
202  
e.  
ims,  
igen-  
ur.  
inju-  
ad  
Nec-  
ob



# I N D E X

## RERUM NOTABILIU,

Quæ in hac Secunda Parte de Præceptis Decalogi continentur.

Prior numerus Quæstionem; Alter Articulum; Tertius numerum marginalem designat.

### A

**A**bbatissa quid possit relate ad vota Monialium? 7. 6. 8. Nequit in jejniis dispensare. 11. 5. 5  
**A**ccusatio in quo differat a juridica denunciatione? 12. 4. 1. Necnon a denunciatione paterna, & canonica? ibid. Licitumne sit Reum accusare etiam ob crimen occultum? 12. 4. 3. Num præmitti debeat accusationi correctio fraterna? 12. 4. 4. Quinam ab accusando repelluntur? 12. 4. 7. Clericus quando, & quomodo accusare possit? ibid. In quibus casibus non est licita accusatio, etiam posito Superioris præcepto? 12. 4. 8.  
**A**ccusator solus, aut denunciator non satis est ad semiplenam probationem. 12. 6. 2.  
**A**djuratio alia est Imperativa erga dæmones, alia Obsecrativa erga Deum. 7. 8. 1. Creaturæ irrationales adjurantur improprie, quatenus obediunt Creatori. 7. 8. 3. In quo differat adjuratio a Juramento? 7. 8. 5. Quibus liceat dæmones adjurare, & publice exorcizare? 7. 8. 6  
**A**doratione latræ Christus Dominus adorandus est; primario tamen natura divina, & concomitanter humana. 4. 1. 1. Quomodo in praxi ejus Humanitas adoranda? 4. 1. 4. Adoratur Crux adoratione latræ respectiva. 4. 1. 5. Quomodo Eucharistiæ Sacramentum adorandum sit? 4. 1. 7. Quomodo Beata Virgo? 4. 1. 5. Quomodo Sancti?

4. 2. 12. Quonam pacto Beati, ac defuncti cum fama Sanctitatis? 4. 2. 6. Septem enumerantur cultus, quibus juxta Ecclesiæ institutionem Sancti adorari possunt. 4. 2. 5. V. *Reliquia Sanctorum, & Imagines Sanctorum.*  
**A**dvocatus nequit patrocinari causam, quæ parum habet probabilitatis. 12. 7. 2. Vetitum est illi pacisci de quota litis, non tamen jure naturali. 12. 7. 3. Ad restitutionem tenetur, si causam injustam defendat, aut si ex sua negligentia, aut imperitia causa amittatur. Idemque dicas de Procuratore. 12. 7. 1  
**A**dituus debet pridie festi templum verere, & ornare, ne die festo laboret. 1. 5. 6.  
**A**quivocatio, & restrictio pure mentalis num liceant aliquando? 7. 4. 2  
**A**gni cerei adorantur adoratione latræ. 4. 3. 3. Non possunt pingi, nec vendi. ibid.  
**A**limentorum nomine, quæ Pater filiis præstare tenetur, quid veniat? 11. 2. 6. Quibus de causis possint Parentes filiis alimenta denegare, eosque exheredare? 11. 2. 3  
**A**mentes relate ad leges servandas num æquiparentur infantibus? 1. 3. 5. Num possint illis opera servilia injungi die festo? 1. 3. 6  
**A**ttentio requisita in Horarum recitatione quænam sit? 3. 4. 5. Et quænam intentio? ibid. Num similis attentio, & intentio requiratur in auditione Missæ præceptæ? 3. 4. 8  
**A**ttentio requisita in auditione Missæ. 9. 3. 4.

Bene-



B

**B**eneficarii magis quam alii tenentur ad stipem pauperibus erogandam. 11. 5. 10. Quomodo possint de redditibus Beneficii disponere? *ibid.*  
 Beneficarii ad Horas Canonicas tenentur. 3. 1. 1. Quando eximuntur ab hac obligatione? *ibid.*  
 Beneficarius quando tenetur ad restitutionem fructuum ob Horarum omissionem? 3. 3. 8. Ad restitutionem non tenetur, si eas omittat ob impotentiam; secus vero si omittat ex dispensatione Episcopi. 3. 6. 12  
 Beneficium quodnam dicatur tenue? 2. 4. 4. Quid si dubitetur an sit tenue? 2. 4. 5.  
 Blasphemia quid sit, & quotuplex? 6. 2. 1. Non datur in ea materiam parvitas. 6. 2. 2. Ex consuetudine blasphemare sine plena advertentia hic, & nunc, non vacat culpa lethali. 6. 2. 3. Blasphemia hæreticalis vel tollit a Deo, quod habet, vel per contumeliam tribuit illi, quod non habet. 6. 2. 4. Simplex blasphemia quadruplex est, E-nunciativa, Detestativa, Irrisoria, & Juratoria. 6. 2. 5. Num specie differant Blasphemiam in Deum, & in Sanctos? 6. 2. 6. Num blasphemet, qui Creaturis irrationabilibus, tempori, pluviam, ventis maledicit? 6. 1. 7. Discutiuntur nonnullæ formulæ frequenter usurpatæ num sint blasphemæ? 6. 1. 8. Quid de illa, Per vitam Dei, aut de alia, Corpo di Dio con voi? 6. 2. 10. Qui hæreticales blasphemias proferrunt, denunciandi sunt. 6. 2. 11

C

**C**æcus obligatus ad Horas num teneatur memoriter recitare psalmos, quos potest? 3. 6. 9  
 Canonizatio Sanctorum quandonam fuerit instituta? 4. 2. 4  
 Carnes comedere diebus vetitis ad mortem declinandam non licet, si id præcipiatur in contemptum nostræ Religionis. 1. 6. 7  
 Carnium humanarum comestio num liceat aliquando? 1. 6. 9  
 Carthusiani num teneantur carnibus ve-

sci in extrema necessitate? 1. 6. 10  
 Castitatis votum reservatum est, non vero juramentum servandi castitatem. 7. 6. 10.  
 Charitatis præceptum ad quid obliget? 2. 3. 4. Quandonam tenemur elicere actum charitatis? 2. 3. 5  
 Chorus num possit omitti, si Communitas solum constet ex quatuor, vel quinque religiosis? 3. 1. 7. Moniales, quæ absunt a Choro, num teneantur privatim Horas recitare? *ibid.*  
 Christi Humanitas quomodo in praxi adoranda? 4. 1. 4  
 Christus Dominus non orat pro nobis, sed miseretur nostri; orat tamen ejus Humanitas. 4. 1. 3  
 Clerici quando, & quonam pacto accusare alios possunt in judicio? 12. 4. 7  
 Clerici turbantes Rempublicam quonam pacto possint a laica potestate coerceri? 12. 2. 5. In pluribus casibus possunt a laicis Judicibus recognosci. 12. 2. 3. Num possit a laica potestate puniri, qui patrato delicto assumpsit habitum Clericalem? 12. 2. 4  
 Comedere, & bibere ob delectationem, sed non ad satietatem, num vacet culpa veniali? 10. 1. 7  
 Confessarius quomodo gerere se debeat cum Magis, Maleficis, & Incantatoribus? 5. 5. 7  
 Conscientiam perplexa num semper eximat a culpa operantem cum illa? 1. 2. 14.  
 Consuetudo pejerandi sine advertentia sub mortali tollenda est. 7. 7. 3. Quibus remediis evellatur? 7. 7. 4  
 Contemptus rei levis præceptæ num sit mortalis? 1. 2. 12. Quandonam peccatum de se veniale ratione contemptus evadit mortale? *ibid.*  
 Correctio fraterna qualiter facienda sit? 11. 5. 11. Quid si dubitetur, an ea sit profutura? *ibid.* An ea semper præmitti debeat, antequam delictum denunciatur? 11. 5. 12  
 Crux, quæ Christum tetigit, adoratione laicæ adoratur, non tamen Beata Virgo, nec quæcumque alia Christum tetigerunt. 4. 3. 3

Decre.



**D**ecreta Sacrae Congregationis circa cultum erga defunctos cum fama Sanctitatis. 4. 2. 7  
 Dæmones quanam arte in anulis, aut in phialis includantur? 5. 4. 5  
 Denuncians, aut Accusator non satis est ad semiplenam probationem. 12. 6. 3  
 Dispensare num possit Deus in præceptis Decalogi, & quomodo? 1. 1. 5  
 Dispensare qui potest generaliter in votis Subditorum, potest eandem facultatem secummet exercere. 8. 2. 11  
 Dispensatio obtenta quandonam excuset a legis transgressione? 1. 6. 12. Dispensatione valide, sed illicite data qui utitur, num peccet venialiter? 1. 6. 12  
 Divinatio haberi potest & cum expressa, & cum tacita Dæmonis invocatione; etiam si quis protestetur se nolle Dæmonem invocare. 5. 2. 2. Utraque multiplex est. 5. 2. 4. Sortilegium divinatorium de se est mortale. Quid de consultorio, aut divisorio? 4. 2. 5.  
 Num ratione curiositatis, aut joci possit quis a mortali excusari? 4. 2. 6.  
 Quandonam liceat somnia, & motus animalium observare? 4. 2. 7. Non licet Aegyptias consulere. 4. 2. 8  
 Domicilium in quo differat a quasi domicilio? 1. 3. 7  
 Dubitans an res præcepta levis graviter conducat ad finem, ad quid tenetur? 1. 2. 10. Quid si dubitetur, an puer adeptus sit usum rationis? 1. 3. 4. Quid in dubio num motus fuerint secundo primi, an perfecte deliberati? 1. 2. 6.  
 Quid in dubio an res indigeat dispensatione? 1. 6. 13. Quid si dubitetur, an infirmitas sit gravis, ita ut excuset ab Horarum recitatione? 3. 6. 3. Quid in dubio num effectus aliquis sit superstitiosus, an naturalis? 5. 3. 9. Aut si dubitetur, num effectus prænaturalis sit a Deo, an a Dæmone? ibid. Quid si dubitetur an Maleficus novo maleficio sit dissoluturus prius maleficio, quamvis possit illud sine novo maleficio dissolvere? 5. 5. 4. Quid si vovens dubitet num habuerit animum se obligandi? 6. 4. 6. Quid si dubitetur an voto, seu juramento supervenerit notabilis rerum mutatio? 7. 6. 3. Quid in dubio an quis voverit cum

plena deliberatione? 8. 1. 3. Quid si quis dubitet an voluerit per ratificationem voti invalidi de novo votum emittere? 8. 1. 9. Quid in dubio, an detur aliqua consuetudo laborandi die festo? 9. 2. 8. Quid in dubio, an detur causa sufficiens ad non jejunandum, aut ad dispensandum in jejunio? 10. 5. 4. Quid si dubitetur, num aliquid ad cibum, an ad potum pertineat? 10. 1. 8. Quid si dubitetur, an pertineat ad carnes? ibid. Quid in dubio, an Ars sit de se laboriosa, & excusans a jejunio? 10. 6. 2. In dubio num quis sit genitus a Petro, an a Paulo, uter tenetur illum alere? 11. 2. 8. Si dubitetur an correctio fraternalis sit profutura, num ad illam teneamur? 11. 5. 11.

## E

**E**piscopatum non acceptandi juramentum quando obliget? 6. 3. 8  
 Episcopus potest vota omnia subditorum dispensare, nisi sint reservata. 8. 3. 1. Etiam in dubio an sint reservata, & in dubio an indigeant dispensatione. 8. 3. 2. Potest, etiam si votum castitatis sit pœnale, dispensare illud relate ad pœnam. 8. 3. 5. Necnon in voto suscipiendi Ordines Sacros, ibid. Quid si votum castitatis sit emissum ex metu levi? 8. 3. 4. Quid in casu necessitatis? 8. 3. 3. Quid de votis factis in favorem alterius? 8. 3. 9. Quid de conditionatis purificata conditione? 8. 3. 10. Quænam sit causa justa ad dispensandum in votis? 8. 3. 13  
 Episcopus quandonam possit in lege Pontificia dispensare? 1. 6. 13  
 Error, & dolus quando reddunt irritum contractum, & invalidum juramentum superadditum? 7. 3. 4  
 Esculenta, & poculenta num possint a Judice accipi? 12. 3. 7  
 Excommunicatus quomodo officium recitare debeat? 3. 1. 9. Quando fructibus beneficii privetur? ibid.  
 Exhæredari potest filius pluribus de causis. 11. 2. 3. Sed filia non potest exhæredari per hoc, quod contravoluntatem Patris nubat indigno. 11. 2. 4  
 Exorcizare quisnam possit privatim; quisnam publice? 7. 8. 6. Exorcistæ quid possunt a Dæmone interrogare? 7. 8. 9  
 Famu-



F

**F**amuli non tenentur cum discrimine vitæ dominum defendere; Sed tenentur mancipia. 11. 4. 4. Num debeat iis salarium, si diu ægrotent? ibid. Num possint ad Hospitale mitti, quando ægrotant, subtrahendo mercedem? 11. 4. 6.

Fascinandi vis num sit naturalis, an superstitiosa? 5. 4. 6

Festis diebus peccare non est speciale peccatum. 9. 1. 1. Opera servilia, quæ iis diebus prohibentur, quænam sint? ibid. Num pingere liceat, aut etiam acu pingere? 8. 1. 4. Num liceat venari? 9. 1. 5. Num liceat ducere iumenta, & currus onustos? 8. 1. 9. Num liceat infidelibus injungere die festo opera servilia? 8. 1. 11

Festis diebus prohibetur etiam Mercatus, Judicium forense, & Juramentum. 9. 2. 1. Quid veniat nomine Mercatus? 9. 2. 2. Judicium forense quodnam dicatur? 9. 2. 3. Sententia excommunicationis non prohibetur. 9. 2. 4. Juramentum, quod prohibetur, est illud, quod fit in iudicio propter res temporales. 9. 2. 5. Quid dicendum de futuribus laborantibus die festo? 9. 2. 7. Num liceat laborare ad otium vitandum? 9. 2. 10. Quænam hac in re sit materiæ parvitas? 9. 2. 11. Quinam ex consuetudine excusentur? 9. 2. 12. Quid si de tali consuetudine dubitetur? ibid. Potest Parochus ex iusta causa dispensare; & Prælati Regularis solum cum subditis suis, non vero cum famulis sæcularibus. 9. 2. 13

Fides est virtus Theologalis, vi cuius tria habentur præcepta affirmativa, & duo negativa. 2. 2. 1. Quandonam teneamur fidem confiteri? 2. 2. 3. Quandonam tenemur solum fidem non negare? 2. 2. 4. Num semper dubius in fide sit infidelis? 2. 2. 5

Filiæ spurix num teneatur Pater dotem constituere? 11. 2. 6

Filii debent Parentibus Amorem, Reverentiam, Obedientiam, & Subventionem. 11. 1. 1. In quo consistat hic amor debitus? 11. 1. 2. Quando tenentur ab ingressu Religionis abstinere? 11. 1. 7. Quando possunt a Patre ex-

Pars II.

hæredari? 11. 2. 3. In iis, quæ pertinent ad vitæ statum, tenentur filii consulere Parentes, esto non teneantur eorum consilium sequi. 11. 1. 5

Franciscanus num obligetur ad jejunia suæ Regulæ ante vigesimum primum annum suæ ætatis? 10. 4. 4

Frequenter violare votum in materia levi num sit lethale? 8. 2. 5

H

**H**æresis sine errore in intellectu, & pertinacia in voluntate non habetur. 2. 2. 7. Quænam sit isthæc pertinacia? ibid. Ad incurrendas pœnas hæreseos debet signum externum manifestativum hæresis internæ esse de se grave. 2. 2. 8

Homicidium est peccatum minus grave, quam perjurium. 7. 7. 1

Horæ Canonicæ cur ita dicantur; & cur etiam vocentur Officium Divinum? 3. 1. 1. Quinam ad eas teneantur? ibid. Num excusentur damnati ad triremes, inclusi in carcere tetro, maximo merore affecti? 3. 1. 10. Quid de Uxoratis? ibid. Quid de captis ab Infidelibus? ibid.

Horæ in virtute Sanctæ Obedientiæ studiose, ac devote recitandæ sunt. 3. 4. 1. Num pronuntiatio debeat esse audibilis? 3. 4. 2. Quænam attentione, & intentione recitari debent? 3. 4. 5. Quonam pacto recitandæ sint? 3. 4. 1. Quonam tempore? 3. 5. 1. Quonam loco, & quonam situ? 3. 5. 5. Excusant ab iis Infirmitas, Gravis occupatio, Impotentia, & Dispensatio. 3. 6. 1.

Horæ quonam idiomate recitari possint? 4. 2. 3. Quinam possint illas recitare ex alio Breviario, quam ex Romano? 4. 2. 1. Num possit aliquando officium pro officio recitari? 4. 2. 4. Potest quilibet sequi ritum Socii, cum quo officium recitat. 4. 2. 8. Rubricæ quænam dicantur præceptivæ, quænam directivæ? 4. 2. 5. Unumne, an septem peccata committat, qui integrum officium omittit? 4. 3. 2. Quænam dicatur pars officii notabilis, cujus omissio sit lethalis? 4. 3. 3

G g

Ido-



- I**dololatria presse dicta quid ferat? 5.  
 1. 5. Quando ob illam incurruntur cen-  
 sure in Bulla Cœnæ? 4. 1. 6
- Jejunii tempore quænam animantia pro-  
 hibentur? 10. 1. 1. Num laridum, &  
 sagimen inter lacticia numerentur?  
 10. 1. 2. Num lacticia vetentur etiam  
 in vigiliis extra Quadragesimam? 10.  
 1. 3. Dispensatus ad carnes num tenea-  
 tur jejunare, si possit? 10. 1. 4. Aut si  
 aliquo die a carnibus abstineat? 10. 1.  
 5. Num cervisia, aqua saccharo, &  
 aromatibus condita, aut chocolata je-  
 junium frangant? 10. 1. 8
- Jejunii die ex consuetudine obligamur  
 ad unicam comestionem, & refectiun-  
 cula permittitur. 10. 2. 1. Quid requi-  
 ritur, ut refectio dicatur moraliter u-  
 nica? 10. 2. 4. Quænam sit hora refe-  
 ctionis? 10. 2. 5. Refectiunculæ quan-  
 titas, & qualitas. 10. 3. 1. Num liceat  
 cœnulam sumere mane? 10. 3. 2. Quæ-  
 nam excusent a jejunio? 10. 5. 1. Qua-  
 lis debeat esse infirmitas? 10. 5. 2. Quid  
 in dubio? 10. 5. 4. Quinam dicatur  
 cibus sufficiens? 10. 5. 6. Prægnantes,  
 & Nutrices non tenentur jejunare, sed  
 debent a carnibus abstinere. 10. 5. 3.  
 Parochus potest ex causa dispensare,  
 non tamen Abbatissa. 10. 5. 5. Qui per  
 totam Quadragesimam vult comedere  
 carnes, quot peccata committit? 10.  
 4. 3. Senes quando excusantur? 10. 6.  
 8. Quid de navantibus operam arti la-  
 boriosæ? Quid de iter agentibus? 10.  
 6. 1., & 10. 6. 4.
- Ignorantia, ac inadvertentia leviter cul-  
 pabilis excusat a gravi culpa transgres-  
 sorem præcepti. 1. 6. 1. Ignorantia  
 multiplex est, præsertim antecedens,  
 consequens, & comitans. 1. 6. 2. Quæ-  
 nam ignorantia solius pœnæ excuset  
 ab ea incurrenda? 1. 6. 3. Num sit e-  
 jusdem speciei peccatum commissum ex  
 ignorantia culpabili, & commissum  
 scienter? 1. 6. 4
- Imagines Sacræ quonam pacto adorari  
 possunt? 4. 4. 1. Deus, ac tres Divi-  
 næ personæ solum sub imaginibus ab  
 Ecclesia deputatis adorari possunt. 4.  
 4. 3. Quomodo Deus, & Angeli per  
 corporeas imagines adumbrentur? 4.
4. 4. Quomodo dicatur magis Christus,  
 quam ejus imago adorari? 4. 4. 8. Et-  
 iam Nomina Sacra, non secus ac ima-  
 gines, adorantur. 4. 4. 5
- Impedimenta ad observantiam præcepti,  
 si sint proxima, sunt removenda. Quid  
 si sint remota? 1. 5. 1. Cur peccet,  
 qui non tollit impedimentum excom-  
 municationis in ordine ad communi-  
 candum in Paschate, non vero in or-  
 dine ad audiendum Sacrum die festo?  
 1. 5. 5. Num liceat defatigari, ne de-  
 tur obligatio jejunandi? 1. 5. 2. Num  
 possit quis die festo iter arripere præ-  
 videns, quod non possit deinde Sacrum  
 audire? 1. 5. 4
- Impedimenta apponere executioni præ-  
 cepti quandonam liceat? 9. 3. 12
- Infamia quid sit? Et quot homines ad  
 infamiam requirantur? 12. 1. 5. Infam-  
 ia prærequiritur universum, ut pos-  
 sit Judex per inquisitionem specialem  
 procedere. 12. 1. 4. Quid si procedat  
 per inquisitionem mixtam? 12. 1. 7
- Infidelibus num possint injungi opera ser-  
 vilia die festo? 1. 3. 6. Quibus legibus  
 tenentur? 1. 3. 5. Num possint iis car-  
 nes ministrari die jejunii? 9. 4. 8
- Infidelium sectæ variæ sunt. 2. 2. 6. Qui-  
 nam dicantur Pagani, quinam judæi,  
 quinam Hæretici, & similes? ibid.  
 Quænam communicatio cum Hebræis  
 sit nobis prohibita? 2. 2. 9. Laicis in-  
 hibetur de rebus fidei disputare cum  
 Infidelibus. 2. 2. 11
- Infirmitas, ut excuset ab Horarum re-  
 citatione, debet esse gravis. 3. 6. 2.  
 Quid si de hoc dubitetur? 3. 2. 7
- Incantatio in quo differat a Maleficio,  
 & a Magia? 5. 4. 2
- Infirmitas famulis num debeatur salarium?  
 11. 4. 4. Clericis infirmis Ecclesia non  
 denegat distributiones. 11. 4. 6
- Interdicti tempore num teneatur Privile-  
 giarius audire Sacrum die festo? 1.  
 5. 3.
- Iraæ actus cum moderatione debita licite  
 exercetur. 11. 4. 7
- Judex formam juris, seu legum dispo-  
 sitionem servare debet tum in modo  
 procedendi, tum in ferenda sententia.  
 12. 1. 1. Triplex est modus proceden-  
 di, per Accusationem, per Denuncia-  
 tionem, & per Inquisitionem. 12. 1.  
 2. Num licite Judex procedat per me-  
 ram



ram querelam, sine prævia infamia? 11. 1. 10.  
 Judex in ferenda sententia non potest se-  
 qui opinionem probabilem, relicta proba-  
 biliore; quamvis id possit Confessa-  
 rius in foro Sacramentali. 12. 3. 1. Quid  
 si utraque opposita sententia sit æque  
 probabilis? 12. 3. 2. Num possit dama-  
 nare juridice reum, quem privata  
 notitia scit esse innocentem? 12. 3. 6.  
 Num viceversa possit damnare juridice  
 innocentem, si sciat illum privata no-  
 titia esse reum? 12. 3. 4. Restituere de-  
 bet pretium acceptum pro ferenda sen-  
 tentia iusta; non vero pro injusta, pa-  
 trato scelere. 12. 3. 8. Munera vi le-  
 gum, & juramenti præstiti accipere  
 non potest a partibus. 12. 3. 7. Num  
 possint illi dari munera ad redimendam  
 vexationem, vel ut diligentius merita  
 causæ discutiat. 12. 3. 8  
 Judex quandonam possit reum inaudi-  
 tum damnare? 12. 3. 5  
 Juramentum est Dei in testem invoca-  
 tio; quæ potest esse expressa, & taci-  
 ta. 7. 1. 1. Jurans per falsos deos ve-  
 re non jurat. 7. 1. 3. Num sit formu-  
 la juratoria, Per fidem meam, & si-  
 miles? 7. 1. 4. Quid in dubio an ali-  
 qua formula sit juratoria, necne? 7.  
 1. 5. Rustici dicentes passim, Per Deum,  
 non solent jurare. 7. 1. 9  
 Juramentum dividitur in Assertorium,  
 Promissorium, Invocatorium, Exe-  
 cratorium, seu Imprecativum, Com-  
 minatorium, &c. Omnia autem jura-  
 menta censentur esse ejusdem speciei.  
 7. 1. 12.  
 Juramentum metu extortum obligat pro  
 foro interno. 7. 3. 7. Matrimonium ta-  
 men, & votum extorta gravi metu in-  
 justo ab Ecclesia irritantur. 7. 3. 8  
 Juramenta quædam frequentiora quo-  
 modo interpretanda sint? 7. 5. 1. Quid  
 de juramento Medicorum de monen-  
 dis infirmis, ut consiteantur? 7. 5. 4  
 Juramenti obligatio multis viis tolli po-  
 test. 7. 6. 12. Cessat talis obligatio,  
 si superveniat notabilis rerum mutatio.  
 7. 1. 3. Quid si de ea dubitetur? ibid.  
 Quinam possit juramenta irritare?  
 Quinam relaxare? 8. 1. 4. Quid de ju-  
 ramentis filiorum, Uxoris, & Servo-  
 rum? 8. 1. 6. Pontifex potest juramen-  
 ta Sæcularium relaxare; Regularium

vero etiam irritare. 8. 1. 8. Fortius est  
 voti vinculum, quam juramenti. 8. 1.  
 9. Jurans potest juramentum commuta-  
 re in melius, aut in evidenter æqua-  
 le, si illud non sit in favorem alterius,  
 aut reservatum. Idemque dicas de  
 voto. 8. 1. 12. V. *Votum*. V. *Perju-  
 rium*.  
 Juramenti promissorii materia quænam  
 sit? 7. 3. 1. Qui jurat se ducturum u-  
 xorem, num ad id teneatur? 7. 3. 2.  
 Qui jurat rem bonam ad finem ma-  
 lum, ad illam non tenetur. 7. 3. 3.  
 Secunda Sponsalia jurata, etiam prio-  
 ribus dissolutis, non obligant. 7. 3. 4.  
 Promissio prodiga jurata num, & ad  
 quid obliget? 7. 3. 5. Juramentum de  
 non acceptando Episcopatu quando ob-  
 liget? 7. 3. 8  
 Juramenti comites debent esse Veritas,  
 Justitia, & Judicium. 7. 2. 1. Ad ju-  
 randum privatim requiritur certitudo  
 moralis; In judicio requiritur notitia  
 de visu. 7. 2. 4. Nequit induci aliquis  
 ad jurandum quod est materialiter fal-  
 sum. 7. 2. 8  
 Jurans sine animo jurandi, aut sine in-  
 tentione se obligandi secundum se pec-  
 cat lethaliter. 7. 4. 1. Jurans cum æ-  
 quivocatione, aut cum restrictione  
 non pure mentali, num semper sit per-  
 jurus? 7. 4. 2. Juramentum, ac votum  
 non obligant, si dolus, aut error ver-  
 sentur circa causam finalem, quando  
 dant causam contractui. 7. 4. 4. Sicut  
 etiam si sint circa substantiam rei, aut  
 circa circumstantias notabiles, quæ in  
 ipsam substantiam redundant. 7. 4. 3.  
 Error tamen circa qualitates notabiles  
 non invalidat Professionem Religiosam,  
 nec Matrimonium, nec susceptionem  
 Ordinis Sacri, nisi id exprimat. 7.  
 3. 5.  
 Jurans se non lusurum secundum se in-  
 telligitur de lusu immoderato. 7. 3. 6  
 Jurisdictio vel ordinaria, vel delegata re-  
 quiritur in Judice, ut possit sententiam  
 ferre. 12. 2. 1. Adversus Ecclesiasticos  
 num possint vi consuetudinis Laici fer-  
 re sententiam? 12. 2. 2. Quid si Cle-  
 rici Rempublicam turbent? 12. 2. 5



L

**L**aboriosæ artes excusantes a jejunio quænam dicantur? 10. 6. 2. Quænam exercitia laboriosa? Num Cantoris, Advocati, Concionatoris? 10. 6. 4. Qui laboriosæ arti operam navat, num teneatur jejunare, si uno, aut altero die non laboret? 10. 6. 5. Lege non obligari, non est idem ac a lege excusari. 1. 3. 1. Leges vetantes Judicibus, ne munera accipiant, num obligent sub mortali? 12. 3. 9. Locus sacer quibus actionibus violetur, ita ut actiones hujusmodi sint sacrilegæ? 6. 1. 11. Sacrilegum est furtum sacri de sacro, & sacri de non sacro, imo etiam non sacri de sacro, sed quomodo? 6. 1. 12. Quid si furtum fiat in Sacristia, aut in Claustris Religiosorum, vel in Oratoriis domus privata? 6. 1. 13.

M

**M**agia superstitiosa in quo differat a naturali? 5. 4. 1. Differt a vana Observatione, a Maleficio, & ab Incantatione. 5. 4. 2. Magistri num possint ad correctionem moderate verberare in Sacris constitutos? 11. 4. 5. Maleficio differt a Magia. 5. 4. 2. Dividitur in Amatorium, & Veneficum. 5. 1. 1. Occurritur illi remediis naturalibus, supernaturalibus, & moralibus. 5. 5. 2. Quandoam liceat a Maleficio petere Maleficii dissolutionem? 5. 5. 3. Mancipia tenentur dominum defendere etiam cum vitæ discrimine. 11. 4. 1. Fugere possunt, si non dederint fidem non fugiendi. 11. 4. 2. Mater tenetur alere, & educare filium usque ad tertium annum. 11. 2. 2. Mater parvitas non semper a mortali excusat. 1. 2. 7. Imperfecta deliberatio, & consensus excusant semper. 1. 2. 5. Materia, quæ etiam relate ad finem est parva, non est capax præcepti graviter obligantis. 1. 2. 9. Quid si de hoc dubitetur? 1. 2. 10. Matrimonium licetne ob urgentem me-

tum gravem celebrare, ac consummare? 1. 7. 8. Medicorum juramentum de monendis infirmis, ut confiteantur, quomodo interpretandum sit? 7. 5. 4. Metus mortis, aut gravis damni quandoam excuset a legis transgressione? 1. 6. 7. Ob metum mortis nequit Sacerdos excommunicatus vitandus absolvere, potest tamen celebrare. 1. 6. 7. Num liceat ob talem metum celebrare matrimonium, illudque consummare? 1. 7. 8. Missæ præcepto num satisficiat, qui audit successive duas Missæ partes ordine inverso? 5. 3. 1. Quænam sit pars Missæ notabilis? 5. 3. 2. Quænam sit præsentia moralis requisita? 5. 3. 3. Missa in Oratoriis privatis Magnatum a quibus familiaribus audiri possit, ita ut præcepto satisficiat? 9. 3. 6. Missam audire quinam dicatur impotens? 9. 3. 7. Quandoam viduæ, nobiles, & puellæ excusentur? 9. 3. 10. Num excuset amissio lucri ingentis? 9. 3. 7. Quænam alia excusent? ibid. Moniales, quæ absunt a Choro, num teneantur privatim Horas recitare? 3. 1. 7. Motus primo primi nullatenus sunt liberi; at motus secundo primi sunt solum semiplene deliberati, & ideo universim venialiter peccaminosi, si sint circa objectum pravum. 1. 2. 5. Quid si dubitas, num motus fuerint secundo primi, an perfecte deliberati? 1. 2. 6. Munera a Judicibus accipi non possunt tum vi juramenti præstiti, tum vi legum id vetantium. 12. 3. 7. Num leges istæ obligent sub mortali? 12. 3. 9.

N

**N**otario potius, quam testi credendum, si hic juret se aliquid non dixisse. 12. 5. 10. Novitiorum vota non possunt a Superioribus irritari. 7. 6. 8. Eorum tamen vota commutari possunt in Professionem Religiosam. ibid.

O

**O**ccupatio gravis, quæ excusat ab Horarum recitatione, quænam sit? 3. 6.



*Index Rerum Notabilium.*

3. 6. 6. Num aliquando Concionatores, & Confessarii excusentur? *ibid.*  
 Odium Dei non patitur materiae parvitatem. 2. 3. 6  
 Officia secularia num possint aliquando vendi a Principe supremo? 11. 4. 14.  
 Num possint ea conferri dignis omissis, dignioribus, seu Reipublicae utilioribus? 11. 4. 13  
 Officiales in Republica corporaliter laborantes quando a jejuniis excusentur? 10. 6. 3.  
 Officium Beatae Virginis, & defunctorum in Rubrica praescriptum quando recitandum est? 3. 2. 2  
 Oratoria privata Magnatum. V. *Missae*.  
 Oratio est actus Religionis, quo a Deo petimus decentia. 2. 4. 1. Oratio dominica praefert debitum orandi modum. *ibid.* Orationis Justae effectus triplex est, mereri, impetrare, & satisfacere. 2. 4. 3. Etiam peccatoris oratio est impetratoria, si non petantur mala, aut ad malum finem. 2. 4. 4. Num oratio ex divina promissione impetret infallibiliter? 2. 4. 5. Conditiones Orationis sunt, ut petantur Bona, a Bonis, Bene, & cum perseverantia. 2. 4. 4  
 Oratio vocalis humanae naturae conformior est, quam mentalis. 2. 4. 6  
 Ordinatus in Sacris si expresse nolit vivere castitatem, adhuc ad illam obligatur ex praescepto Ecclesiae, & est sacrilegus, si adversus illam peccet. 8. 1. 4. Invalide suscipiens Ordines Sacros ad Castitatem non tenetur; secus vero si invalide emittat Professionem Religiosam. 8. 1. 5  
 Ovorum, & lacticianorum esus num prohibeatur etiam in Vigiliis extra Quadragesimam? 10. 1. 3
- P**
- P**arato jejunium frangere num liceat offerre carnes? 10. 4. 6. Num peccent Caupones ministrando omnibus carnes die jejunii? 10. 4. 7. Num Indelibus liceat eas offerre? 10. 4. 8  
 Parentes divites, qui ad infamiam vitandam exponunt infantes Hospitali, num teneantur huic expensas compensare? 11. 2. 2  
 Parentes ad quid teneantur erga filios? 11. 2. 1. Num possint aliquando illos etiam in Sacris constitutos percutere? *ibid.* Quenam alimenta illis praestare debent? 11. 2. 6. Num possint illos exhaereditare? 11. 2. 3. Num teneantur alere uxores filiorum, & dotem constituere filiae spuriae? 11. 2. 6. Filius a quonam est alendus in dubio num sit genitus a Petro, an a Paulo? 11. 2. 8  
 Parochus quando possit sine licentia Episcopi non residere? 11. 3. 9  
 Paterpatrus a Patre ne, an a filiis alendus est? 11. 2. 8  
 Peccator orando impetrat, si non oret in quantum peccator est, videlicet aut mala petendo, aut ad malum finem. 2. 4. 4  
 Peccatum quando dicitur esse ex genere suo mortale, & quando veniale? 1. 2. 2. Quomodo possit per accidens mortale in veniale transire? 1. 2. 4. Quotupliciter potest veniale transire in mortale? 1. 2. 12. Quomodo peccet, venialiterne, an lethaliter, qui advertit ad malitiam objecti, praescindendo num ea sit gravis, an levis? 1. 2. 6.  
 Peccatum commissum ex ignorantia culpabili num sit ejusdem speciei, ac commissum scienter? 1. 6. 4  
 Poenae ignorantia num excuset ab ea incurrenda? 1. 6. 3. Quid de poena non petendi debitum? 1. 5. 6  
 Perjurium dicitur Juramentum, cui desit veritas. 7. 7. 1. Dicitur late perjurium, si desit justitia, aut necessitas. *ibid.* Est gravius peccatum, quam sit homicidium. *ibid.* Pejerandi consuetudo, quamvis cum inadvertentia, sub mortali tollenda. 7. 7. 3. Quibus remediis ea evellatur? 7. 7. 4  
 Percussio Clerici, & Novitii est sacrilega, quamvis non habeant votum castitatis; at istorum peccatum contra castitatem non est sacrilegum. 6. 1. 8  
 Peregrini quibus legibus teneantur? 1. 3. 7. Num possint mane jentaculum sumere, si velint egredi e loco, ubi jejunatur? *ibid.* Tenentur legibus juris communis, quamvis illae in Patria sint abrogatae. 1. 3. 9  
 Peregrinus num teneatur legibus Municipalibus, si per viginti dies sit alicubi commoraturus? 8. 3. 11  
 Poenitentiae Sacramentum cum periculo mor-



mortis non tenetur suscipere, qui potest sibi per contritionem consulere. 1. 6. 8.

Pontifex potest Sæcularium vota dispensare, Regularium vero etiam irritare. 7. 1. 8.

Præceptum si nequeat impleri totum, quandonam datur obligatio ponendi partem, quæ poni potest? 1. 6. 11

Præcepta Decalogi cur decem enumerentur? 1. 1. 3. Tria prima spectant ad primam tabulam, reliqua ad secundam. 1. 1. 1. Num, & quomodo possit Deus in his præceptis dispensare? 1. 1. 5.

Præceptum primum Decalogi quos actus externos, & quos internos Religionis præcipiat? 2. 1. 4

Præcepto num satisfiat sine intentione ponendi opus inunctum? 1. 4. 1. Num requiratur intentio satisfaciendi præcepto, quando ponitur opus inunctum? 1. 4. 4. Num satisfiat præcepto jejunii, qui invitus jejunat? 1. 4. 2. Num satisfiat præcepto, qui ponit opus inunctum nolens per illud satisfacere? 1. 4. 6

Prælati tenentur ad residentiam, & ad dispensandos redditus congruæ sustentationi superfluos in usus pios. 11. 4. 8

Principes laici ad quid teneantur erga Vassallos? 11. 4. 11. Promovendo inepos ad Officium Gubernatoris, vel Judicis peccant, & tenentur ad restitutionem. 11. 4. 12. Quid si promoveant dignos, ommissis dignioribus? 11. 4. 13. Num possint vendere officia secularia? 11. 4. 14

Procurator. V. *Advocatus.*

Promissio prodiga num, & ad quid obliget? 6. 3. 6

Proximo in gravi necessitate constituto qualiter subvenire teneamur? 11. 5. 1.

Divitibus præcipitur facile stipem indigentibus erogare. 11. 5. 5. Num satis sit extreme indigenti mutuare? 11. 5. 7. In extrema proximi necessitate tenemur illi subvenire de necessariis proprio statui; in gravi vero ex statui superfluis. 11. 5. 8. Ad quid teneamur in communibus proximi necessitatibus? 11. 5. 9

Proximum diligere tenemur etiam actu interno, & formali. 11. 5. 1. Quomodo peccatores, & inimicos dilige-

re teneamur? 11. 5. 2. Num teneamur salutare inimicos? *ibid.* Quonam ordine proximus diligendus est? 11. 5. 4. Quonam peccata charitati erga proximum adversantur? 11. 5. 5. Explicanda in confessione est species mali, quod vis proximo inferre, non tamen quod illi desideras. 11. 5. 6. V. *Scandalum.*

Proximum corrigere fraternaliter quando, & quomodo teneamur? 11. 5. 11

Pueri post usum rationis tenentur legibus Ecclesiasticis, sed ante pubertatem pœnas Ecclesiasticas non incurrunt. 1. 3. 2. Num possint ante usum rationis introduci in Monasteria Monialium? 1. 3. 3

R

**R**atificatio voti illud non revalidat, si fuerat invalidum. 8. 1. 9. Quid si quis dubitet, an voluerit per ratificationem emittere de novo votum? *ibid.*

Religionis virtus non est Theologalis, sed principem obtinet locum inter Morales. 2. 1. 1. Quinam sint ejus actus elicit? Quinam imperati? 2. 1. 3. Ad quos actus externos, & internos Religionis obligemur, & quando? 2. 1. 5. Religionis actus externi quinam sint? 2. 1. 6.

Religionem ingredi non possunt filii in gravi necessitate Parentum, aut Sororum; Et in extrema Parentum necessitate tenentur egredi. 11. 1. 7. Et similiter Parentes in necessitate filiorum. *ibid.*

Religiosi non tenentur obedire Prælati suis in iis, quæ sunt aut supra, aut præter regulam. 11. 4. 7

Reliquiæ Sanctorum quonam dicantur? 4. 3. 1. Quomodo adorandæ? 4. 3. 2. Qui reliquias furatur, peccat peccato furti, & sacrilegii. 4. 3. 7

Restitutio an sit iteranda ab eo, qui immemor debiti donat æquivalens creditori? 1. 4. 5

Restitutio quando, & quomodo facienda a Beneficariis omittentibus Horas? 3. 3. 8.

Restituere debet Judex pretium pro ferenda sententia justa; non vero pro injusta, patrato scelere. 12. 3. 8

Reus



*Index Rerum Notabilium.*

Reus non legitime interrogatus in iudicio non tenetur respondere . 12. 6. 1.  
 Num possit aliquando æquivocare , quamvis interrogetur iudice ? *ibid.*  
 Quid si sibi grave damnum imminet ? 12. 6. 3.  
 Num peccet graviter , si in re levi interrogatus legitime non respondeat ? 12. 6. 5.  
 Potest reus e carcere fugere ; sed non potest Ministris iustitiæ vim inferre . 12. 6. 7  
 Rubricæ Missalis , ac Breviarii quænam dicantur Præceptivæ , quænam Directive ? 3. 2. 5

**S**

**S**acrilegium , seu Sacræ rei læsio dividitur in Personale , Locale , & Reale . 6. 1. 1. Tres istæ species probabiliter sunt atomæ , non subalternæ ; unde modus sacrilegii non est in confessione de necessitate explicandus . 6. 1. 2.  
 Quænam Persona dicitur sacra ? 6. 1. 3.  
 Quadrupliciter per læsionem Personæ Sacræ sacrilegium committitur . 6. 1. 4.  
 Num Novitius peccans contra castitatem sit sacrilegus ? 6. 1. 5.  
 Num sit sacrilegus , qui habens votum castitatis alios inducit ad peccandum carnaliter ? *ibid.*  
 Fractio cuiuscumque voti est sacrilega . 6. 1. 6.  
 Non omnia peccata personæ sacræ sunt sacrilega , sed quæ sunt contra castitatem . 6. 1. 7  
 Sacrilegium quando habetur per violationem loci sacri ? 6. 1. 9.  
 Est sacrilegium furtum sacri de sacro , Sacri de non sacro , & non Sacri de sacro , si res non sacra sit in Ecclesia custodiæ causa , aut illi commodata . 6. 1. 12.  
 Quid de furto in Sacristia , aut similibus locis ? 6. 1. 13.  
 Quid veniat nomine rei Sacræ ? *ibid.*  
 Sacrilegium non est concupiscere in Ecclesia copulam habendam extra Ecclesiam . 6. 1. 15.  
 Quid de actibus turpibus in Ecclesia patris ? *ibid.*  
 Sacrilegium reale multipliciter haberi potest ; præsertim si quis rebus , aut verbis sacris abutatur . 6. 1. 16.  
 Servilia opera diebus festis prohibita quænam sint ? 9. 1. 1.  
 Num liceat infidelibus ea opera injungere ? 9. 1. 11  
 Scandalum multiplex est . 11. 4. 8.  
 Non est peccatum scandalum acceptum , sed datum . 11. 4. 9.  
 Activum aliud est di-

rectum , aliud indirectum ; Passivum vero aliud Pusillorum , aliud Pharisaicum . 11. 4. 10.  
 Scandalum activum indirectum non semper est peccaminosum . 11. 4. 11.  
 Quandonam possimus materialiter cooperari cum peccato proximi ? 11. 4. 12.  
 Num sit in confessione aperienda species peccati , ad quod inducitur , qui scandalizatur ? 11. 4. 16  
 Senes quando a jejuniis excusentur ? 10. 6. 8.  
 Somnia quandonam liceat observare ? 4. 2. 8.  
 Spei Theologicæ opponitur tam Præsumptio , quam Desperatio . 2. 3. 2.  
 Quodnam præceptum spei negativum , quodnam positivum ? *ibid.*  
 Superstitio quid sit , & quotuplex ? 5. 1. 1.  
 Indebito cultu Deus adoratur , sive adoretur cultu falso , sive superfluo . 5. 1. 2.  
 Jejunare diebus dominicis num sit cultus Dei superstitiosus ? 5. 2. 3.

**T**

**T**entatio alia est Probationis , alia Inductionis . 6. 3. 1.  
 Quandonam habetur expressa , quando vero tacita Dei tentatio ? 6. 3. 2.  
 Prohibentur in lege Evangelica purgationes , quibus in lege veteri miraculis alicujus innocentia innotescebat . 6. 3. 4.  
 Num possit tentatio Dei a mortali excusari ? 6. 3. 6.  
 Testes quinam requirantur , ut possit Reus damnari ? 12. 5. 1.  
 Quinam sint inhabiles ad testandum ? *ibid.*  
 Num teneatur ad restitutionem , qui contra præceptum Superioris renuit testari ? 12. 5. 2.  
 Num possimus sponte testari ad salvandam vitam innocentis , si inde alterius mors sequatur ? 12. 5. 4.  
 Non semper datur obligatio testandi , posito Superioris præcepto . 12. 5. 3.  
 Iudice legitime interrogante , non potest testis æquivocare . 12. 5. 8.  
 Tenetur tamen aliquando æquivocare . 12. 5. 8.  
 Quid si testis sibi contradicat , aut in eodem , aut in diverso examine ? 12. 5. 9.  
 Notario potius , quam testi credendum est , si hic juret se aliquid non dixisse . 12. 5. 10  
 Theologales virtutes in quo differant a Moralibus ? 2. 1. 2  
 Va-



- V**ana observantia in quo differat a Divinatione? 5. 3. 1. Sæpe fit cum tacita Dæmonis invocatione, quamvis protestatio fiat in oppositum. 5. 3. 2. Quænam observationes communiter a Doctoribus reputentur vanæ, & superstitiosæ? 5. 3. 4. Recensentur aliæ, quæ non sunt vanæ, sed licitæ. 5. 3. 6. Quid de unguento armario? 5. 3. 7.
- Vassalli erga Principes laicos ad quid teneantur? 11. 4. 10. Et ad quid Principes erga illos? 11. 4. 11.
- Vicarii Generales Episcoporum non possunt ex officio in votis dispensare. 7. 6. 10.
- Vigiliæ ex consuetudine quænam sint? 10. 4. 5.
- Vir quid debeat Uxori? 11. 3. 1. Num possit illam percutere ad correctionem? 11. 3. 2. Num teneatur illam alere, quando ob utriusque culpam ab ea recessit? 11. 3. 4.
- Virtutes Theologales in quo differant a Moralibus? 2. 1. 2.
- Unguentum armarium num sit superstitiosum? 5. 3. 7.
- Voti materia si partim sit apta, partim inepta, ad quid vovens obligatur? 8. 2. 1. Quantum differri possit voti adimpletio? 8. 2. 2. Num possit votum obligare sub levi in materia gravi? 8. 1. 3. Num graviter peccet, qui sæpe violat votum in materia levi? 8. 2. 5. Num votum obliget, facta notabili rerum mutatione? 8. 2. 7.
- Voto jejunandi num satisfaciatur, qui jejunit, sed non vult per tale jejunium voto satisfacere? 1. 4. 6.
- Votum extortum gravi metu injusto ab Ecclesia irritatur; non tamen juramentum. 7. 3. 7. V. *Juramentum*. Vota filiorum, uxoris, servorum, subditorum a quonam irritari possint? 7. 6. 7. Quænam causa requiratur ad voti dispensationem, & juramenti relaxationem? *ibid.* Voti vinculum fortius est vinculo juramenti. 7. 6. 12. Qui potest vota commutare, non potest eatenus illa dispensare. 7. 6. 11. Potest vovens commutare sibi votum in evidenter melius, & probabiliter in evidenter æquale. 7. 6. 12.
- Votum pœnale non obligat ad pœnam, quando quis immemor pœnæ votum transgreditur. 1. 6. 6.
- Votum sine plena deliberatione non obligat. 8. 1. 3. Quid si vovens de hoc dubitet? *ibid.* Votum solemne irritat Matrimonium; Sicut etiam votum simplex in Societate JESU. 8. 1. 9. In quo sensu votum est de meliori bono? 8. 1. 7. Votum pœnale unumne, an duo vota complectatur? 8. 1. 11.
- Votum ut dispensetur, quænam causa requiritur, & sufficit? 8. 3. 13. Quisnam possit in votis dispensare? V. *Episcopus*.
- Uxor debet Viro amorem, reverentiam, & obedientiam. 11. 3. 6. Tenetur sequi Virum. *ibid.* Quid si pactum intercedat non mutandi locum? *ibid.*

FINIS.